



V
B J
C

P. BERNARDINI MERCATORIS,

Conventus Boppardiensis Fratrum Minorum Recollectorum Sacerdotis,

NUCLEUS CATECHETICUS,

Continens

BREVI COMPENDIO DOCTRINAM FIDEI AC MORUM;

E DIVERSIS AUTHORIBUS ERUTUS:

Sacræ Scripturæ locis, SS. Patrum Authoritatibus, nec non selectioribus Historiis illustratus:

Omnibus animarum Curatoribus, Concionatoribus, & Catechistis perutilis, ac rudiori plebi accommodatissimus.

EDITIO NOVISSIMA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
apud Johann. Christian. Lauren[...]



Radziejowsky Kardyn

Horrida dum reliquas ornant Animalia Parmas;
AGNUS, cur SUMMI PRÆSULIS arma notat?
Scilicet inter tot ſummarum culmina rerum,
MANSVETUDO PII ſurgit ad aſtra PATRIS!

Emi-

fronti præfigerem circumſpicienti; TU, EMINENTISSIME CARDINALIS, illico occurrebas, non ſacrarum modò rerum ſcientiâ, ævo noſtro ſummus, ſed & humanitate, quâ Muneris ſublimitati pretium addis, nemini ſecundus. Nam licet in excelſo rerum humanarum faſtigio poſitus, ingens ubique trepidanti occurreres, victurisque æternùm meletematibus, profundo ore rueres; TE tamen, poſito ſplendore, huc deſcenſurum ſpes erat, quod eadem facilitate Regni commoda, & Eccleſiæ ſacra pertractares. Nec ſine cauſa in

GENTILITIIS *juxta ominosum* LUNÆ *sidus, salutaris ille* ARIES, *influxu aspectuque suo, terris omnem ademerunt malignitatem, solam relinquentes fœcunditatem. Huic, inquam, faventissimo* ARIETI, *demto putamine,* NUCLEUM HUNC, *vile pabulum, sed non ingratum, affero. Flectas modò* TU *huc aspectum, qui cuncta serenat: ut omnes* ARIETEM TE *sciant esse cœlestem, propitiumque sidus, quod pleno cornu aureas fundit pluvias. Tunc in auream hanc* POLONIÆ CHERSONESUM *expedi-*

tionem



EPISTOLA DEDICATORIA.

DEO TER OPT. MAX.
IMMACULATÆ VIRGINI MARIÆ,
SERAPH. PATRI S. FRANCISCO:

Nec non

Admodum Reverendo Patri,

BERNARDINO VETWEIS,
Sacrosanctæ Theolog. Lectori Jubilato,
totius Ordinis Seraphici Patri Perpetuo, ac almæ Provinciæ Coloniensis FF. Minorum Recollectorum Ministro Provinciali jam quintum dignissimo, Prælato meo observandissimo.



UCLEUM Doctrinæ Christianæ, Admodum Reverende Pater, quem erudiendis rudibus usui meo quotidiano è variis probatis Authoribus

annis superioribus collegeram, publicisq; dein manibus & utilitati Virorum doctorum judicio, & hortatu terendum ante biennium haud exiguo animarum fructu prælo commiseram, politiorem hac secunda editione, cui prima debebatur, nisi plus justo remoram passus quarti tui Provincialatus munus expirasset, tuis reverendis manibus quâ possum reverentiâ ac submissione offero, ac in tui patrocinium consigno, hâc ductus opinione, nullo ut alio aut feliciore sidere, aut præsidio tutiore arbitrarer eum posse quasvis orbis oras securè peragrare, eumque si nomine tuo, ac illustri meritæ Dignitatis tuæ famâ insignitus proficiscatur, ab omnibus ubique cupidissimè admittendum ac legendum studiosissimè. Tua siquidem authoritas, quâ in alma nostra Provincia Rhenana inter cæteros Reverendos Patres refulges, & nunc ob præclaram vitæ religiosæ conversationem, singularemque in rebus agendis prudentiam, postquam binis vicibus Definitoriatus Generalis totius Ordinis munere functus, omnium Capitularium calculis, raro exemplo rerum gubernaculis, quinta vice admotus, maxima subditorum congratulatione non solùm laudabiliter, sed utilissimè Minister Provincialis præes, huic Nucleo dum publicis manibus, judiciisque committitur, haud parum præsidii præstabit, si tuo, ad quem omnium ora mentesque convertuntur, judicio comprobetur. Quid ni pollicerer eidem, dum iterato foras progreditur, tutissimum sub tui nominis umbra præsidium,

cujus

cujus profundiſſimam doctrinam non ſolùm Academici in Univerſitate Colonienſi, verùm etiam viri Principes, aliique Magnates ſummè venerantur, dum in caſibus intricatiſſimis tuo judicio enodandis reſponſa frequenter requirunt, cujusque adeo præclara in univerſam Rempublicam Chriſtianam merita ob eximia opera, quæ reducendis ad fidem orthodoxam errantibus, aliisque calumniatoribus, & noſtræ antiquæ, veræque religionis & inſtitutionis perduellibus confutandis prælo publico commiſiſti, ut bonorum judicio in hac aquilonari plaga multis hæreſium tenebris involuta murus & ſpecula delectus à Deo videaris. Teſtatur inter cætera præclariſſimum veræ Eccleſiæ ſpeculum, quod viginti & uno libris ſubtili tuo ingenio concinnatum, mirabili fabricatum artificio, ſtudioque infatigabili elaboratum ante biennium ad hyperboreas potiſſimùm gentes direxiſti, quod utinam ſine bile, ſine felle intuerentur Heterodoxi, omnes profectò nævos, ac maculas ſuæ falſæ doctrinæ affulgente juſtitiæSole haud dubiè deprehendent quoque felicius, quam ingenioſis quondam Archimedis ſpeculis radiis ſolaribus obverſis hoſtium claſſes fuerunt concrematæ, omnia ſua machinamenta, ac perverſa dogmata, quibus veram Chriſti ſponſam Eccleſiam Catholicam oppugnant, incenſa deſtructaque judicabunt, ob quæ aliaque eximia in rempublicam Chriſtianam merita etiam poſt buſta & cineres tui vivet vigebitque memoria. Accipe igitur

Admodum Reverende Pater filioli tui, quem in album Seraphicæ Religionis adſcripſiſti, Nucleum hunc, quem gratiſſimi animi teſtem illuſtri nomini tuo inſcribere, offerre, ac dedicare non dubitavi, eique communi bono (qui te totum S. Eccleſiæ Romanæ commodis impendis) foras progredienti patrocinii favoriſque tui auram impartiri ne graveris, quem ſi concedas, haud parum utilitatis in animos rudiorum derivabitur, mearum interim partium erit, ut Admodum V. Paternitatem tuam Deus Ter Optimus Maximus Eccleſiæ ſuæ Ordinis noſtri Seraphici, ac Provinciæ bono diutiſſimè ſervet incolumem aſſiduis cœlum votis pulſare. Ita ex animo voveo, ita promitto

Admodum Reverendæ Paternitatis Tuæ

Boppardiæ 27. Julii 1666.

humillimus ſubditus

F. Bernardinus Mercatoris, Minor. Recollecta.

CEN-

CENSURA ORDINARII.

NUCLEUM CATECHETICUM, *quem ex variis approbatis Authoribus collegit & studiosè elaboravit R. P.* BERNARDINUS MERCATORIS *Ordinis FF. Minorum Recollectorum Sacerdos & Catechista, prælo dignissimum censco. Coloniæ die 24. Novemb. Anno 1662.*

Ferdinandus Strobelius,
S. Th. D. Canon. Metropol.
Colon. Censor Libr. Ordin.

FACULTAS MINISTRI PROVINCIALIS.

VIsa Patrum nostrorum Sac. Theologiæ Lectorum Approbatione, consentio, ut Liber, cui Titulus: *Nucleus Catecheticus,*

à V. P. F. Bernardino Mercatoris, Ordinis Patrum Minorum, Recoll. Sacerdote, ac Conventus Boppardiensis Vicario compositus, imprimatur, præhabitâ tamen priùs Ordinarii approbatione. in cujus fidem has manu mea subscripsi, & sigillo officii munivi. Coloniæ in Conventu FF. Minorum Recoll. ad Olivas dicto 27. Novembr. 1661.

F. Bonaventura Reul, Minister
Provincialis Provinciæ Colon.
FF. Minor. Recollect.

APPROBATIO.

UT *Libellus dictus* Nucleus Catecheticus, *à* V. A. P. F. Bernardino Mercatoris, *Conventus nostri Boppardiensis Guardiano antehac editus, & ab eodem jam auctus, & judicio Patrum Lectorum idoneus judicatus, si Licentia & Approbatio R.mi Dn. Censoris obtenta fuerit, typis mandari poterit. Datum in Conventu nostro Fratrum Minor. Recoll. Aquil. 1. Sept.* 1666.

Fr. Bernardinus Vetweis,
Minister Provincialis.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Miraberis haud dubiè, nec immeritò, Candide Lector, ac temeritatis me notâ censebis, quòd post tot eruditorum scripta in doctrinam Christianam, quibuscum nec scientia nec ingenio comparandus sum, hæc mea quasi nova parturiens in publicam lucem proferre præsumam. Verùm æqvus rerum arbiter existes, si scriptionis meæ tibi reddidero rationem. Fateor equidem, & in propatulo est, inter Neotericos reperiri complures, qui in doctrinam Christianam uberrimè, nec minus utiliter scripta bono publico typis evulgârunt, quibus satis superque rudis populus instrueretur. Quia verò apud permultos animarum Curatores ob sumptuum fortè defectum horum penuriam inveni: operæ pretium judicavi ex his ferè omnibus probatis Authoribus meliora & utiliora colligere, ut faciliori ac breviori methodo, quidquid ad doctrinam Christianam spectat, rudiori populo commodiùs proponi possit, sicq; animarum Curatores (quorum muneris est commissum sibi gregem verbo salutis pascere) laboris simul ac sumptuum compendium haberent, ut hâc ratione tempori pluribus libris & emendis & evolvendis ad hoc necessariis parcerent. Quod autem eâ facilitate (ut opinor) divino favente Numine

præstiti, ut nullo negotio quâvis horâ & momento, de quacunq; ferè materia rudiori populo utilia, atque ad salutem necessaria tradi possint. Ideò *Nucleum Catecheticum* hoc opusculum indigitandum censui, quem è cortice diversorum Authorum erui, ac velut panem præmansum suggessi. Distinxi verò hoc Opusculum pro faciliori captu in lectiones varias, suis quibusq; præter authoritates Scripturæ, & SS. Patrum exempla, ex Sanctorum gestis, aliisq; probatis Authoribus selectissima, quibus mirè capitur & trahitur vulgus, quæq; Auditorum animos efficaciter alliciunt, & piorum corda commovere solent, assignavi. Eâ demum methodo digessi omnia, ut tam pro concionibus, quàm lectionibus Catecheticis deservire possint. Te igitur, Candide Lector, rogo, & obtestor, hunc meum conatum æqui boniq; consule, & hasce lucubrationes meas tibi familiares redde, fructum haud mediocrem Deo favente reportabis. Vale, & Deum pro me precare.

PRÆFATIO AD ANIMARUM CURATORES.

Duo sunt, Adm. RR. DD. Pastores, quæ ad indefessum rudiores catechizandi studium meritò nos incitare debent: Alterum est ingens illa divina æternaque remunerationis consideratio, quam convenienter meo judicio Deus T. O. M. iis, qui ad justitiam erudiunt multos, apud Danielem Prophetam & Aneli præconio præmii loco decernit, ut quasi splendor

dor firmamenti, & ſicut ſtellæ in perpetuas fulgeant æternitates, *Dan. 2. Nihil enim vitæ eorum anteactæ convenientius, meritis dignius, divino ordini congruum magis reſpondere poteſt, quàm ut qui in terreno hoc mortalitatis domicilio lucidiſſimas ſeſe ſtellas præbuerunt, doctrinæque Chriſtianæ fulgorem in aliorum mentes derivârunt, tunc cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, immortali animarum ſplendere, juxta ac glorioſis corporum dotibus ſpectabiles illas faces plenius etiam, & eò paulò felicius æmulentur. Alterum eſt horribilis illa maledictionis æternæ comminatio, quam Paſtor ille ſupremus in Paſtores nominis, officii, rationisque exigendæ parum memores fulminavit, quosque his acriter per Ezechielem Prophetam arguit :* Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos! nonne greges à paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, lanis cooperiebamini, gregem autem meum non paſcebatis, *Ezech. 34. Utique de eorum manibus ſanguinem animarum pereuntium requiret venturus Judex, dum à Paſtoribus officii adminiſtrati exiget rationem. Quapropter, ne quem hujusmodi maledictionis væ comprehendat, omni tædio fugato alacriter doctrinæ ſalubris pabulum gregi fidelium vobis commiſſo identidem ſuggerite, hacque ratione poſt hujus vitæ curriculum laboris doctrinæque traditæ, velut de apportato lucro talenti vobis concrediti reportabitis mercedem, fulgentes ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.*

MODUS TRACTANDI DOCTRINAM CHRISTIANAM.

IN catechizandis rudibus, opere nimirum & Deo gratissimo, & fidelibus pernecessario, ut uberior fructus proveniat, ante omnia praxim modumve scire necesse est, quē paucis subjiciā.

I. Tempus aptum his rudimentis tradendis est pomeridianum, ad quæ signo uno vel pluribus vocandi sunt omnes. Hoc ipso viri à potationibus, fœminæ, juvenes & juvenculæ ab otio plurimorum malorum seminario avocabuntur; & variæ libidinum ac scelerum species, quæ festis diebus in agris, hortis, vineis, ac nemoribus ab otiosis committi solent, cavebuntur; nimii lusus cessabunt, deniq; festi dies religiosiùs peragentur, sine quo vera pietas religioq; stare nequit. Si à Magistratu cujusque loci impetrari possit, ne ante absolutam Catechismi lectionem publicæ tabernæ pateant; Choreæ præsertim templo vicinæ eo tempore prohibeantur, id Catechista procurare non negligat.

II. In capaciori loco proximi sint Catechistæ pueri, & puellæ, non intermixti, sed loco distincti. Adulti ut volent, & honestas requirit, circumstent.

III. Catechista Clericali habitu decenter, non tamen superpelliceo, nec stolâ indutus, nec ex suggestu, aut loco, ex quo concio haberi solet; sed in alio convenienti, antequam lectionem ordiatur, unam aut alteram piam cantilenam

nam tempori (quantum fieri poteſt) congruentem præmittat.

IV. Cantu finito, lectionem auſpicaturus, militiæ Chriſtianæ ſignum, hoc eſt, crucem efformet, manum à fronte ad umbilicum, & à ſiniſtro latere ad dexterum ducendo. Signet deinde frontem, os, ac pectus. Dum autem majori minorive Cruce ſe ſignat, dicat clara voce vernacule: (*In nomine Patris,*) quem nulla interpoſita mora ſequentur Auditores. Deinde Catechiſta pergat, dicens: (*& Filij,*) quæ verba itidem repetent clara voce Auditores. Ac deniq; præibit Catechiſta recitando Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, decem Dei præcepta, quinque Eccleſiæ, & ſeptem Sacramenta. Hanc recitandi rationem nullo verbo mutato ſemper Catechiſta ſervabit, qua oratione petent à Deo gratiam proficiendi. Inter orandum omnes verſus Altare genua flectant, contra tamen Catechiſta ſtabit adverſus quos docet, aſpiciens, partim ut qua ſint modeſtia, obſervet; partim ut num rectè an ſecus ſignum Crucis efforment, videat.

V. His peractis à peritioribus exigat rationem lectionis noviſſimæ nuper habitæ, vel ipſos inter ſe committendo, ut ex ſe mutuo ſciſcitentur, vel ipſo unum aut alterum interrogabit. Cavebit tamen, ne adultos (ſalvo tamen meliori judicio) moroſis interrogationibus divexet: hac enim ratione illos à lectione Catechiſtica arcebit, quia publicam confuſionem continuo formidantes ab eadem ſe ſubtrahent, ut experientia conſtat.

VI. Repetitione facta, pergat in explicatione suscepta, & per quæstiunculas (quas plures esse tribus, aut ad summum quatuor aut quinque non convenit) sua proponat, quas clarè breviter, ac simplici suaviq; stylo explicabit, familiaribus item exemplis, quibus mirum in modum capitur vulgus, & docetur, dicta confirmabit, omni prorsus affectata gravitate relicta, si fructũ desiderat.

VII. Explicatione finita dictorum ab uno alterove exiget rationem: si quid bene dixerint, mirè laudabit, ut ad discendum etiam tenelli laude animi inflammentur. Eriget imbecilliores, suggerendo quæ non intellexerunt; ut animentur, præmiolis quoque donare diligentiores non prætermittat, quorum sumptus alii profectus puerorum, ac publicæ utilitatis cupidiores subministrabunt.

VIII. Ubi rationem dictorum exegit, hoc modo lectionem claudet. Omnibus denuò flectentibus genua signum Crucis formabit, & vernacula lingua præleget *Salve Regina* cum cæteris adjunctis. Hisce finitis iterum cantetur, ac tandem data benedictione omnes dimittat.

In magnis festivitatibus cùm fidei mysteria celebrat Ecclesia, ut Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, Resurrectionis, Ascensionis, &c. bonum erit modo jam dicto de mysteriis illis agere. In festis Sanctorum pietatis incitamento erunt egregia vitæ exempla Sanctorum, qui celebrantur; hujusmodi etiam alias referre utile ac jucundum fuerit, dummodo ex probatis historiis promantur.

QUÆ-

QUÆSTIONES PROOEMIALES.

LECTIO I.

De nomine Christiani.

Quis dicendus est Christianus atque Catholicus?



Respondeo *Marci* 16. *Joann.* 3. Qui Baptismatis Sacramento initiatus, JESU Christi Dei atque hominis salutarem doctrinam in ej9 Ecclesia *Matt.* 10. *v.* 23. profitetur, 1. *Corinth.* 10. *v.* 10. 1. *Timoth.* 4. *v.* 1. neque Sectis, vel opinionibus ullis ab Ecclesia Catholica alienis adhæret.

Unde dicimur Christiani?

Resp. A Christo, qui nos unxit oleo sanctificationis.

Ad quid nos obligat nomen Christianum?

Resp. 1. Ut pro Christo animam ponere non timeamus, exemplo SS. Sebastiani, Diaconi, & Blandinæ, & aliorum, qui per nomen Christianum ad martyrium sunt animati. Habemus præclarum exemplum ex Eusebio: *Quidam*, inquit, *cui nomen Diaconus, mira pœnarum genera pertulit, quæ longè humanam conditionem excedebant. Interim crudelitates torquentium se ridens, nunquam dignatus est aperire quis esset, quod genus suum, quæ patria, imò nec nomen fateri; sed de singulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis respondebat, nisi Christianus sum.*

sum. Hoc mihi nomen, hoc genus, hæc patria, aliud omninò nihil sum, nisi Christianus. Unde incredibili agitabantur insania, quòd proprium nomen extorquere non possent. Tandem candentes laminas æris & ferri erga inguinis loca adhibent, ita ut carnes ejus adustæ defluerent, sed immobilis permanebat, de cœlesti fonte humanas sopiens flammas, membris omnibus Martyr erat, & toto corpore unum vulnus horrebat. Periit in eo humana forma, adeò ut agnosci non posset quis esset, Christus tamen solus in eo agnoscebatur in hac voce sæpè ab eo repetita: Christianus sum. Ex Eusebio lib. 5.

S. Blandina tantâ à Christo gratiâ confirmata fuit, ut à prima luce ad vesperam tormenta semper innovantes carnifices victos se faterentur, stupentes quomodo spiritus in eâ remaneret, cùm nihil de corpore ejus per supplicia restaret. At illa (ut testata est) quoties Christiana sum *proclamavit, toties novæ vires corpori reddebantur, unde vox hæc sæpius ab eâ iterata sensum doloris extinguebat.* Surius 3. Maji in gestis Alexandri Papæ.

2. Obligat nos ad referendas Deo gratias pro beneficio vocationis ad veram fidem.

3. Obligat nos, ut huic nomini conformiter vivamus; si quis enim solo nomine Christiano glorietur, nec Christi virtutes imitari studuerit, sed potiùs vita Gentium vixerit, graviorem ethnicis reportabit damnationem. Hoc quondam miraculo declaratum fuit S. Macario Alexandrino. *Cùm enim ipse per desertum ambulans reperisset caput mortui cujusdam hominis, inspiratione quâdam interiori impulsus illud adjurans interrogat,*

num caput sit hominis fidelis, an verò infidelis? vim verò adjurationis calvaria illa sentiens, respondet se caput esse pagani hominis. Interrogat ulteriùs, ubi anima ejus moretur? respondet in inferno flammis æternis torqueri. Interrogat ulteriùs Macarius, num & ibi sint aliqui Christiani? respondet multos esse, & quidem profundiori loco, & graviùs torqueri, eò quòd gratiæ Christi ac meritis ejus rebelles, Christiano nomini conformiter non vixerint. In vita S. Macarii.

Unde quis dignoscitur esse Christianus?

℟. Ex signo Crucis, quod vivâ fide in fronte & pectore formare solet. Sicut enim in Ægypto Hebræi ab Ægyptiis per signum *Tau*, sic veri Christiani ab Ethnicis & Hæreticis per signum † Crucis distingvuntur, cujus usus ab Apostolorum temporibus per continuam traditionem ad nos usque pervenit. Teste Tertulliano de corona militis, cap. 3.

Quomodo formandum signum Crucis?

℟. Extensâ manu in fronte dicitur: *In nomine Patris.* Sub pectore: *& Filii.* Demum ab humero sinistro ad dextrum: *& Spiritus S. Amen.*

Cur in fronte dicitur: In nomine Patris?

℟. Quia Pater est principium Sanctissimæ Trinitatis.

Cur sub pectore: & Filii?

℟. Quia Filius Dei è cœlis in uterum Virginis descendens, pro nobis est factus homo.

Cur à sinistris ad dexteram?

℟. Quia per sinistram significatur peccatum, & maledictio; per dexteram verò gratia: Christus

ſtus autem per mortem Crucis nos à peccato & maledictione liberatos gratiæ reſtituit.

Quomodo formandæ tres parvæ Cruces?

℞. Contractâ in pugnam manū ſolo extenſo pollice formatur in fronte Crux ita: à ſiniſtris ad dexteram dicendo: *In nomine Patris.* Secundò, ſupra os, dicendo: *Filii.* Tertiò, ſuper pectus, dicendo: *& Spiritus Sancti, Amen.*

LECTIO II.

De utilitate & efficacia S. Crucis.

Ad quid utile eſt ſignum Crucis?

℞. AD multa. 1. enim utile eſt ad excitandam fidem erga SS. Trinitatem, quam in eo explicitè confitemur.

2. Excitatur memoria paſſionis, & ſpes per Crucem obtinendæ remiſſionis peccatorum. Ad hunc enim effectum in turribus Eccleſiarum locatur Crux geſtans gallum, ut peccatores memores peccati Petri, & veniæ per Crucem obtinendæ excitentur ad ſpem & pœnitentiam. Similiter morituris exhibetur Crucis ſignum, ut de ſuis meritis diffiſi ſpem omnem reponant in Crucifixo.

3. Plurimum valet contra pericula peccati, tentationes, & motus pravos cordis & carnis. Exemplum habes de S. Thoma Aquinate, *quem fratres in caſtro ſuo recluſerant, ut à propoſito dimoverent ſuſcipiendæ Religionis. Cùmque verbis ac minis nihil proficerent, puellam introduxerunt, quæ ejus con-*

ſtan-

stantiam blanditiis ac voluptatis sensu labefactaret. At juvenis arrepto titione fugat hunc inferni titionem, & thesauri pretiosi castitatis prædatricem. Cùmque variis cogitationum tumultuantium fluctibus, & carnis stimulis agitatum se deprehenderet, Crucis signum titione format in pariete, & coram illo advolvitur, ut motus hos sedare possit in memoria & vulneribus Crucifixi; ibi obdormiens sensit sibi lumbos à duobus Angelis præcingi quasi perpetuo cingulo castitatis: ex eo enim tempore nunquam carnis ullam sensit rebellionem. In vita ejus 7. Martii.

Illud verò planè mirabile est, quod refert Gretserus de puero Judæo, qui postea baptizatus Constantinus est vocatus. *Cùm matrem nescio quò euntem sequeretur, vidit hominem Christianum, qui dum in terræ scrobem laberetur, signum crucis ori imprimebat, puer illius secutus exemplum, deinceps se cruce sæpè signabat; sacraque tandem Christiana amplexus est, & ardenti fide prosecutus. Cùm puella Hebræa pudoris extorquendi causâ eum invaderet, illam repentè signo crucis exanimavit, rursumque eodem signo in vitam posteâ revocavit. Hic cùm Præfecto Monasterii statum vitæ suæ exponeret, jubet ille proferri crucem, & ab eo salutari. Crucis cùm pedem oscularetur, totâ fronte & brachiis crux se in sancti pueri verticem submittens, characterem crucis fronti indelebilem impressit, quem per omnem posteà vitam servavit. Dignus ergo Baptismi gratiâ judicatus, & Constantinus dictus.* Gretserus l. 5. de Cruce c. 43.

Rideant ergo & subsannent Hæretici signum Crucis, dicentes, aptum illud esse ad abigendas

muſcas. Nos eis dicimus, in hunc finem à nobis etiam formari, ſcil, ad fugandas (a) *muſcas morientes, quæ perdunt ſuavitatem unguenti*, hoc eſt, ad repellendas pravas cogitationes, quæ velut muſcæ circumvolant nos, & infeſtant, paratæ aculeum infigere, & mortem animæ, ſi eis per conſenſum locum dederimus, & niſi hoc ſigno velut flabello eas fugaverimus. Hæ ſunt muſcæ, quæ perdunt ſuavitatem ungventi devotionis, & divinæ gratiæ, & proveniunt à principe dæmoniorum, qui Beelzebub dicitur, quod ſonat *Deus muſcarum.*

LECTIO III.

De efficacia Crucis contra dæmones, eorumq; miniſtros.

Nunquid valet ſignum Crucis contra dæmones?

℟. VEl maximè; ſuadet enim Cyrillus, nos ſæpè crucem fronti imprimere: *Dæmones enim, inquit, Regis ſuperni hunc characterem obſervantes, territi fugam arripient. Catech.* 4. Et alibi: *Crucem* dicit, *fidelium eſſe gratiam, dæmonum verò terrorem.* Item alibi: *Ut canes fuſtum, ita dæmones fugiunt crucem.*

Cur eam tantopere expaveſcunt?

℟. Quia per Crucem Chriſtus ab eorum poteſtate nos liberavit. Hinc fit, ut in præſentia illius propter ingens opprobrium, quod paſſi ſunt, fugere cogantur, nihilq; efficere valeant; quod probatur exemplo, quod habetur in legenda SS.

(a) *Eccl.* 10.

da SS. Cypriani & Justinæ. *Cyprianus ante magiæ deditus, conatus est per incantationes & veneficia ad illicitos amores cujusdam juvenis S. Justinam virginem allicere, quæ omnes illius conatus virtute signi crucis cum plena fide facilè superavit. Cùmque plures sæpiùs dæmones immisisset, fateri coacti sunt, nihil se post multas præstigias in eam potuisse, sed virtute signi Tau, quod apud virginem erat, omnem suam virtutem elisam fuisse. Unde factum est, ut relictis magicis artibus Cyprianus, totus se ad Christi fidem converterit, ac posteà simul cum S. Justina præclaro martyrio sit coronatus.* Surius 26. Septembris.

Nunquid etiam valet signum crucis contra dæmonis ministras, earumque præstigias?

℟. Quinimò, tantæ enim est efficaciæ contra veneficas, earumq; præstigias, ut earum veneficia intentum non sortiantur effectum. *Refert* Bartholomæus Spineus *de quadam saga, quæ confessa fuit, quòd noctu plus quàm quinquagies domum cujusdam vicini adiisset, ut puerum in cunis suffocaret; nec quicquam potuisse, eò quòd invenerit eum semper munitum signo Crucis.* quæst. de Strigib. c. 17.

Alterum contigit Spiræ Anno 1484. *Quædam devota mulier verba habuerat cum suspecta malefica rixosa more mulierum, nocte cùm puerum lactantem cunis imponeret, cœpit cogitare de hac rixa. Timens puero, aquâ benedictâ eum aspersit, signoque crucis munivit: ecce circa noctis medium audit puerum vagientem, cùmque vellet amplexari, non invenit, tremens ergo paupercula, deque pueri amißione dolens, lumine accenso, vagientem sub lecto in angulo sine læsione invenit.* Jac. Springerus in malleo malef. p. 2. q. 1.

Hoc ipsum bene advertant parentes, ne unquam proles cunis imponant, aut ex iis levent, quin eas hoc crucis signo muniant, quod est protectio firma, & scutum inexpugnabile contra dæmonis, ejusq; ministrorum incursus.

Quando potissimum crucis signum formandum?

℟. S. Hieronymus ad Eustochium dicit: (a) *Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem.*

S. Cyrillus ait: (b) *Non pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis, & in egressu, & ingressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo.*

Cur cibum & potum cruce signamus?

℟. Ut si fortè sint toxico aut veneno infecti, per efficaciam S. Crucis malum omne dissipetur, velut factum legimus S. Benedicto: *Qui dum porrectum sibi calicem ab invidis veneno infectum cruce signaret, velut impactu lapidis vas fregit, venenumque totum effusum est.* Greg. l. 2. Dial. c. 3.

Quâdam die una Dei famula ex eo monasterio, cui præerat Equitius, hortum ingressa est, quæ lactucam conspiciens concupivit, eamque crucis signo benedicere oblita, avidè momordit; sed arrepta à dæmone protinus cecidit. Cùmque vexaretur, Equitio, hujus Monasterii Virginum Patri, sub celeritate nuntiatum est, ut veniret concitus, & orando succurreret. Moxque hortum idem Pater ut ingressus est, cœpit diabolus ex ore

(a) *Epist.* 22. (b) *Catech.* 13.

ore virginis clamare: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum gravi increpatione vir Dei præcepit, ut discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam ultra contingere prævaluit. S. Greg. l. 1. Dial. c. 4.

Aliud exemplum vide in Voglero fol. 99. de Fratre Ord. S. Dominici sine prævio crucis signo bibente, & à dæmone possesso.

Cur se cruce signant oscitantes, & sternutantibus unde benè precandi consuetudo?

℟. *Anno Domini 590. tempore Agilulphi Italorum Regis IV. vehementer indies sæviebat pestilentia. Ad cæteros autem casus, quibus homines fœdè passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quòd multi cùm sternutarent, alii cùm oscitarent, repentè spiritum emittebant. Quod cùm sæpiùs eveniret, consuetudo inducta est, quæ nunc etiam observatur, ut sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum crucis admovendo præsidium quærerent.* Flores exempl. c. 1. tit. 42.

LECTIO IV.
CAPUT PRIMUM.
De Fide.

Quid est Fides?

℟. Fides est donum Dei, *Joan. 6. v. 29. Ephes. 2, v. 8.* quo firmiter assentimur iis, quæ revelata sunt, sive scripta illa, 2. *ad Thess. v.* 14. sint, sive non sint.

Estne fides ad salutem necessaria?

℟. Omninò, quia teste Apostolo (a) *sine fide impossibile est placere DEO.* Fides enim janua est nostræ salutis, sine qua Deum invenire & invocare, Deo servire & placere nullus in hac vita potest. *Credere enim oportet accedentem ad Deum,* inquit idem Apostolus. (b) *Qui verò non crediderit, condemnabitur, & jam judicatus est,* ex Christi sententiâ.

Quæ est vera fides ad salutem necessaria?

℟. Est sola fides Catholica, Apostolica, Romana, quam Christus fundavit, & huc usque in Ecclesia Romana inviolata perseverat.

Potestne quilibet in sua fide salvari?

℟. Nequaquam: non enim sufficit dicere, ut quidam Acatholici: Omnes credimus in Christum; sed insuper oportet credere explicitè duodecim, & alios fidei articulos, qui nobis ab Ecclesia Catholica credendi proponuntur. In illa ergo fide, in quâ docentur errores fidei Catholicæ contrarii, nemo salvari potest. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Matth. 28, Nam si quilibet in sua fide salvari posset, quid necesse esset tot controversias & lites excitare? Cur Lutherani excludunt Calvinistas, & Catholicos, & ii vicissim illos? Item, si quilibet in sua fide salvari possit, maneat quisq; in sua fide, cessent persecutiones & anathemata, conservetur pax & tranquillitas. Audi quid hâc de re sentiat D. Augustinus, qui libro de fide ad Petrum

(a) *Hebr.* 11. (b) *Ibidem.*

Petrum sic ait: *Firmißimè tene, & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes Judæos, Hæreticos, atq; Scismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Firmißimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum sive Schismaticum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunq; eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.* Hæc ille. Quæ potissimùm intelligenda sunt de iis, qui pertinaciter errorem defendunt, aut ei adhærent. Qui verò inter hæreticos versantur, nec hæresim pertinaciter defendunt, sed parati sunt veræ Ecclesiæ sociari, vel ea credere, quæ vera Ecclesia credit, si informentur, & etiam pro possibili Ecclesiam Catholicam quærant, tales licet actu in communione Ecclesiæ non sint, tamen jam baptizati, voto in Ecclesia sunt, & tales salvari possunt, si alioquin quod Deo placitum est, agant. & de peccatis verè doleant.

Sufficitne sola fides ad salutem?

℟. Nequaquam, sed ad vitam æternam consequendam opus est, ut mandata Dei & Ecclesiæ observemus, omniq; virtutum & bonorum operum genere exerceamur, juxta doctrinam, quam Christus Magister noster olim Legisperito tradidit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* (c) & alibi: *Non omnis qui dicit mibi Domine, Domine, in-*

(c) *Matth.* 19.

me, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. (d)

Qualis debet esse fides nostra?

Resp. Debet esse firma, quæ innititur Deo, qui est prima veritas.

Perditne totam fidem, qui de uno solùm articulo dubitat, aut unum articulum non credit?

Resp. Perdit omninò, si est pertinax, quia fides debet esse integra & firma.

Sufficitne credere quæ in Scriptura continentur?

Resp. Non sufficit, sed insuper oportet credere traditiones.

Cur hoc?

Resp. Quia non omnia fidei mysteria continet Scriptura; quædam enim credenda scriptis mandata non fuerunt, sed per continuam traditionem ad nos usque pervenerunt, quas traditiones ipsi Hæretici admittere quandoq; coguntur, ut experientiâ constat.

Quod est oppositum peccatum fidei?

Resp. Est hæresis, numeraturq; inter gravissima peccata, quia destruit fidem, quæ est primũ inter dona Dei fundamentum, cæterorum & radix, quâ succisâ charitas, & cætera dona intereunt; ita, ut totum salutis & virtutum ædificium usque ad fundamentum diruatur, dum homo in hæresim labitur. Refert de Agathone Evagrius, *quòd tantæ fuerit humilitatis, ut multi ad eum solâ famâ exciti venerint visuri num ita esset, & ejus humili-*

(d) *Matth.* 23.

militatem tentatione exploraturi. Hos ille cum humilitate suscepit; cùmque narrarent, de illo multa pessima spargi, quòd esset plenus superbiâ, hypocrisi, odio, irâ, impudicitiâ, gulâ, &c. fatebatur ille omnia, addens se mortalium esse pessimum. Cùm verò subderent: intelleximus etiam quòd hæreticus sis, statim silentio rupto: Absit à me, inquit, ut unquam sim hæreticus. Quærentibus autem, cur hæresim potiùs quàm alia crimina, quæ sciebant eum non patrâsse, negaret, respondit: Alia crimina infirmitatis sunt, & hominem adhuc Deo per fidem unitum relinquunt; Hæresis verò est pertinaciæ, & nota malitiæ, quæ omni modo nos à Deo divellit, tollens fidem Deo, nos primo quasi vinculo unientem & ligantem. In vit. PP. lib. 10, §. 10.

De malis, quæ inducit hæresis, vide Marchan. Hort. Past. Tract. 1. lect. 6.

Peccantne contra fidem, qui legunt aut retinent libros hæreticos?

Resp. Graviter quidem, & præter peccatum mortale incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. Ratio, quia præsentissimo periculo perversionis se exponunt; dum enim in libris istis nomen Domini, nomen Christi, & dulces sermones ac benedictiones, scripturasq; eloquentiæ colore fulgidas inveniunt, nil ibi contineri nisi pietatem putant; sicq; dum lectione pascuntur, sensim venenum in animos eorum serpit: nec considerant, nil tam esse sacrum, quo malignus spiritus non abutatur quasi escâ, quâ in sua retia trahit improvidos. Quantum verò damni sibi procuret, qui libros hæreticos legit,

vel domi suæ retinet, exemplo patet, quod refert Joann. Moschus in Prato spirituali: *Accessimus, inquit, ad Abbatem Cyriacum Presbyterum, narravitq́; nobis: Die quâdam vidi per somnium mulierem honestâ facie, purpurâ indutam, & cum eâ viros duos, & ipsos venerando habitu, & aspectu præclaro, arbitratus autem sum mulierem illam esse Dominam nostram Dei Genitricem, eosque, qui cum eâ erant, duos viros S. Joannem Baptistam, & S. Joannem Evangelistam. Egressusq́; de cella orabam eam, ut ingrederetur, quæ non consensit; permansi ergo diutius orans, ac dicens: Ne quæso avertatur humilis factus confusus; & alia similia. Illa igitur, ut me videt instare precibus, respondit mihi severiùs: Habes intra cellam tuam tuam inimicum meum, & vis ut ingrediar? & his dictis abscessit. Evigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam, num aliquod in mente peccatum contra illam admisissem, neq́; enim erat alius aliquis in cella mea, nisi ego solus, diutiùs autem me ipsum discutiens, nihil inveni quod in ipsam peccâssem; cùm verò vidissem, me nimio mœrore absorberi, surgens accepi librum ut legerem, quo per hujusmodi lectionem dolorem, cogitationesq́; repellerem. Librum autem ipsum mutuo acceperam à B. Hesichio Presbytero Hierosolymitanæ Ecclesiæ, evolvensq́; librum, inveni duos impii Nestorii libros in fine voluminis scriptos, moxq́; agnovi, hunc esse Dei Genitricis semperq́; Virginis Mariæ inimicum. Tunc surgens abii, librumque ei, qui mihi eum accommodaverat, reddidi dicens: Accipe librum frater, neque enim ex eo tantum utilitatis cœpi, quantum detrimenti. Cùm verò ille detrimenti illius causam sciscitaretur, omnium illi*

ordinem retuli, qui zelo Dei succensus protinus duos illos Nestorii libros præscidit, eosq́; igni tradidit: Non manebit, inquiens, in cella mea Dominæ nostræ S. Dei Genitricis semperq́; Virginis inimicus. Joan. Moschus in Prato spirituali c. 46. in vita PP. lib. 10. c. 46.

Quid igitur faciendum cum libris hæreticis?

Resp. Vel sunt comburendi, vel restituendi iis, ad quos talium lectio pertinet.

LECTIO V.

Explicatio Symboli Apostolorū.

Quot sunt Articuli Fidei?

Resp. DUodecim, juxta numerum duodecim Apostolorum, quos post Spiritus S. missionem, antequam in mundum universum dividerentur, composuerunt Apostoli, ut unam formulam tenerent, & proponerent iis, quos ad unitatem fidei erant vocaturi.

ARTICULUS I.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorē cœli & terræ.

Cur in Symbolo primo dicitur Credo?

Resp. Quia credere est primus actus Christiani, fundamentum nostræ salutis, quia Apostolus ait: (a) *Accedentem ad Deum oportet credere.* Idem Philippus omnium primo interrogavit Eunuchum, qui post instructionem petens baptizari,

(a) *Hebr.* 11.

dixit: (b) *Si credis ex toto corde, licet;* ait Eunuchus: *Credo,* sicq; à Philippo fuit baptizatus.

Quid est credere?

Resp. Credere est, firmissimè & absque dubitatione confiteri, corde & ore assentiri iis omnibus, quæ nobis à Deo revelata sunt, & ab Ecclesia Catholica credenda proponuntur, & ideo vel maximè, quia prima veritas, scilicet Deus, revelavit, aut dixit.

Quid est credere in Deum:

Resp. Est Deum credendo amare, honorare, in ipsum solum sperare & confidere, timere, præceptis ipsius obsequi.

Quid est Deus?

Resp. Sicut nemo unquam vidit Deum, sic nemo divinam ejus naturam explicare potest, nec ullo humano sensu aut intellectu comprehendi valet. In genere tamen: Deus est æterna illa mens, vel substantia spiritualis, quâ nihil potest esse majus, nec sapientius, nec melius, sine initio, sine fine, simplex, sine ulla admixtione, invisibilis, incorporea, immensa, ineffabilis, inæstimabilis, quæ est ipsum esse, & à qua venit rebus cognitis ut sint. *Breviter.* Deus est summum, æternum, infinitum bonum, à quo omne bonum profluit, &c. Licet verò non possit à nobis satis intelligi quid sit Deus, tamen docendus est populus rudis, ut non concipiat Deum tanquam quid materiale, aut personam corpoream, ut solet; sed tanquam naturam & essentiam spiritualem & infinitam, incomprehensibilem,

(b) *Actor.* 8.

immensam, infinitæ perfectionis, potentiæ, bonitatis, sapientiæ, quæ semper fuit, est, & erit.

Quot sunt Dii?

Resp. Est unus in essentia, & trinus in personis; quod declaratur exemplo animæ, in quâ sunt tres potentiæ, scilicet: intellectus, voluntas, & memoria.

Cùm sint tres Personæ, scilicet: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, estne quælibet istarum Deus?

Resp. Est omninò.

Cur ergo non sunt tres Dii?

Resp. Quia habent unicam divinam naturam.

Quæ harum Personarum est potentissima, maxima, vel præcipua?

Resp. Omnes tres sunt æquales.

Fuitne una ante aliam?

Resp. Nequaquam, sed omnes ab æterno fuerunt simul. Hoc verò mysterium Trinitatis simplici fide credendum est, non verò curiosè scrutandum, quod ipsum D. Augustinus ab Angelo reprehensus didicit: *Cùm enim ad littus maris ambulans, multa de Trinitatis mysterio meditaretur eo tempore, quo libros de Trinitate componebat, apparuit ei puerulus, qui factâ fossulâ cochleari aquam è mari, & in illam fossam fundebat: inquirit Augustinus quid rerum ibi ageret? respondit: vellem totum mare hanc in fossam fundere. At ille subridens: Quomodo, inquit, ô bone puer, id poteris? ingens est mare, parvum cochlear, & parva fossa, in quam fundis. At ipse: Facilius mihi id, quàm hoc quod cogitas; volvis enim & æstimas brevi volumine mysterium ineffabile concludere, &*

antequam id possis, isti fossulæ potiùs infundere totum mare. Quo dicto disparuit, & Augustinus Deum glorificans, quàm verum dixisset advertit. Cantip. lib. 2. Apum. cap. 48.

LECTIO VI.

Cur additur Patrem?

Resp. PRimò propter generationem æternam unigeniti Filii sui. 2. Propter creationem, utpote quia principium & origo omnium, & prima in Trinitate persona. 3. Propter nos, quos per Filium suum in filios adoptavit.

Quid significatur per Omnipotentem?

Resp. Quòd nihil Deo sit impossibile, potest enim facere quod vult, licet nobis quandoq; impossibile videatur. Ut patet in historia de Daniele, Josepho, Susanna, Davide, & aliis. Exemplum miræ omnipotentiæ divinæ vide in Voglero fol. 97. de Philomene Mimo, & Martyre.

Estne solus Pater omnipotens?

Resp. Nequaquam, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus; non tamen sunt tres Omnipotentes, quia una est divina natura.

Quid significatur per Creatorem?

Resp. Quòd Deus omnia ex nihilo creaverit, & hoc solo jussu: (a) *Dixit enim & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Sicq; effecerit, ut non aliter omnes res creatæ ab ipsó dependeant, atq; lumen aëris à Sole; nisi enim Deus hoc ipsum conti-

(a) *Ps.* 148.

continenter quod ſumus conſervaret, in nihilum redigeretur omnis creatura.

Quid ſignificatur per: Cœli & terræ?

℟. His duabus vocibus comprehendi omnia opera Dei, quæ creavit, non ſolùm ſine materia præcedente, ſed etiam ſine adjutore, ſine inſtrumentis, ſine labore, ſine tempore, ſolo ſuæ voluntatis imperio. Sub nomine *cœli* autem intelliguntur Angeli boni & mali, volucres cœli, firmamentum, & cœli. Sub nomine *terræ* homines, animalia, montes, colles, maria, fluvii, piſces, &c. Dicitur etiam *cœli & terræ*, quia viſibilia omnia & inviſibilia, cœleſtia, terreſtria, corruptibilia & incorruptibilia fecit.

Cur Deus creavit hominem?

℟. Propter illum finem, ut aſſequeretur vitam æternam, & locum Angelorum apoſtatarum impleret.

Cur Deus creavit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt?

℟. Omnia creavit Deus propter hominem, ut per ea tanquam media finem ſuum aſſequeretur.

Quid homo propter hæc debet Deo?

℟. Reverentiam, amorem, & obedientiã, &c.

Ubi eſt Deus?

℟. In cœlo, & in terra, & in omni loco, omnibus præſens, omnia audiens, omnia videns, cujus præſentiæ memoria frænum eſt, efficaciter nos retrahens à peccato. *Hoc fræno à peccatis retraxit Abbas Paphnutius famoſam meretricem Thaidem, quam cùm acceſſiſſet quaſi carnale deſiderium comple-*

cturus, (reverà tamen non nisi occasionem captans revocandi eam ad viam salutis) significavit se annuere operi carnali, si modò in locum tutum, & omninò secretum duceretur. Duxit illa Paphnutium in cubiculum quoddam: at ille dicit locum non esse tutum, sed facilè ipsos ab aliquo videri, aut audiri posse. Deducit ergo illum in cubiculū remotius; at excusat se iterum dicens: se quoq; timere aliquem. Cùm tandem illum in alium locum secretissimum introduxisset, dixit neminem ibi eos videre posse, nisi Deum, aut dæmonem. Arripuit ipse ex hoc occasionem arguendi, & exprobrandi ei cæcitatem, quòd credens Deum ibi esse, audeat in ejus præsentia, quod in præsentia hominis non auderet. Et id fecit tantâ verborum efficacià, ut Deo interiùs cooperante, & tunc summum peccati horrorem conceperit, & quicquid meretricio lucro acquisierat, in medio Alexandriæ mox igne consumpserit. Posteà in secretum pœnitentiæ locum transiens, post triennalem rigorosissimam pœnitentiam ad Dominum beata migravit. Anno salutis 344. In vitis PP. lib. 1.

ARTICULUS II.

Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.

LECTIO VII.

Quid secundus docet Articulus?

℟. Secundam in Trinitate Personam.

Sufficitne fide cognoscere Deum Creatorem omnium?

℟. Post hominis lapsum non sufficit, sed necessa-

cessarium est illius habere notitiam, per quem redempti sumus, hic est Filius DEI, secunda in Trinitate Persona, non minus atque Pater verus Deus. *Cur dicitur Jesus?*

℟. Hoc nomen sonat Salvatorem. Dicitur Jesus, quia humani generis verus & perfectus Salvator est, quia populum suum salvavit de peccato, in quod inciderat. (a) *Ipse enim salvum fecit populum suum à peccatis eorum.* Quod fuit figuratum in filio Josedech, qui populum Israëliticum è miseriis Babylonis abduxit.

Cur inclinamus aut genuflectimus dum nomen Jesu profertur?

℟. Ob maximam dignitatem hujus nominis, atq; ob gratitudinem, quam ipsi exhibere tenemur ob beneficium redemptionis, &c. (b) *Humiliavit semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usq; ad mortem,* &c. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Si namque ob temporale nobis præstitum beneficium alicui homini reverentiam, amorem, & obsequium exhibemus, quantò magis, &c.

Quid efficaciæ habet nomen Jesu?

℟. Nomen hoc, si devotâ mente proferatur, efficacissimum est ad propulsandas insidias inimici. Ut patet in hist. seq. de Thoma à Kempis, viro admodum religioso, *quem volens deterrere nocte quâdam tartareus hostis, in forma horrenda eidem*

(a) *Matth.* 1. (b) *Philipp.* 2.

apparuit; hunc cùm Thomas lecto appropinquantem vidisset, primùm ad larvalem intuitum exhorruit, & quid auxilii sumeret, ignoravit. Tandem divino Spiritu admonitus Angelicam salutationem tremulâ voce cæpit, ut melius potuit, personare; sed diabolus ad hanc salutationem quasi nil motus, magis trepido appropinquavit, donec Thomas in prædicta salutatione ad illa verba perveniret, Jesus, *quod terrificum nomen ut dæmon audivit, quasi horrendo quodam tonitru pavefactus, vultum vertit, & quàm citissimè potuit, ad clamantis vocem aufugit. Videns igitur Thomas ad tanti nominis virtutem dæmonem stare non posse, audaciùs caput pavidum erexit, & repetitis vicibus nomen Jesus post fugientem hostem inclamavit, & quò ipse inclamavit fortiùs, eò vehementiùs teter spiritus fugiebat. Quod ubi cognovit religiosus vir, gratias agens Deo dixit apud se: si hoc sanctissimo nomine possim tam facilè adversæ potestatis vires infringere, de cætero nolo, ut hactenus feci, vel dæmonum machinamenta timere, vel sub eorum (quamvis horrendis) minis vacillante fide trepidare.* Spec. Exempl. verbo Salut. Angel. ex. 4.

Quando hoc nomen Jesu efficacissimum?

Resp. Dum plenâ fide profertur, tum vel maximè, quando proferens est, vel esse studet amicus Jesu.

Quid faciendum est, ut Jesus habeatur amicus?

℟. 1. Observanda sunt ejus mandata. Deinde vita juxta exemplar ejus instituenda, in iis se exercendo virtutibus, quæ ipsi gratissimæ sunt, quales sunt humilitas, castitas, pudicitia, &c. Cùm enim ipse sit sponsus virginum, eos maximè di-

mè diligit, qui sunt amici castitatis, quod patet in historia, quæ refertur de S. Edmundo, cujus lateri quotidie ob insignem vitæ castimoniam in Scholis, licet invisibiliter, adhærebat, quod manifestè Jesus declaravit, quando Lutetiæ Parisiorum studiis vacanti apparuit. *Cùm enim hic puer adhuc cum condiscipulis suis laxandi animi causâ in vicina prata egressus, & à sodalium globo ob nescio quas fabulas nugasque, quas illi effutiebant, seorsim deambularet, astitit ei ex improviso puer miræ pulchritudinis, & qualem Sponsa describit in Canticis,* (c) candidus & rubicundus, electus ex millibus, *qui videnti ac læto vultu ait: Salve mi dilectissime. Ad quæ cùm primâ fronte consternatus erubesceret Edmundus, addit divinus puer: mene ergo non cognoscis Edmunde, qui quotidie in Scholis lateri tuo adhæreo? age vide in fronte mea quid legis? aperit verecundos oculos Edmundus, videtq; aureis literis exaratum:* JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Ex Surio tom. 6. Pædagogus Christianus, p. 1. c. 5. §. 7.

Quando potissimum proferendum est nomen Jesu?

Resp. 1. Quoties insurgunt tentationes diaboli, ut cogitationes pravæ ac turpes, easq; efficacissimè repellit. 2. Quoties versamur in periculo, ut virtute hujus nominis à malo præservemur. 3. Dum vesperi incumbimus, ultima verba sint *Jesus Maria.* Cavendum tamen, ne leviter aut in rebus ludicris proferatur, &c. Quàm efficax sit in periculis nomen Jesu invocatum, patet in subjecta historia. Scribit Martinus del Rio:

(c) *Cant.* 5.

In Silesia Nobilis cujusdam domum, eò quòd dæmones execrando invocâsset ut venirent, ut epulas, quas pro convivis invitatis, sed emanentibus apparaverat, absumerent, ingenti spectrorum diabolicorum numero occupatam, è qua cùm omnes territi fugissent, solus in cunis infantulus relictus est. Cùmque dæmones mirum in modum debacchantes infantulum etiam per fenestram minitabundi ostenderent, servus nomen Jesu invocans & inclamans in mediam dæmonum turbam irruit, & puerum illis nequicquam repugnantibus virtute nominis Jesu extorsit, & salvum incolumemq; exportavit. Martin. Del Rio l. 3. Disp. p. 1. q. 7. sect. 1.

Mirabile est, quod recenset Bernardinus de Bustis Ordinis nostri famosissimus Concionator: *Fœmina,* inquit, *quædam à diabolo desperationis tentatione importunissimè agitata, tandem ab eo persuasa fuit, ut seipsam suspenderet; illâ respondente laqueum sibi ad id idoneum deesse, diabolus statim porrexit ei ferream catenam, quâ collo applicatâ se suspendit è trabe ad id à diabolo ostensa. Desperata ergo sic, ut erat, pendente, alia è domo mulier supervenit, quæ timore percussa nomen Jesu fortiter inclamavit, audito nomine Jesu catena illa diabolica evanuit, & suspensa, quæ necdum mortua erat, decidit, & paulò post ad se rediens peccatum agnovit, ac scelus confessa maligni hostis fraudem effugit.* Ex Fornero de nomine Jesu.

Mulier quædam pia, & alioqui satis honesta à nefaria quadam saga vetula persuasa consensit, ut secum ad nocturnas sagarum commessationes & tripudia à bajulo ejus, quem vocabat, socio deveheretur. Insidens autem diabolico illo vehiculo, duo cavere jubebatur:

pri-

primò, ne vel Cruce se signaret, vel Jesu nomen exprimeret. At verò illa in sublime rapta, ingenti quodam horrore concutiebatur; unde pro pia, quam ab infantia imbiberat, consuetudine Jesus inclamavit. Et ecce bajulus illam amplius sustinere non valens, illicò è sublimi cadere permisit in prato non parum ab ejus habitatione distante: domum itaq; corpore non satis benè composito deportata, quod gestum erat vix celare domesticos valens, seriò pœnitens gravi deinde ac diuturna dæmonis vexatione temeritatem suam expiavit, donec tandem virtute nominis Jesu perfectè liberaretur. Ex Fornero ibidem.

4. Extremo spiritu hoc nomen Jesu ingeminandum. Ut quis per medios militum cuneos, per frequentes ex omni parte excubias nocte intempestâ securiùs in castris transeat, militari tessera duntaxat opus est. In supremo vitæ agone tesserario nomine Jesu instructus, omnes infernorum insidias, omnes dæmonum catervas intrepidus penetrabit, ubi illud nomen reddiderit, ut verus Christi miles agnitus salvus evadet, teste Prophetâ: (d) *Omnis qui invocaverit nomen Domini,* (quemadmodum oportet) *salvus erit.* Et ut Princeps Apostolorum ait: (e) *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Imò S. Bernardinus Senensis Ordinis nostri Seraphici, verbi Dei Præco famosissimus, ac hujus nominis cultor eximius, tantam vim huic nomini inesse affirmat, ut homini in extrema lucta omni Confessarii ope destituto, ad veram con-

(d) *Joel.* 2. (e) *Act.* 4.

contritionem eundem suaviter excitando salutem afferre Religiosissimi viri probet testimonio. *Ut*, ait, (f) *verba Cassiodori Senis & Monarchi venerabilis inseramus, hic Prophetæ versus: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo, tantum virtutis creditur habere, ut nonnullis diceretur posse hominibus peccata dimittere, si cùm quis in fine vitæ suæ interna confessione devoto corde ingeminet.* Ad hoc ut omnes incitemur, tot Summi Pontifices, pronunciantibus sacrosanctum nomen in articulo mortis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessêre. Quare dicamus fervidè & fidenter: *Jesu amabilissime, Jesu suavissime, Jesu desideratissime, Jesu, per dulcissimam Matrem tuam miserere mei agonizantis: Domine Jesu Nazarene, Rex Judæorum, in manus tuas commendo spiritum meum.* Ex Engelgrave in Festo Circumcisionis.

LECTIO VIII.

Cur additur Christus?

℟. SAncti Apostoli hâc voce innuunt Jesum esse verum Messiam per Prophetas promissum.

Quid significat Christus?

℟. Christus idem est quod unctus; & quia olim sacro oleo inungebantur Sacerdotes, Reges & Prophetæ, credimus Jesum nostrum esse Sacerdotem summum, Regem Regum, & Prophetam, unctum non oleo corporali, nec ab hominibus;

(f) *S. Bernardin. serm. 48. art. 2. c. 4.*

bus; sed gratiâ Spiritus Sancti, seu oleo spirituali à Deo Patre: est igitur Christus summus Sacerdos, summus Rex, summus Propheta. Est summus *Sacerdos*, & Aaronici Sacerdotis munus & actum exercuit in ara Crucis, scil. cruentum sacrificium offerens corpus suum cum vera sanguinis effusione. Incruentum verò, secundùm ordinem Melchisedech, qui præcessit Aaronem tempore, sub specie panis & vini suum corpus & sanguinem in ultima Cæna Deo Patri obtulit, & Apostolis dedit. *Rex* est, quia acceptâ potestate in cœlo & in terra universam creaturam moderatur, leges condit, officia orbis distribuit, judices mundi constituit, hostes debellat, subditos tuetur. Illi nos in Baptismo nomen dedimus. Est *Propheta*, de quo Moyses: (a) *Prophetam suscitabo eis.* Prophetarum erat populum ad meliorem vitam hortari, futura prædicere, multa revelare. Hæc quoad vixit abundè præstitit per seipsum: nunc verò in cœlis residens per ministros suos Concionatores, Pastores, Cõfessarios, & Doctores agit, per quos instruit nos, occulta vulnera cordis tangit, futuri judicii severitatem prædicit, præmium æternæ gloriæ proponit.

Cur dicitur: Filium ejus unicum, *nunquid & nos filii Dei sumus?*

℟. Credimus Christum esse naturalem DEI Filium, quem Pater ab æterno genuit, & gignit perfectum ex se sine opera matris. Nos filii per adoptionem, & omnes justi regenerati lavacro Baptismi, Christiani sanguine & passionem redempti,

(a) *Deut.* 18.

dempti, omnes etiam homines per creationem ſunt filii Dei: (b) *Nonne ipſe eſt pater tuus?* &c. Naturâ ergo unus & unigenitus DEI Filius eſt Chtiſtus, gratiâ autem & adoptione omnes juſti ſunt filii Dei.

Cur additur: Dominum noſtrum?

℟. 1. Quia ſecundùm divinitatem eſt Dominus noſter, ſicut & Pater, & Spiritus Sanctus. 2. Secundùm humanitatem eſt Dominus noſter, quia nos ab æterna vendicavit morte, & in libertatem filiorum Dei adſcripſit per mortem ſuam, unde Deus dedit ei omnem poteſtatem in cœlo & in terra; ideo particulariter Dominus noſter eſt. *Hinc Auguſtus Imperator cùm cognoviſſet ex Sybilla, Chriſtum naſciturum, ſtatuto ſancivit, ne quis eum Dominum appellaret.*

LECTIO IX.

ARTICULUS III.

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine.

Quæ ſumma hujus Articuli?

Reſp. JUbemur credere hoc Articulo eundem Filium, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, propter nos homines, non propter Angelos aut dæmones, ad portam cœli nobis reſerandam, deſcendiſſe de cœlis; non cœlis relictis, ſed novo modo humanâ aſſumptâ naturâ viſibili ratione nobis præſentem factum; cœlum & ter-

(b) *Deut.* 32.

& terram nihilominus sua Majestate divina complentem, nobis occulto & non spectabili modo.

Quid sibi vult conceptus?

Resp. Non dicitur factus, aut creatus, sed conceptus: quia Filius Dei licet novo & admirabili modo sit conceptus, & factus homo, non alio tamen modo, quàm per veram conceptionem.

Quomodo conceptus?

Resp. Est caro & homo factus ex virgineo sanguine B. Mariæ, absq; adjutorio hominis, & formatus in utero matris contra omnem naturæ cursum virtute Altissimi, & obumbratione Spiritus Sancti, verus tamen est filius matris suæ, & Maria vera est mater Christi.

Quid de Spiritu Sancto, *an hic pater Christi?*

Resp. Quòd dicatur conceptus de Spiritu Sancto, intelligi debet, quòd ex opere Spiritus Sancti, non verò ex natura ejus, & hinc non potest dici pater ejus, quamvis de pso conceptus dicatur. Ille enim est pater, qui de substantia sua filium generat; qui autem opus aliquod non de sua substantia, sed aliunde producit, non pater, sed opifex dici debet.

Quid sibi vult natus?

Resp. Significatur hâc voce verè propriéque communi ortus humani principio esse natum infantulum post novem à conceptione menses communi lege statutos, sed in pluribus differebat: Nam 1. Cæteræ mulieres in parturiendo multùm laborant, doloresq; gravissimos patiuntur; B. Virgo autem nullos pertulit. 2. Christus

sicut

ſicut clauſo ſepulchro reſurrexit, ac januis clauſis ad Apoſtolos introivit; ita etiam clauſo utero materno natus eſt. 3. Nullus hominum eligere poteſt tempus nativitatis ſuæ, & locum; Chriſtus autem elegit utrumque myſteriis plenum: tempus ſcilicet Solſtitii hyberni, quando Sol incipit reverti ad nos, quin tunc ipſe Sol juſtitiæ. & vera lux mundi ad homines per gratiam revertebatur, à quibus propter peccata receſſerat. Locum verò abjectum & humilem, id eſt, domũ panis, & in eo ſpeluncam, & ſtabulum, ubi ipſe verus Angelorum & hominum cibus naſceretur, & ubi præſepe collocaretur; ut hoc exemplo doceret contemptum mundi, & deliciarum, ac pomparum ejus.

Cur dicitur ex MARIA?

Reſp. 1. Ad veritatem hiſtoriæ confirmandam. 2. Ad majorem Eccleſiæ conſolationem, quòd ſciamus nomen amabile B. Virginis, quod Syriacum eſt, & ſonat Dominam, ac ſtellam maris, in cujus patrocinio multùm confidit Eccleſia, quia in hoc æſtuoſo mari nobis ſe ſtellam exhibet, & ducem ad Solem juſtitiæ, & verum portum æternæ ſalutis. 3. Ad ipſiuſmet Virginis gloriam, quòd ex ipſa orbis Dominus ſit natus.

Cur additur Virgine?

℟. 1. Quòd Chriſtus B. Mariam Virginem reliquerit ſicut invenit, in partu & poſt partum. 2. Ut commendaretur virginitas orbi ferè incognita, quæ cultores ſuos Deo redderet conjunctiores. 3. Propter hæreticos, qui negarunt Chriſtum

ex Virgine natum. Probatur exemplis, beatam Mariam mansisse virginem. In vita B. Ægidii socii S. Francisci narratur, *quòd cùm quidam Doct. Theol. Ord. S. Dominici in consideratione virginitatis perpetuæ Mariæ hæreret cum multis scrupulis, audiens de fama B. Ægidii statuit eum adire, ut tentationes has ejus consilio & precibus posset depellere. Cùm ergo ad hunc finem accederet, B. Ægidius Spiritus instinctu sciens ejus adventum & causam, obviat illi, & baculo terram percutiens prævenit eum, & sic est allocutus: Frater Prædicator, Maria Virgo est ante partum, & pulcherrimum prodiit lilium. Secundò repetit, & percutit dicens: Frater Prædicator, Maria Virgo est in partu, & simile ortum est lilium. Tertiò addit: Frater, Maria Virgo est post partum, & tertium lilium ortum est. Et sic sine alio alloquio discedit velut aufugiens. Atq; adeò Doctor ille dubium omne deposuit.* Surius Tom. 2. in vita S. Ægidii, 23. April. Aliud vide in Parad. puerorum 2. p. c. 4. §. 6. ibid. §. 8.

B. Virgo nullos in partu passa dolores, adeoq; honoranda à puerperis. Vide Hort. Past. fol. 94. in histor. S. Francisci. Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus in B.V. puritatem blasphemus terribili morte castigatus est, Catech. hist. c. 2. tit. 30. exempl. 5.

LECTIO X.

ARTICULUS IV.

Passus sub Pontio Pilato, &c.

Quid

Quid sibi vult Passus?

℟. PEr hoc denotari totum quod passꝰ est Christus in ultima die vitæ suæ temporalis.

Passusne est verè Christus?

℟. Verè, & propriissimè passus est Christus secundùm humanitatem in corpore & in anima; secundùm divinitatem verò nullâ ratione est passus, nec pati potuit.

Ubi Christus suam inchoavit passionem?

℟. In horto, quia primitus morbus & mors per Adamum inchoata sunt in horto, ideò secundus Adam ibidem medelam voluit inchoare, ut vitam, quam ibidem amiseramus, restitueret nobis.

Quid Christus passus est in horto?

℟. Præ nimia angustia verum sanguinem sudavit. 1. Quia jam instabat acerbissima passio ejus. 2. Quia omnia tormenta sibi inferenda clarè vidit. 3. Vel maximè, quia cognovit, quòd tam pauci fructũ ex passione sua essẽt recepturi.

Quid Christus passus est sub Pontio Pilato?

℟. Primò passus est crudelissimam flagellationem, propter instrumenta crudelia, quibus fuit flagellatus, scilicet, virgis, funibus, seu nodosis loris, demum, ut aliqui dicunt, catenis ferreis. Tradunt Sanctis esse revelatum, Christum in flagellatione sustinuisse ictus supra quinque millia, quod creditu non est difficile; nam (a) *à planta pedis usq; ad verticem capitis non remansit in eo sanitas.*

Quid præterea est passus?

Resp. Dolorosissimam coronationem, non e-

(a) *Isa.* 1.

nim

nim fatiebantur crudeles eorum animi crudelissimâ flagellatione, sed insuper plectentes coronam de spinis, venerando ejus capiti in derisum regni ejus gravissimo cum dolore imposuerunt, quæ spinæ fuerunt acutissimæ, & admodum duræ, & septuaginta duo vulnera tenerrimoChristi capiti infixisse dicuntur. Huic coronationi appositæ fuerunt duæ ignominiosæ circumstantiæ, dum dederunt arundinem pro sceptro, & purpuram dilaceratam pro pallio imperiali. Quid prætere a injuriarum sustinuerit, partim ex Evangelio colligitur, partim animæ devotæ considerandum relinquitur.

Cur tanta est passus Christus?

Resp. 1. Licet unicâ sanguinis guttâ nos redimere potuisset; propter intensissimum tamen erga nos amorem adeò dira pertulit. (b) 2. Propter scelera nostra, ut ea tolleret, & sanaremur. 3. Ne æternùm damnati in inferno pateremur, 4. Ut juxta monitum S. Petri (c) *sequamur vestigia ejus*, patienter sustinendo persecutiones, injurias, & afflictiones.

Quid referam Christo pro tanto amore?

Resp. 1. Si jugiter gratias agas pro tanto beneficio. 2. Si passionem ejus devotâ mente mediteris. Quod quàm gratum sit Deo, patet seqq. exemplis. *S. Clara de monte Falcone jugiter meditabatur acerbissimam passionem Christi: post mortem dum novaculâ scinderetur cor ejus, Christus columnæ alligat9, cæteraq; instrumenta passionis in eo visa sunt.*

Mar-

(b) *Isa.* 53. (c) 2. *Petr.* 2.

Martyrologium Franciſcanum 17. Auguſti, & alibi. *S. Franciſcus ob frequentiſſimam meditationem paſſionis Chriſti, ſacris ſtigmatibus ſtupendo miraculo retroactis ſeculis non conceſſo inſignitus fuit.* S. Bonavent. in vita S. Franciſci. *Captivus quidam cùm gentili tyranno ſerviret, à quo cùm honeſtiſſimè haberetur, martyr nihilominus gemebundus incedebat. Miratus tyrannus cauſam triſtitiæ quærit: cur cum ſervis ſuis non gauderet? cui captivus: Cum aliis, inquit, gaudeo, ſed ſemper triſtis incedo, quia mortis DEI memor, continuò in corde meo paſſionis ejus ſtigmata porto. Hæc ut tyrannus audivit, graviter indignatus, & ego, inquit, experiar quæ dixiſti. Nec mora, lictore vocato jubet aperto pectore Martyris cor evelli, & per medium ſecari, in quo Crucifixi imago ab omnibus conſpiciebatur, Quo viſò tyrannus Deo credidit, & cum omnibus ſuis ſacrum Baptiſma ſuſcepit.* Flores exempl. cap. 1. tit. 32. exemplo 7. plura vide ibi.

LECTIO XI.

Crucifixus, mortuus, & ſepultus.

Quid ſibi vult crucifixus?

Reſp. POſt graviſſima, quæ pertulit tormenta Salvator, præſertim in flagellatione & coronatione, impii carnifices Judæorum ſuaſu, ut Chriſtum tanquam malefactorem educerent, impoſuerunt ei Crucem, ut eam ad locum ſupplicii portaret. Deinde veſtibus nudatum eundem clavis affixerunt; deniq; in eâdem graviſſimo cum dolore emiſit ſpiritũ.

Cur

Cur Christus voluit crucifigi?

℟. 1. In satisfactionem pro gravissimis peccatis nostris voluit subire gravissima tormenta, & acerbissimum, & maximè infame mortis genus, quale fuit Crucis, quod vilibus personis, & maximis peccatoribus debebatur. 2. Quia per lignum venit peccatum in mundum; itaque dæmon, qui in ligno vicerat, in ligno quoque per Christum devictus est.

Cur Christus voluit mori?

℟. 1. Ut morte suâ mortem æternam destrueret. 2. Ut Deo Patri pro nobis ipse immolaretur vera hostia pacifica, tot cruentis veteris legis sacrificiis præfigurata. 3. Ut dona sua nobis novo Testamento legata testator confirmaret suâ morte, & promissionem acciperemus hæreditatis æternæ.

Fuitne coactus mori?

℟. Minimè: (a) *Oblatus est enim, quia ipse voluit.* Item: (b) *Potestatem habet animam ponendi, & iterum sumendi eam.*

Cur additur sepultus?

℟. Sepeliri voluit, & in sepulchro tribus diebus jacere. 1. Ut verè mortuus comprobaretur. 2. Ad majorem gloriam suæ resurrectionis, dum è sepulchro publico sigillo communito, & custodibus cincto, surrexit.

Quid maximè hic credendum proponitur?

℟. Quòd non solùm corpus Christi sepultum sit, sed principaliter ipse Deus, sicut natus

(a) *Isa.* 53. (b) *Joann.* 11.

& mortuus creditur; quia Deitas à corpore nunquam fuit separata.

Christus pro nobis passus est, & satisfecit, nunquid hoc nobis sufficit, & nunquid omnes salvabuntur?

℞. Ad 1. Christum abundè pro nobis satisfecisse, nec tamen omnes salvabuntur, sed ii solùm, qui per bona opera merita Christi & passionem ejus sibi applicantes, certam faciunt vocationem suam, (c) alii verò, qui id facere negligunt, non solùm non salvabuntur, sed insuper Christum peccatis suis denuò crucifigunt, ut patet in historia sequente. *Cùm S. Brigitta in regno Sueciæ orta, decimo ætatis anno ante concionem de passione Domini audisset, ipsa conservans omnia verba, in nocte sequenti vidit in somnis Christum quasi eâdem horâ crucifixum, sibiq́; dicentem: En ut cruciatus sum. Illa existimans eâdem id horâ factum, ait ad eum: Quis istud tibi fecit Domine? Christus respondit: illi qui me contemnunt, & charitatem meam negligunt. Tum illa ad se reversa, usq́; adeò fuit addicta ad passionem Christi, ut ejus mysteria rarò sine lachrymis ad memoriam potuerit revocare.* Anton. 3. p. hist. tit. 24. c. 11.

Quid fructûs haurimus ex hoc Articulo?

℞. Continuam gerere memoriam Dominicæ Passionis, ut hoc medio à peccatis abstineamus. Possesne mi Christiane, aut velles unquam Deum tuum & Salvatorem peccando lædere, quem novisti (d) *vulneratum esse propter iniquitates tuas, & attritum propter scelera tua?* quem crudelissima morte

(c) *2. Petr. 1.* (d) *Isa. 53.*

morte medium inter duos latrones amore tui mortuum non dubitas? Efficax ergo contra peccata remedium eſt ſeria Dominicæ Paſſionis memoria; ita ſemper cenſuerunt & docuerunt SS. Patres omnes. *In omnibus*, inquit Auguſtinus in Manuali cap. 12. *non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti* &c. Ipſa Veritas B. Gertrudi dixit: *Nullum tam efficax remedium contra peccata poteſt in terris haberi, ſicut devota memoria meæ paſſionis cum fide rectâ & intentione.*

Quid faciendum, dum tranſimus imaginem Crucifixi, aut eam intuemur?

℟. Agendæ Salvatori gratiæ pro beneficio redemptionis, ac ſimul venia peccatorum & miſericordia poſtulanda his aut ſimilibus verbis: *Jeſu pro me crucifixe, miſerere mei.* Quod quàm gratum ſit Salvatori, S. Gertrudem verbis ſequentibus inſtruxit: *Quòd quoties quis imaginem Crucifixi devotâ intentione intuetur, toties reſpiciatur amanter à Dei benigniſſima miſericordia.* Ex Bloſio mont. ſpir. cap. 1. Paſſ. Chriſti.

LECTIO XII.

ARTICULUS V.

Deſcendit ad inferos, tertiâ die reſurrexit à mortuis.

Quæ ſumma hujus Articuli?

℟. 1. Credimus, quòd anima Chriſti poſt mortem ad inferos deſcenderit, ibiq; tam diu manſerit, quamdiu corpus

in ſepulchro. 2. Quòd eadem perſona Chriſti ſimul apud inferos fuerit,& in ſepulchro jacuerit eodem tempore, quia Deus nunquam corpus vel animam reliquit.

Quomodo deſcendit Chriſtus?

℟. Propriâ virtute, non delatus, non directus, nec detruſus, ſed gloriâ magnâ, potentiâ & claritate, quâ ſic inferni loca illuſtravit, ut tenebroſum carcerem in paradiſum commutârit, juxta illud, quod latroni dixerat: (a) *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Quò deſcendit?

℟. Ad limbum Patrum primariò, quem exhauſit abductis inde omnibus Patribus. Nota quatuor loca in inferioribus terræ poſſe diſtingvi. 1. Eſt in centro terræ, & vocatur infernus damnatorum, ubi animæ cum peccato mortali decedentes æternùm detinentur. 2. Altero ſuperior, in quo animæ, quæ nondum plenè ſatisfecerunt, ad tempus puniuntur, & vocatur Purgatorium. 3. Adhuc altior, eſtLimbus puerorum ſine baptiſmo morientium. 4. Regio altiſſima, ſed ſubterranea, eſt Limbus Patrum, vel ſinus Abrahæ, ſic dictus, quia ſicut proles quieſcunt in ſinu parentum; ita hiPatres quieſcebant in promiſſione Abrahæ factâ, venturum ſcilicet Meſſiam, qui eos ad optatam quietem eſſet redacturus, cujus adventum ideò præſtolabantur ſummo deſiderio, licet ſine ſenſibili dolore detinerentur. Ad quartum ergo locum primariò deſcendit Chriſtus, ut inde animas ad cœlum educeret, &c.

(a) Luc. 23.

&c. *Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Zachar. 9. v. 11,

Quomodo Christus resurrexit?

Resp. (b) Propriâ virtute, ut Deus & Domin9 vitæ & mortis: non suscitatus ut alii homines; sed suâ, non alienâ virtute animam suam cum corpore conjungens. Tertiâ die resurrexit, id est, post partes trium dierum naturalium: nam feriâ sextâ ante Solis occasum obiit, die Dominico surrexit primo diluculo, duabus noctibus, & uno die artificiali, qui fuit Sabbathum, in sepulchro fuit.

Cur non citiùs, nec tardiùs resurrexit?

Resp. Citiùs resurgere noluit, ne non videretur verè mortuus: neque tardiùs, ne imbecilles discipuli tristitiâ absorberentur.

Cur resurrexit à mortuis?

Resp. 1. Ut fides divinitatis Christi confirmaretur, *qui licet crucifixus sit ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei.* 2. Cor. 13. 2. Ad confirmationem fidei nostræ. 3. Ut spem haberemus resurrectionis, & in morte consolationem. &c. Hanc resurrectionem quantumvis manifestam indurati Judæi calumniātes credere nequaquam volebant; sed insuper testes ejus interfecerunt, ut patet in hist. seq. *Postquam sepultum fuit Christi corpus, ut nos à peccati sepulchris revocaret, Longino rursus jussit Pilatus sepulchrum tueri custodiâ militari, & ille quidem fecit quod erat imperatum, etsi non erat ejusdem cum Pilato de Christo sententiæ. Cùm autem*

(b) *Luc.* 11. *Joann.* 10.

tem esset peractum magnum resurrectionis mysterium, & milites miracula, quæ erant majora quàm ut ea caperet humana cogitatio, Principibus Sacerdotum annuntiâssent, hoc sibi dedecus afferre putantes, miraculum volentes extinguere, pecuniis persuaserunt militibus, ut calumniarentur Christi resurrectionem: verùm non sic Longinus, sed mendacii quidem fuit præclarus confutator, vivax autem testis resurrectionis, ut qui non sustinuerit Christum furto sublatum, sed liberâ voce eum verum esse Deum, & à mortuis surrexisse prædicavit. Quo factum, ut & ipse Pilatus, & Judæorum Principes invidiam, quâ priùs movebantur in Christum, & quem in eum animo concipiebant furorem, eum nunc in Longinum transferrent, ei adeò irascentes, ut quicquid pateretur Longinus, putarent non satis daturum esse pœnarum. Quod cùm indicatum esset Longino, plus volens abjici cum Christo, cum veste & cingulo dignitatis ipsam quoq; exuit militiam. Et acceptis duobus militibus, qui habebant eundem zelum pro Christo & veritate, declinat cum populo congressionem, paulò post relictis Hierosolymis venit in Capadociam, Præco simul & Apostolus Christi cum duobus militibus factus, ubi ad Pilatum delatus, & varia tormenta perpessus cum sociis capite plectitur. Flor. Exemp. tit. 46. exemp. 1.

LECTIO XIII.

De Purgatorio.

LEctione præced. quæst. 3. inter quatuor loca, quæ distinguebas in inferioribus terræ, secundum appellabas Purgatorium, de quo optarem pleniùs erudiri. *Quid*

Quid igitur est Purgatorium?

Resp. Est locus quidam subterraneus, inferno damnatorum vicinus, in quo animæ justorum non plenè in hac vita expiatæ purgantur post hanc vitam, antequam ad claram Dei visionem admittantur.

Sed unde probatur esse talis locus?

Resp. Probatur duplici argumento. *Primò*, ex praxi & judicio Ecclesiæ, quæ in rebus fidei errare non potest: & hæc semper primis etiam sæculis oravit pro fidelibus defunctis tali loco detentis, ut ex SS. Patribus, tam Græcis quàm Latinis, latè & clarissimè deducit R. P. Bernardinus Vetweis, Ordinis nostri Seraphici, SS. Theolog. Lector Jubilatus, in præclaro suo Speculo veræ Ecclesiæ, edito Coloniæ Anno 1664. lib. 8. Imò Calvinus ipse lib. 3. Instit. cap. 5. §. 10. testatur, ante mille & trecentos annos apud Catholicos usu fuisse receptum, ut precationes fierent pro defunctis; quamvis falsò dicat, quòd id fecerint sine ulla authoritate Scripturæ. *Secundò* probatur ex S. Scriptura. 1. Ex Testamento veteri in 2. lib. Machab. c. 12. legitur: *Judas Machabæus factâ collatione, duodecim millia dragmas argenti misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* v. 43. Hanc ejus pietatem ut sanctam & imitatione dignissimam Scriptura commendat: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Ibid. Illud præterea ex hac hist. constat, non solùm Judam Machabæum credidisse animas in purgatorio detineri; sed

etiam idem credidisse Judæos omnes, quia tam liberaliter contribuerunt pecuniam suam; *ut sacrificium offerreretur pro peccatis mortuorum*, eo fine, *ut à peccatis solverentur.* 2. Probatur ex illo loco Apostoli 1. ad Cor. 3. v. 15. *Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quem locum de igne purgatorio interpertatur S. Augustinus in Ps. 37. Vide Becanum de Purgatorio cap. 8. ad quem Lectorem (ne longior justo sim) remitto.

Quænam animæ veniunt ad purgatorium?

Resp. Illæ solùm, qui in gratia quidem decedunt, sed nondum pœnas peccatis debitas in hac vita exsolverunt.

Qualem pœnam ibidem patiuntur?

Resp. Duplicem pœnam in Purgatorio patiuntur animæ; alteram *damni*, alteram *sensus*.

Quid est pœna damni?

Resp. Pœna damni in eo consistit, quòd debeant carere cœlesti gloria, donec omninò purgatæ sint; & quia hæc privatio contingit illis propter propriam ipsorum culpam, ideò dolent ac tristantur, se sua culpa tam diu excludi à statu Beatorũ; & hæc pœna est illis admodum gravis.

Quam pœnam sensûs patiuntur animæ in purgatorio?

Resp. Patiuntur cruciatum ab igne, qui acerbior est, quàm ulla calamitas aut tribulatio hujus vitæ. Ita S. Patres magno consensu tradunt. Testis est miles ille, qui cùm horam tantùm unicam fuisset in purgatorio, putavit se ibi fuisse annos plurimos. Vide infra Lection. 85. de Satisfactione.

Quam-

Quamdiu manent animæ in illa pœna?

Resp. Manent in illa pœna, (nisi aliunde juventur) donec perfectè expiatæ sint per sufficientem passionem, quod manifestè colligitur ex eo Matth. 5. v. 25. ubi Christus ait: *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Ubi per adversarium intelligitur Deus, quem peccator offendit; per judicem Christus; per carcerem Purgatorium; per ultimum quadrantem minutissima peccata. Est ergo sensus: quamdiu es in hac vita, satisfacias Deo pro peccatis tuis, dum locꝰ est misericordiæ, quia aliàs post hanc vitam totum debitum etiam minimorum peccatorum rigidissimè à te exigetur in purgatorio.

Possuntne vivorum suffragiis juvari animæ defunctorum?

Resp. Possunt omninò juvari per suffragia vivorum, ut citiùs liberentur ex illa pœna, quam alioquin mererentur, si suffragia pro illis non fierent.

Quænam sunt illa suffragia?

Resp. Sunt orationes, eleemosynæ, jejunia, peregrinationes, & quælibet opera pœnalia, & satisfactoria. Item Indulgentiæ per modum suffragii illis applicat, tandem sacratissimæ Missæ sacrificium.

Per quid animæ defunctorum potissimùm juvantur?

Resp. Potissimùm juvantur per sacratissimum

Missæ sacrificium, quod pro ipsis offertur, quod cùmDeo sit acceptissimum, efficaciùs cæteris defunctis subvenit. Præclarum habemus exemplum in vita S. Nicolai Tolentini, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. *Hic sacerdotio initiatus ad eremum Vallimanensem, quæ est juxta Pisas, à Provinciali transmittitur, ubi eximiâ pietate & devotione promptus & solicitus manè quotidie Missam celebrabat. Cùm verò nocte Dominicæ proximè sequentis, quo die pro Hebdomadario erat summum sacrũ facturus, in lecto parumper obdormisset, spiritus quidam voce magna & lugubri ejulatu vocat eum, dicens: Frater Nicolae vir Dei, respice in me. Ille respiciens in eum, & quia viventem noverat, agnoscere eum studens, sed non valens, ociùs percontatur quinam sit? respondit spiritus:* Ego *sum anima Peregrini Auxiniensis, quem viventem novisti servum tuum, crucior(que) in hac flamma; Deus enim non despiciens contritionem meam, non pœnis sempiternis, quas ut homo fragilis commerueram, sed locis purgatoriis pro sua misericordia me addixit. Te igitur impensiùs oro, ut pro mortuis Missam celebres, ut eripiar ex his flammis. Cui vir beatus: Adjuvet te Salvator meus, cujus sanguine redemptus es; ego enim, qui ad summum sacrum solemniter celebrandum hoc præsertim Dominico die deputatus sum, Missam pro defunctis dicere non possum. Tum ille: Veni, inquit, venerande Pater, & vide num te deceat precibus tantæ multitudinis, à qua missus sum, assensum negare, me(que) miserum tam inhumaniter repellere. Duxit ergo illum ad alteram eremi partem, parvam(que) illam apud Pisas planitiem ei ostendit: & ecce*

videt

videt promiscui sexûs, diversæ ætatis & ordinis magnam multitudinem hunc in modum ipsum deprecantem: Miserere Pater, miserere turbæ tuum auxilium expectantis. Si enim dignatus fueris pro nobis Missas celebrare, maxima pars nostrûm ex his tormentis atrocissimis eripietur. Evigilans autem vir sanctus magnâ commiseratione permotus cum multis lacrymis pro eis omnibus Salvatorem hominum deprecabatur. Mane verò coram Priore loci illius prostratus illorum importunas preces exposuit, orans, ut ipsius bonâ veniâ liceret ei totâ illâ hebdomadâ pro mortuis Missam facere. Victus Prior ejus precibus alium loco ejus substituit. Ita ille totâ hebdomadâ & sacrificium obtulit pro defunctis, & die ac nocte pro multitudine, quam viderat, cum lacrymis instantissimè Dominum rogavit. Itaque eâ hebdomadâ transactâ, rursus ei apparuit spiritus Peregrini supradicti, & pro impetrata misericordia gratias agit, asserens bonam illius multitudinis partem cum ipso divinâ misericordiâ, & ipsius sacrificiis, precibusq; ac lacrymis à pœnis acerbissimis liberatam in cœlos feliciter evolasse. Surius in vita ejus cap. 4. tom. 5.

Nec minus præclarum est, quod legitur de B. Joanne de Alverno, Ordinis nostri Seraphici, qui sacrosanctum Missæ sacrificium tanto pietatis affectu Deo pro defunctorum refrigerio litabat, ut totus in devotionis lacrymas solvi videretur. *Dum ergo sacram Hostiam in Missa elevaret, sanctum Christi Corpus Deo Patri offerens, ut ejus gratiâ, qui pro totius mundi redemptione in ara Crucis pependerat, animarum defunctorum misereri, easq; de pœnis inferni, & de profundo lacu liberare dignaretur, vidit*

innumeram animarum multitudinem quasi scintillas è fornace exilientes ad cœli beatissimam requiem transire, acceptabili sacrificio Corporis & Sanguinis Christ expiatas. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 8. ex Chron. Minorum.

Estne res magni meriti juvare animas in Purgatorio?

Resp. Est omninò maximi meriti subvenire precibus, eleemosynis, sacrificiis, & aliis operibus; quod patet ex verbis 2. Machab. cap. 12. suprà citatis: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Sancta est, quia à principio sancto charitate scilicet proficiscitur; salubris & ipsis vitâ functis, quia illorum animas tormentis eripit: & oranti, qui hac sibi ratione merita accumulat & gloriam, adeoque tot amicos apud Deum & patronos sibi conciliat, quot piis suis operib9 ad cœlos promovet.

Nunquid malè sibi consulunt, qui pro defunctis non sunt soliciti?

Resp. Pessimè quidem, & omnem humanitatis sensum exuisse videntur, qui animabus in tantis pœnis constitutis, cum facilè possint, non subveniunt, nec quandoq; ut tales aliorū opem & precum suffragia frustra implorabunt; *quæ enim mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. v. 2. Refert Gonzaga de origine Seraph. Relig. p. 4. in Provincia Canariæ Conventu 7. *Quendam Religiosum Ordinis post mortem Novitio pro se oranti apparuisse, ac fassum fuisse, ideò potissimùm purgatoriis se ignibus detineri, quòd pro defunctis orare in vita neglexisset.*

Quid faciendum dum transimus Cœmitorium?

Resp. Præterquam quòd mortis memoria animum subeat, meritorium sanè erit, pro fidelibus, præsertim ibi sepultis, Deum orare. Patet id exemplo B. Lieberti Cameracensium Episcopi, *cui in Cœmiterio Parochiæ S. Nicolai ejusdem civitatis pro defunctorum animabus quondam oranti, & consvetum hunc Ecclesiæ versiculum:* Animæ omnium fidelium defunctorum requiescant in pace, *pronuncianti, distinctâ voce in aëre responsum est: Amen.* Pædag. Christ. p. 2. c. 20.

LECTIO XIV.

ARTICULUS VI.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexterã Dei Patris omnipotentis.

Quid hoc Articulo nobis credendum proponitur?

Resp. 1. QUòd Christus secundùm humanitatem suam cum corpore & anima cœlos ascenderit, quia secundùm divinitatem nunquam ibi recessit. 2. Quòd propriâ virtute, non alienâ ascenderit, sicut olim Elias curru igneo assumptus, nec ministerio Angelorum.

Quò ascendit?

Resp. Ad cœlos, ad dexteram Dei Patris sui cœlestis.

Cur ascendit?

Resp. 1. Quia summæ ejus humilitati summa debebatur exaltatio. 3. Ut re ipsa ostenderet,

ret, regnum suum non esse de hoc mundo, sed æternum; non transitorium, ut Judæi putabant. 3. Ut aperiret nobis cœlum, & locum pararet pro meritis cujuscunque. 4. Ut appareret vultui Dei Patris interpellans pro nobis, ostendendo sua quinq; vulnera, quæ retinuit.

Quid sibi vult: Sedet ad dexteram Dei Patris? *Nunquid Deus Pater membra habet, & dexteram manum?*

Resp. Membra non habet Deus, quia spiritus est; sed denotat Christi gloriam, majestatem, & imperium cum Patre æquale: hactenus enim tantùm ut Deus divinitate moderabatur universa, jam etiam ut homo omnibus præficitur, datâ ei potestate in cœlo & in terra.

Cur dicitur sedere?

Resp. Sessio in cœlo non significat sessionem propriè dictam, qualis est apud nos, in terris enim sedemus, ut quiescamus, uti jacimus, ut dormiamus; corpora verò gloriosa non laborabunt, non dormient, ideò neq; sedebunt, neque jacebunt: sed stabunt, qui est naturalis situs corporis humani. Dicitur tamen Christus sedere 1. Propter firmiorem sessionem, de qua per neminem deturbabitur. 2. Sessio quietem significat, & in cœlo requies æterna erit.

Quid discimus ex hoc Articulo?

Resp. Imprimis non nimiùm implicari rebus temporalibus, ac præsertim vitare peccata, quæ nos ab illa gloria, ad quam conditi sumus, præpediunt, & suo pondere nos pertrahunt in gehennam.

hennam. 2. Discimus frequenter mente ascendere ad beatitudinem à Christo nobis præparatam, adeoq; excitare magnam spem & desiderium illuc perveniendi, quo Salvator noster naturam humanam collocavit, identidem cum Apostolo dicendo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Philip. 3. Tale desiderium habuit Nobilis quidam, de quo Bernardinus Senensis, *qui cùm multò interiori fervore à Deo impulsus fuisset ad visitandum loca sacra, ubi Christus operatus est salutem nostram; & ut dignè hoc iter aggrederetur, per confessionis & communionis Sacramenta ad illud se disposuit; illuc autem pertingens, singula loca, prout potuit, ordine visitavit. Primò accessit Nazareth, ubi mysterium illud Incarnationis peractum fuit Angelo nuntiante, & ibi ferventer est contemplatus Dei bonitatem in hoc mysterio relucentem. Deinde venit Bethlehem, mirâ teneritudine affectus in illo loco, ubi jacuerat infans Christus. Exinde ad Jordanem processit, recolens illud mysterium, quo Filius Dei ibi fuerat baptizatus. Ulterius procedit in desertum, considerans Christum contra Sathanam certantem, & pro peccatis nostris jejunantem. Tandem Calvariam conscendit, Christum ibi extensum repræsentans, & velut columba in vulneribus gemens. Visitato quoq; sepulchro, & aliis locis, finaliter ad montem rediit Oliveti, ex quo Christus ascenderat, ibi vestigia Salvatoris osculis & lachrymis suis rigat, & suspirans ad Christum inclamat:* O suavissime mi Redemptor, cùm jam non habeam amplius, ubi quæram te in terra, cor meum in cœlum te sequi desiderat; trahe ergo illud ad te, imò trahe hanc ani-

animam de carcere, hoc corpore mortali, ut in monte gloriæ te sequi possit, & ibi æternùm jungi. *Multis ibi lachrymis & amoris suspiriis se viscera divinæ misericordiæ commovit, ut desiderium ejus exaudierit; egressa est enim anima ejus, & ex eodem loco ad Deum summum evolavit.* Bernardin. Senens. serm. 1. de Ascens. Aliud exemplum vide in Horto Past. tract. 3. lect. 27. in fine.

LECTIO XV.

ARTICULUS VII.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Quæ summa hujus Articuli?

℟. CRedimus hoc Articulo, Christum in fine mundi venturum ad judicandum omnes homines.

Quomodo venturus est?

℟. Veniet cum summa majestate & gloria, cum maximo splendore, (a) ut nemo possit dubitare, ipsum esse verum Dei Filium, & Dominum universorum. Veniet autem in forma humana; quia licet suprema potestas judicandi conveniat divinitati, tamen exercitium judicii Christo homini tribuetur.

Quò venturus est?

℟. Venturus ad locum aëris supra Hierosolymam, & vicinas regiones, ubi est mons Oliveti (unde olim ascendit) & vallis Josaphat, (b) nam

(a) *Matth.* 24. (b) *Joel.* 3.

ibi est mons Calvariæ, ubi moriens mundum redemit, & ibi fiet judicium; non tamen descendet usq; ad terram, sed usq; ad aëreem terræ vicinum, ubi ab omnibus hominibus conspici possit, sic enim ait: (c) *Videbitis filium hominis venientem.*

Quando veniet?

Resp. Tempus adventus hujus nobis penitus est ignotum, imò & Angelis: *De die illo nemo scit,* testatur Christus ipse Matth. 13.

Cur hoc nobis est ignotum?

Resp. Ut semper simus parati, ut Salvator noster monet.

Ad quid venturus est?

℞. Veniet judicare; finis enim est, ut judicet omnes gentes, & exigat tationem ab omnibus & singulis, de omnibus operibus, verbis, & cogitationibus etiam occultissimis. Ibi Deus ineffabili ratione & modo manifestabit omnia, ut nullus inficiari aliquid possit, quia in conscientiis singulorum scripta legentur opera tam bona, quàm mala, *cunctaq; cunctorum cunctis arcana patebunt.* Adeoq; occultissima peccata, quæ hic summo studio occultârunt homines, ibidem toti mundo manifestabuntur. Post examen sequetur sententia, à qua nulla dabitur appellatio, scilicet æternæ beatitudinis pro justis, & supplicii æterni pro injustis. (d) *Venite: Ite.*

Qui erunt præsentes in hoc judicio?

Resp. 1. Omnes Angeli. 2. Omnes homines, tam beati, quàm damnati. 3. Omnes dæmones.

Cur

(c) *Matth.* 26. (d) *Matth.* 25.

Cur venturus est judicare? nunquid à morte sua quisque judicatur?

Resp. Licet quilibet statim à morte sua, quam primùm anima separatur, judicetur judicio particulari, & pro meritis suis bona vel mala recipiat, ut de fide certum est. Voluit tamen Deus coram universa creatura universale judicium institui ob rationes sequentes. 1. Quia non desunt, qui videntes justos multa mala injustè pati, & iniquos multis affluere bonis temporalibus, suspicantur Deum aut ista non videre, aut non curare, aut quod graviùs est, non rectè mundum gubernare. Quare ut totum genus humanum intelligat, mundum à Deo fuisse sapientissimè gubernatum, voluit Deus in novissimo die coram omnibus Angelis & hominibus clarissimè patere omnia bona opera justorũ, & omnia mala iniquorum, ut quisq; recipiat prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. Ex parte Christi: quia enim Christum ausi sunt impii judicare, æqvum fuit, ut ipse omnes publicè judicaret. 3. Ut retributio justorum integra sit: merces enim virtutis honor; & quia multi justissimi homines quasi scelesti publicè interfecti sunt, justum fuit, ut publico totius mundi concilio justitia eorum manifestaretur, & bona fama restitueretur. 4. Ad confusionem impiorum, quorum multi cum opinione sanctitatis moriuntur, & ideò necessarium est, ut in extremo judicio eorum hypocrisis publicè detegatur. 5. Ut simul animæ & corpo-

corpora judicentur; nam in judicio solæ animæ judicantur, ut præmiũ vel pœnam accipiant.

Quid ex hoc Articulo discimus?

℟. 1. Discimus perpetuam gerere memoriam terribilis illius extremi judicii, ut hoc medio à peccatis abstineamus; fieri enim vix potest, ut homo hujus judicii memor in peccatum consentiat, juxta Sap. (e) *In omnibus operibus memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* In hoc merito D. Hieronymum imitari conveniet, qui quidquid ageret, semper terribilis illius tubæ memor erat: *Surgite mortui, & venite ad judicium.* D. Anselmus ait: (f) *O angustia! hinc erunt accusantia peccata, inde torrens justitia; subtus patens horrendum chaos inferni, desuper iratus judex; intus urens conscientia, foris ardens mundus: & si justus vix salvabitur, peccator sic depressus in quam partem se premet constrictus? ubi latebo? ubi apparebo? latere erit impossibile, apparere intolerabile, quid dormitas anima tepida, digna evomi? qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, sed mortuus est.*

℟. 2. Memoria hujus severissimi judicii peccatores excitat ad veram pœnitentiam, & sinceram peccatorum confessionem, eosq; ad meliorem vitam reducit. Prout factum legimus cuidam Religioso, qui cùm *Religionem intrare decrevisset, sed à matre prohiberetur, cui minimè acquiescens dicebat: Salvare volo animam meam; illa verò multùm*

(e) Eccl. 7. (f) *Anselm. in medio refert. Bonav. phar. l. 3. c. 49.*

tùm resistebat. Cùm autem desiderium ejus impediri non posset, id permisit; abiens igitur factus est Monachus, & sub negligentia vitam expendit. Contigit autem, ut mater ejus moreretur; post tempus aliquot infirmatus est & ipse infirmitate gravi, & cùm per mentis excessum raptus esset ad judicium, invenit matrem suam cum his qui judicabantur; illa autem ut videt filium suum, obstupuit dicens: Quid hoc est, fili, & tu in hunc locum condemnatus venisti? ubi sunt sermones tui, quos loquebaris, dicendo: Salvare volo animam meam? Audiens hæc filius, confusus stabat, non habens quid responderet matri. Misericordiâ autem Dei ad se rediens ab infirmitate liberatus, & cogitans apud se, divinitùs factam esse hujusmodi visionem, includens se de cætero sedebat, & cogitabat de salute sua, pœnitens & plorans de his, quæ egerat sub negligentia priùs; tanta autem erat ei intentio, ut multi eum rogarent indulgere sibi paululum, ne fortè læsionem aliquam de multo fletu pateretur; ille autem nullo modo voluit consolari, dicens: Si imperium matris meæ sustinere non potui, quomodo Christi & Angelorum ejus adversus me confusionem potero in die judicii sustinere? Spec. Exempl. d. 4. exempl. 15. Item vide Catech hist. cap. 1. tit. 49. exempl. 4. &c.

Cur formandum est particulare judicium?

Resp. Hoc particulare judicium, quod in puncto mortis perficitur, ut fide certum est, & Apostolus Paulus (g) testatur: *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc judicium*, & Ecclesiasticus: (h) *In fine hominis denudatio operum illius,* verè

(g) *Hebr. 9.* (h) *Eccl. 11.*

verè formidandum est ob severissimam rationẽ, quam anima in puncto mortis Christo judici reddere tenetur de omnibus peccatis, quæ unquam cogitatione, verbo, opere, aut omissione commissa sunt. Punctum verò metuendum, à quo pendet æternitas; momentum formidabile, in quo anima percipiet, quam initura sit vitam. Hoc sanè judicium viri etiam sanctissimi exhorruerunt. Audi virum secundùm cor Dei: (i) *Confige timore tuo carne meas, à judiciis enim tuis timui.* Iterum: (k) *Non intres in judicium cum servo tuo,* &c. *S. Hilarion octogenarius septuaginta annis in eremo transactis huic judicio appropinquans, animam jamjam exhalaturus:* Egredere, ajebat, *quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times?* Hiero. in vita ejus. *S. Arsenius dum moreretur, tanto timore correptus fuit, ut discipuli testes sanctitatis ejus dicerent: Et tu, Pater, trepidas? At ille: Non est novus hic timor, ô filii! quamdiu vixi, hunc diem timui.* Surius ex Metaph. cap. 27. *B. Agathon cùm tunc etiam trepidaret, & rogarent discipuli causam, cùm scirent eum sanctè vixisse: Quia,* inquit, *ô filii, alia sunt judicia Dei, alia hominum.* Si igitur viri sanctitate famosi in pœnitentia vitam transigentes adeò formidârunt hoc judicium, cur non trepidabunt peccatores in vanitate absq; timore Dei vitam consumentes? Hujus denique metuendi judicii specimen vide in Stephano quodam, *qui multis annis in monte Sinai in lacrymis & je-*

(i) *Ps.* 118, (k) *Ps.* 142.

& jejuniis vixerat, ante ultimum mortis diem in extasi factus, apertos oculos huc atq; illuc versabat, perterritus cum magna adstantium admiratione, quia vitæ præteritæ ratio exigebatur. Quandoq; ergo dicebat: Reverà ita est, sed pœnitentiâ & lacrymis crimen dilui. *In quibusdam tamen ajebat:* Ita est, verè me accusatis, & quid respondeam non habeo, in Deo est misericordia. *Et erat horrendum videre rationis exactæ severitatem, & quòd is nihil dicere sciret, qui per quadraginta annos Monachus lacrymarum donum habebat. Atq; ita obiit, ambiguam relinquens quæ fuerit secuta sententia.* Climatus gradu 7.

LECTIO XVI.

ARTICULUS VIII.

Credo in Spiritum Sanctum.

Quid hoc Articulo credimus?

Resp. Credimus tertiam in Trinitate Personam Spiritum Sanctum, qui à Patre Filioq; procedit, esse verum Deum, æternum, omnipotentem, ejusdem cum Patre & Filio majestatis & potentiæ, &c.

Unde probatur Spiritum Sanctum Patri & Filio esse æqualem?

℟. 1. Ex forma Baptismi, quam præscribit ipse Christus Matth. 28: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Si enim Spiritus S. non esset Deus, Christus eum cum Patre & Filio minimè conjunxisset. 2. Ex dicto Petri ad Ananiam: (a) *Cur tentavit*

(a) *Act. 5.*

tavit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo. 3. Solus Deus est ubique, & omnia novit, & idem de Spiritu S. dicitur: (b) *Quo ibo à Spiritu tuo?* &c. Et Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* 4. Ex Symbolo hoc: sicut enim dixerunt Apostoli: *Credo* in Deum Patrem, & in Jesum Christum; sic etiam dixerunt: *Credo in Spiritum Sanctum,* ut trium Personarum indicaretur æqualitas. 5. Probatur ex miraculis. 1. De Arianis, qui divinitatem Spiritus S. negabat, *horum Patriarcha Cyrola rogavit quendam, ut se simularet cæcum, & se in plateis collocaret, pollicitus se soluturum* 50. *florenos, & dum transiret Patriarcha, clamare jussus: O sancte Episcope, manifesta hic tuam sanctitatem & fidem, meque cæcum illumina. Facit rogatus, hæreticum Episcopum inclamat, qui accedens fastuosè manus oculis imponit dicens: Aperiantur oculi tui per veram nostram fidem in Deum. Quamprimùm tantus dolor miseri homuncionis oculos obruebat, ut jamjam evellendi viderentur; dein in hæc verba prorupit: Væ mihi, qui ob pecuniæ amorem Deum dirisi,* 50. *florenos accepi, recipe nequam pessime, quam mihi dedisti pecuniam, restitue mihi visum, quem tuo dolo perdidi; nunc verè agnosco, quòd Deus non irrideatur, qui non credit Christum Filium Dei, & Spiritum S. ejusdem cum Patre substantiæ, eosdem quos ego, patiatur dolores. Subjungit posteà: Credo in Deum Patrem omnipotentem, & credo Christum Filium Dei Patri æqualem: Credo Spiritum S. cum Patre & Filio ejusdem substantiæ. Ad hanc fidei confessionem accedebant tres Episcopi Catholici, Vindemialis,*

(b) *Psalm.* 18.

mialis, Longinus, & Eugenius, imponentes manus cæco; Eugenius verò formato signo Crucis super oculos cæci ait: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. veri Dei, quem trinum in unitate & omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui: Ecce tibi. Subitò peribat dolor, & ex eâdem horâ cæcus visum recepit. Vogler. fol. 138. Item ex miraculo de tribus globulis carneis inventis in corpore S. Claræ de monte Falc. tertii Ordinis S. Francisc. vide Martyrol. Francisc. Item Vogl. fol. 129.

Cur dicitur Sanctus?

℟. Dicitur Sanctus, non more creaturarum, quæ vel Deo consecrata sunt, ut vasa sacra; vel divina participatione gloriâ condecorati, ut Sancti in gloria: sed longè aliter. 1. Quia est ipsa sanctitas, fons & origo omnis sanctitatis. 2. Quia omnes beatos sanctos efficit ex gratia. 3. Quia nos in Ecclesia sua vult sanctificare.

Cur Spiritus S. depingitur in specie columbæ?

℟. Licet corpus non habeat, sicut nec Pater, qui depingitur in specie senis, quia in tali forma apparuit Danieli, (c) ita etiam Spiritus S. depingitur in forma columbæ, quia taliter super Christum apparuit. (d) 1. Ad denotandum, quòd efficiat nos similes columbæ, quantum ad ejus proprietates, quarum prima est, quòd felle careat: hinc neminem lædit, nemini invidet, neminem odio prosequitur: ita Spiritus S. mansvetudinem & columbinam simplicitatem à nobis producit. 2. Nidificat libenter columba in petris & caver-

(c) *Dan.* 7. (d) *Matth.* 3.

& cavernis: ita animæ afflatæ Spiritu S. meditatione libenter morantur in vulneribus Crucifixi. 3. Prope aquas libenter habitat: ita anima Spiritu S. impinguata commoratur juxta aquas devotionis seu lachrymarum, sitiens instructionem, & Christianam doctrinam. 4. Columba frequenter gemit: ita anima Spiritu S. plena sua & aliena deflet peccata. 5. De cadavere non comedit: ita anima, quæ habitaculum est Spiritus Sancti, casta vivit. In tali specie columbæ visus estSpiritus S. residere super caput S. Catharinæ Senensis. Vogl. fol. 137. Item super humerum dexterum S. Gregorii Papæ, Catech. hist. c. 1. tit. 5. exempl. 4.

Quomodo præterea apparuit Spiritus Sanctus?

Resp. In festo Pentecostes apparuit in specie linguarum ignearum, quæ significant eloquentiam, sapientiam, & charitatem. Nam figura linguæ eloquentiam, splendor sapientiam, ardor ignis significat charitatem.

Nunquid ergo Spiritus Sanctus est columba, vel ignis?

Resp. Minimè, sed ob prædictas rationes sub harum rerum specie apparuit, quæ opera Angelorum factæ paulò post evanuerunt.

Quis ex hoc Articulo hauritur fructus?

Resp. Discimus non violare corpora nostra, in quibus velut templis sibi consecratis habitat Spiritus Sanctus. 1. Cor. 3. & 6.

Quomodo violatur templum Spiritus Sancti?

Resp. Generaliter per quodvis mortiferum

peccatum, singulariter tamen per luxuriam, & illicita desideria, per quæ homo penitus à se repellit Spiritum Sanctum, nec priùs eum in se recipit, quàm per veram pœnitentiam ab omni inquinamento peccati cor suum expurgarit. *Quidam Christianus ambiebat in matrimonium cujusdam Saraceni filiam. Consuluit pater dæmonem in idolo, an huic proco consentire deberet, filiamq; suam illi tradere: responsum autem accepit, nullatenus consentiendum, nisi fidem & Christum Christianus abnegaret. Concupiscentiâ excæcatus abnegavit fidem Christianus, urgente id Saraceno. Et ecce Spiritus S. in specie columbæ de ore abnegantis utroq; vidente egressus, prope illum circumvolans morabatur. Iterum consuluit idolum suum Saracenus, quid hoc sibi vellet? respondit illi ex idolo dæmon: Adhuc propè est, paratus est redire, ne consentias ejus petitioni, nisi juret se nolle pænitere. Juravit id carnalis homo: & ita sublimiter columba volavit, ut visum effugeret. Paulò post concupiscentia sedata redit ad cor, & cum lacrymis scelus Confessario aperit. Ille videns ejus compunctionem ad omnia paratam, suadet, ut in solitudinem progrediatur, & tamdiu culpam pœnitentiâ & lacrymis expiet, donec Spiritus Sanctus qui visibiliter recesserat, iterum rediret. Post aliquod igitur tempus pænitentiæ impensum in eadem specie columbæ Spiritus S. reversus est, & paulatim appropinquans patenter ingredi visus est.*

LECTIO

LECTIO XVII.

ARTICULUS IX.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

Quid est Ecclesia?

R. EST congregatio omnium fidelium Christi fidem atq; doctrinam profitentiũ, quam ipse D. Petro & successoribus ejus commendavit, & regendam dedit. In quam convenire debent quotquot justificationem, vel peccatorum remissionem, vel salutem consequi volunt, quod hoc Articulo credimus.

Quotuplex est Ecclesia?

R. Triplex. 1. *Triumphalis*, quæ est omnium cœlestium spirituum & Sanctorum Dei in cœlis. 2. *Militans*, quæ est omnium fidelium in terris adhuc degentium, & cum diabolo, carne, & mundo militantium. 3. *Intermedia*, seu purgativa, animarum scilicet in purgatorio, licet hæc sub una duarum præcedentium numerari soleat.

Estne Ecclesia visibilis?

Resp. Est visibilis: unde comparatur civitati supra montem positæ: ratio autem cur visibilis sit, & esse debeat, est, quia Christus nobis mandat, (a) ut audiamus Ecclesiam, aliàs ut publicani habendi; si invisibilis & abscondita, quomodo audietur?

(a) *Matth.* 18.

Quis est caput Ecclesiæ?

Resp. Post Christum Romanus Pontifex.

Quis ipsum instituit caput Ecclesiæ?

℟. Christus ipse, dum Petrum suo loco instituit Pastorem & Rectorem sui gregis, *Joan.* 21. *v.* 17. cujus verus & legitimus successor est Romanus Pontifex.

Potestne errare Ecclesia in rebus fidei?

Resp. Nequaquam, quia *est columna & firmamentum veritatis*, 1. ad Tim. 3. v. 15. cui Christus infallibilem assistentiam Spiritus S. promisit, *Joann.* 16. *v.* 17. & cum qua vult manere usque ad consummationem seculi, *Matth.* 28. *v.* 20.

Qui spectant ad Ecclesiam, & qui non?

Resp. Tria necessaria sunt, ut quis pertinere dicatur ad Ecclesiam, scilicet baptismus, professio fidei, & subjectio ad caput Ecclesiæ. 1. Baptismus est janua, quâ intratur ad Ecclesiam; ideò Pagani non sunt in Ecclesia, quia non intrârunt in eam. 2. Hæretici non spectant ad eam, quia ab ea per hæresin exierunt. 3. Nec Schismatici, quia per inobedientiam recesserunt.

Spectantne peccatores ad Ecclesiam?

Resp. Omninò, licet sint membra arida usque ad extremum diem judicii; tunc enim separabuntur omnes mali à bonis, ut in parabola Evangelica, (b) de tritico & paleis in eadem area, de bonis & malis piscibus in eodem reti, de zizaniis & tritico in eodem agro. Vide exempl. in vita S. Petri Alexandrini 26. Novembr. de Ario, &c.

Estne

(b) *Matth.* 3. *Matth.* 13.

Estne salus extra Ecclesiam?

Resp. Nequaquam: nam sicut extra arcam non erat salus, ita nec extra Ecclesiam. Vide August. lib. 4. de Symb. Item lib. de fide ad Petrum: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, &c.*

Unde cognoscam, Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam?

Resp. Ex diversis notis, scilicet quòd sit una, sancta, Catholica, Apostolica Romana.

LECTIO XVIII.

Notæ veræ Ecclesiæ explicantur.

Cur Ecclesia dicitur una?

℟. 1. Dicitur *una*, propter doctrinam: licet enim in varia loca sit dispersa, unum tamen est regnum sub uno Rege Christo. Una igitur est propter unionem eorum, qui in ea sunt, omnes enim unam eandemq; profitentur fidem & doctrinam; non sunt divisi inter se velut Hæretici. 2. Quia unum est caput Ecclesiæ invisibile, scilicet Christus, (a) visibile autem successor Petri, *Aug. epist.* 16. Quod caput visibile est omninò necessarium ad unitatem servandam, & quia Ecclesia visibilis est, etiam caput debet habere visibile, cui membra obediant, uti oves pastori. *Joann.* 21.

Potestne hæreticorum Ecclesia dici una?

Resp. Minimè, quia in rebus fidei inter se contriti sunt, maximè quoad Sacramenta.

(a) *ad Ephes.* 1.

Cur dicitur sancta?

Resp. 1. Quia omnes qui intrant in eam, per Baptismum sanctificantur. 2. Quia leges habet sanctissimas, Sacramenta purissima, consilia optima, omnes veras virtutes amplectitur, nulla vitia vel peccata probat, & quia omnia prædicta Sacramenta, instituta, ceremoniæ, & doctrina ad nostram sanctificationem ordinantur. 3. Quia extra illam nulla est sanctitas. 4. Quia caput ejus Christus est sanctissimus. 5. Quia Ecclesiæ nostræ soli est promissus & datus Spiritus S. ad regendam eam in perpetuum. 6. Quia sanctam habet doctrinam, quæ sanctos efficit homines, & quia indies in ea florent Sancti, dono miraculorum & prophetiæ præditi, quia extra eam non inveniuntur.

Cur dicitur Catholica *seu universalis?*

Resp. 1. Ratione loci dicitur *universalis*, quia se extendit in omnem terram. (b) 2. Ratione temporis, quia durabit semper. (c) 3. Ratione salvandorum: quia quotquot salvantur, in hac Ecclesia salvantur.

Cur dicitur Apostolica?

Resp. Quia ab Apostolis initium habuit, & ab ipsis per totum terrarum orbem est propagata. (d) 2. Quia sequitur doctrinam Apostolorum. 3. Quia retinet successionem Episcoporum ab Apostolis. Dicitur *Romana*, quia Romanum Pontificem habet, & agnoscit pro suo capite. Et quia

hæc

(b) *Marc.* 19. (c) *Dan.* 2. (d) *Rom.* 10.

hæc Romana pro Catholica semper est habita, ideò Hæretici tantoperè eam detestantur.

Quid intelligitur per Sanctorum communionem?

Resp. Unitatem Spiritus [quo Ecclesia regitur] hoc operari, quòd omnia, quibus Ecclesia dotata est, sint communia.

In quo consistit hæc communio?

℞. 1. In communione Sacramentorum, quæ omnibus veris Christianis communia sunt. 2. In communione bonorum operum, de quibus participant qui sunt in gratia. 3. In patrocinio & meritis Sanctorum, qui sunt in cœlis, & pro nobis intercedunt. Ex quo Articulo colligitur Sanctorum invocatio, & indulgentiæ.

Quinam spectant ad hanc communionem?

Resp. 1. Omnes Sancti in cœlo. 2. Qui in terris piè & religiosè vivunt. 3. Animæ in purgatorio. *Chrys. in Ps.* 50.

Quomodo intelligenda hæc communio?

Resp. In membris humani corporis unum juvat alterum, unum laborat pro alio; dum enim os comedit, aures audiunt, oculi vident, &c. omnia referuntur ad utilitatem totius corporis: ita etiam in hac communione unus participat de alterius precibus, operibus, meritis, sacrificiis, & indulgentiis, &c.

Suntne impii membra hujus communionis?

Resp. Sunt equidem, sed mortua, nec participant de bonis operibus piorum, hoc tamen utilitatis habent, quòd possint gratiæ & vitæ restitui per merita & preces justorum.

Qui excluduntur ex hac communione?

Resp. 1. Omnes excommunicati, quamdiu in excommunicatione perseverant, qui privantur omnibus bonis fidelium, scilicet exteriori conversatione, quæ in mutuo colloquio consistit, & in convictu. 2. Sacramentorum participatione. 3. Orationibus & suffragiis Ecclesiæ, & vocatur hæc censura Excommunicatio, quia est à communi bono separatio, & comparatur membris à corpore, vel ramis ab arbore abscissis. Quàm gravis autem sit hæc censura, patet multis exemplis. *Quidam eques excommunicatus interfectus est, quem loci Curator in terrorem aliorum amicis & propinquis frustra rogantibus solvere voluit ob criminis enormitatem. Itaq; sine Sacerdotis ministerio à militibus juxta quandam Ecclesiam D. Petri sepultus est. Mane autem facto corpus ejus longè extra cœmiterium projectum, & nudum super faciem terræ ejus inventum est. Tumulus autem, ubi sepulturam habuerat, intactus, & ita ut dimissus fuerat, repertus est. Quem iterum milites aperuêre, & nihil in eo nisi vestes, quibus involutũ corpus fuerat, invenerunt. Rursus cadaver ibi sepelierunt, & diligenter ad tumulum sub enormi pondere terræ & lapidum claudunt, sed die altero projectum cadaver, & tumulum intactum ut suprà aspiciunt. Quinquies sepeliunt, toties eodem ejectum tenore contuentur. Tanto demum victi stupore corpus longè à cæmiterio Ecclesiæ terrâ obruunt* &c.

Quantum malum in anima operetur excommunicatio, patet in subjecta historia. *Ferdinandus à Castello vir Religiosus scriptum reliquit, S. Gundisali-*

disalium Amarantium ex Dominica familia monachum, ut rudi populo, ad quem conciones habebat, declararet, quanta sit vis excommunicationis, & quid damni in anima pariat, canistrum candido ac primario pane plenum, quem mulier gestabat, excommunicasse, subitoque, mirum dictu, panem niveum in aterrimum conversum: deinde cùm eundem aqua lustrali aspersum benedixisset, recesso maledicto pristinum candorem recepisse. Flor. Exempl. c. 1. tit. 60.

Aliud exemplum vide ibidem de arbore per excommunicationem arefacta. Plura vide ibid.

Fertur autem excommunicatio in bonum subditorum, ut ad saniorem mentem revertantur.

LECTIO XIX.

ARTICULUS X.

Remissionem peccatorum.

Quid hoc Articulo credendum proponitur?

℟. TRia nobis proponuntur credenda. 1. Peccata nostra quantumvis magna sæpiùs repetita remitti solere à Deo, modò media ad hoc instituta debitè adhibeantur. (a) 2. Hanc remissionem fieri per Christum, qui hoc donum pretioso suo sanguine vendicavit. (b) 3. Instrumenta verò remissionis peccatorum esse Sacramenta, si dignè suscipiantur, maximè verò baptismum & pœnitentiam.

(a) *Luc.* 24. (b) *Joann.* 20.

Quinam in Ecclesia habent potestatem remittendi peccatum?

Resp. Omnes Sacerdotes ritè ordinati & approbati à Superioribus Ecclesiasticis, quam acceperunt à Christo primario: (c) *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c.

Quî hoc fit?

Resp. Omnipotentis Dei virtute, quâ mortui excitantur, & mundus creatur, quæ per Sacerdotes tanquam instrumenta Dei se manifestat.

Estne peccatum tam grave, ut remitti non possit?

Resp. Nequaquam, sed omnia quantumvis repetita & multiplicata, mediante vera pœnitentia, condonari possunt. Nemo ergo desperet, quantumvis enormis peccator sit, modò in Ecclesia permaneat, eaque, quæ ad peccatorum remissionem requiruntur, perficiat, quæ sunt contritio & confessio. Hujus rei è millibus mirum audi exemplum. *Quædam juvenilibus adhuc annis florens puella improbo parentis suasu permota incesto animam polluit flagitio. Indignum facinus! mater nefandi hujus coitus gnara de tanto crimine acerbis admodum verbis in filiam animadvertens, nefarium & inauditum crimen comperisse clamitans. Illa peccatum propalatum acerbè ferens, audaci conatu matri vitam lucisq; usum virulento pharmaco auferre statuit. Pater qui tunc peregrè aberat, domum reversus ut sinistrum illum casum accepit, filiam acerrimè objurgavit. Infelix puella ultrò citròque se verbis acceptam non ferens, desperationis ictu graviter saucia, & patri cervicem demetere animum induxit, quod arreptâ occasione re-*

(c) *Joann. 20.*

ne remotis arbitris perfecit; atque ita tot tantisq; designatis criminibus fugam aliò dat, ablatâ secum praecipua supellectilis parte, ubi insignis illa daemonis praeda peccata peccatis accumulans, omni frontis honore valere jusso voluptatibus indulsit. Fortè fortunâ contigit, eam aliquando templum ingredi, cùm divini verbi praeco aeterni Numinis praeter morem exaggeraret misericordiam, adderetq; neminem esse in terra ita peccatorum coeno involutum, cui salutis spes affulgere non debeat. Finita concione illa absque cunctatione Concionatorem adiens ab eo percontatur, num vera essent omnia, quae de Dei in peccatores benignitate dixisset? Verissima respondit ille, & per ea, quae publicè dixerat, confirmavit. Si, inquit illa, ita se res habet, ut confidenter dicis, te obnixè rogo Pater, ut excipias confessionem meam, ac à peccatis absolvas, ut pro me fias pius intercessor apud tantam misericordiam. Eam ut audivisset, spatium cogitandi coepit, quam ei injungeret poenitentiam. Tum puella: Quid hoc, inquit, Pater, jam misericordiam valdè extollebas, & nunc videris de salute mea desperare? Non ita, non ita, ait Pater, ô filia sicut cogitas, sed in tuae animae bonum opto, ut ad concionem audiendam cras revertaris, quod tibi pro salutari poenitentia injungo. Illa tunc tantis ob peccatorum recordationem coepit dolorum & suspiriorum afflictari aculeis, ut è templo pedem efferre nequiverit, ac ibidem charissimam Deo animam efflaverit. Quod ubi Concionatori nuntiatum est, eam Religiosis viris commendavit, quibus orantibus audita est vox, è coelo hujusmodi: Non est opus ut oretis pro ipsa, potiùs ipsa orabit pro vobis. Ex Jacobo Vitriac. Catech. hist. c. 2. tit. 3. & alia

& alia vide ibid. Plura de hac re vide infrà de Confessione.

LECTIO XX.

ARTICULUS XI.

Carnis resurrectionem.

Quæ summa hujus Articuli?

Resp. CRedimus hoc Articulo futuram generalem resurrectionem corporum nostrorum, quando post vocem Archangeli animæ eidem reunientur.

Quî fiet hoc?

Resp. Omnipotentis Dei virtute, cui id facilius est, quàm nobis excitare dormientem à somno; & licet hic Articulus olim fuerit creditu difficilis, & multum quæstionis & controversiæ habuerit non solùm apud Ethnicos, Judæos, & Saducæos, verùm etiam apud Christianos: unde variis rationibus à Christo & Apostolo Paulo probari debuit. Est tamen ad salutem, ut firmiter assentiamur, necessarium, à Deo non solùm animæ beatitudinem, sed corporis quoq; gloriam expectandam esse, ut hoc corpus ad Dei honorem libenter expendamus.

Resurgemusne in eadem carne quam modò habemus?

℟. In eadem numero carne. Ita testatur Job (a) & D. Paulus, (b) & ratio est: quia si hoc quod cecidit, resurget, ut recipiat bonum vel malum, indubitatum erit, eadem corpora, quæ corrupta sunt,

(a) *Job.* 19. (b) 1. *Cor.* 15.

sunt, resurrectura ad recipiendam mercedem. Ad hanc resurrectionem respiciebat *S. Jacobus dictus Intercisus, natione Persa, cùm à Rege Persarum ob fidem Christianam comprehensus foret, jussit Rex, ut omnia ei membra successivè detruncarentur. Ergo priùs digiti manus dexteræ, deinde & sinistræ detruncati sunt; at ipse ad singula tormenta benedicebat Deum, gratias agens quòd eum amputaret quasi vineam, ut posteà repullularet & refloreret, & fructum uberiorem ac suaviorem proferret. Posteà pedum digitis, brachiis & tibiis abscissis, in illis tormentis mirabiliter exultans cum constantia, quoties membrum truncaretur, dixit: Ite membra mea, sed conveniemus, & congaudebimus in generali resurrectione mortuorum. Ad Deum tandem clamabat: Audi Domine Deus vivorum & mortuorum, cùm non amplius manus, quas ad te levare possum, habeam, nec genua quæ flectam: jube animam meam de hoc corpore ad te evolare. Post hanc orationem capite abscisso, anima ad Deum evolavit.* Surius tom. 6. in ejus vita. Item vide Catech. histor. de Eutychio hæret. cap. 1. tit. 76. exempl. 4.

Cur Deus voluit corpus retributionis esse particeps?

℟. 1. Quia simul cum anima ad honorem Dei laboravit, vel peccavit. 2. Ut ad similitudinem capitis sui Christi totus homo cœlos ascendat. 3. Ut Deus charitatem suam manifestet, quâ lutum hoc nostrum cœlis infert, & in thronum suum constituit.

In qua ætate resurgemus?

℟. In ætate perfecta, in qua Christus resur-

rexit, ideoq; infantes, senes, claudi, cæci, surdi, &c. non ut tales, sed in tali vigore, qualem circa trigesimum annum habuerunt, vel habituri fuissent, secundùm debitum temperamentum.

Quomodo fiet resurrectio?

Resp. Fiet in voce Archangeli, quæ est tuba Dei: (c) *Canet enim tubâ, & mortui resurgent incorrupti.* (c) 1. *Cor.* 15.

LECTIO XXI.

ARTICULUS XII.

Et vitam æternam. Amen.

Cur ultimo loco ponitur hic Articulus?

Resp. QUia vita æterna est ultimus noster finis, ad quem conditi sumus; ac remuneratio, quam per fidem speramus.

Quid intelligitur per vitam æternam?

℟. Suprema felicitas nobis in cœlis parata, quæ quia uno nomine comprehendi nequit, variis nominibus quasi per partes explicatur. 1. Vocatur (a) *Regnum cœlorum*, quia summa libertate, dignitate, potentia, gloria, bonisq; omnibus Sancti ceu Reges, qui in regno sunt potiores, perfruuntur. 2. (b) *Regnum Christi & Dei*, quia pacatissimè Deus omnia moderabitur, devictis hostibus, carne, dæmone, & mundo, qui nos non rarò ab obedientia Dei revocarunt. 3. (c) *Paradisus*, propter summam bonorum omnium affluentiam,

(a) *Matth.* 5. (b) *Matth.* 5. (c) *Ephes.* 5.

entiam, qua Sancti gaudebunt intùs forisque repleti. 4. (d) *Sancta civitas*, ob Sanctorum, nobilissimorumq́; Civium societatem. 5. (e) *Gaudium Domini*, ob æternam lætitiam. 6. (f) *Inebriatio*, ob rerum omnium abundantiam. 7. *Requies*, ob cessationem omnis laboris & adversitatis. Sed aptissimè dicitur vita æterna, quia Sancti liberabuntur ab omni malo, & consequentur bona æterna.

Quæ sunt illa bona?

℟. Duplicia: scilicet *essentialia*, & *accidentalia*. Essentialia bona consistunt in visione & fruitione Dei perfectissima. Accidentalia gaudia sunt: gloria, pax, gaudium, quibus Sancti velut amici, fratres, & filii Dei afficientur. Erunt autem hæc bona tanta, ut in hac vita degentes ea nec cogitatione quidem comprehendere possimus; quia juxta Apostolum: (g) *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Tanta denique erunt hæc bona in cœlesti gloria, ut mille anni sint sicut dies hesterna quæ præteriit, ut in subjecta patet historia. *Quidam Monachus legens in Matutinis:* Mille anni ante oculos tanquam dies hesterna, quæ præteriit, *miratus est nimis, quomodo illud esset possibile, erat enim sanctus & devotus valde. Post Matutinas ergo mansit in Choro in sua devotione, ut consueverat, & petivit sibi illum versum revelari à Deo, & avis pulcherrima volavit ante*

oculos

(d) *Luc.* 23. (e) *Apoc.* 1. (f) *Matth.* 25. *Ps.* 35. (g) 1. *Cor.* 2.

culos ejus, & avolavit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem ejus. Tandem volavit extra Ecclesiam, tamen semper prope ipsum, ut posset videri, & apprehendi. Tandem duxit eum extra claustrum, & ulteriùs deduxit eum ad unum nemus, quod fuit ante claustrum, magnum & spatiosum valdè. Et ibi Monachum illum detinebat per dulcem melodiam per trecentos annos, nunc avolando, nunc appropinquando, quousque omnes Monachi dicti monasterii essent defuncti. Et præ dulcedine cantûs dictæ avis non esurivit, nec bibit, nec comedit. Posteà avis avolans Monachum dimisit. Tunc Monachus ad se reversus monasterium suum petiit, quia propè erat, putans se eâdem nocte post Matutinas recessisse. Jam erat hora tertia, ut sibi videbatur, & se petivit intromitti. Portarius quæsivit quis esset? qui dixit: sum Sacrista istius monasterii, qui post Matutinas egressus sum. Portarius putans eum delirum, non cognovit eum omninò, tamen requisivit ab eo nomina Fratrum, scilicet, Abbatis, Prioris, & Cellarii. Recitavit ergo nomina eorum qui erant temporibus suis, & Portario omninò incogniti erant. Et admirans Monachus quòd non intromitteret eum, & simularet se nescire nomina Fratrum, petivit ut duceret eum ad Abbatem: ad quem cùm venisset, nec ipse cognovit Abbatem, nec Abbas è converso ipsum cognovit. Et inquisivit Abbatem de prædecessore suo, & sic inventum fuit, quòd Abbas ille cum aliis, quos nominavit, ante trecentos annos fuisset defunctus. Tunc ostendit Abbati, & omnibus Fratribus, quid Deus secum operatus est per tot annos in eremo per avem & illum versiculum: Mille anni &c. & de gaudio

para-

paradisi, & tunc ipsum in Fratrem receperunt, qui statim sumptis Sacramentis dulciter obdormivit in Domino, & ad gaudia vitæ æternæ pervenit. Spec. Exempl. tit. Cœlestis glor. exempl. 15.

Edemusne aut bibemus in cœlesti gloriâ?

R. Quinimò, verùm non carnaliter, quia corpora nostra non esurient, neque sitient amplius, dum ad istam gloriam pervenerint, sed convivium totum erit spirituale: cibus noster erit fruitio Dei, potus inebriatio ab ubertate domus Dei, id est, omnium gaudiorum affluentia.

Esuriemusne, aut sitiemus, aut fatigabimur ibidem?

Resp. Nequaquam, quia Beati (h) *non esurient, neq; sitient amplius, neq; cadet super illos Sol, nec ullus æstus.* Nec ibi erit ullum tædium, neq; fatigatio, &c.

Qualia erunt corpora nostra in cœlis?

R. Erunt affecta dotibus gloriosis, quæ sunt: 1. *Claritas,* (i) quia fulgebunt justi sicut Sol in conspectu Dei. Impiorum verò corpora in inferno obscuritate & fœditate horrorem incutere poterunt ad instar cadaverum à vermibus semiesorum, (k) *Vermis eorum non moritur.* 2. *Impatibilitas,* (l) *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* [m] *Non esurient neq; sitient amplius,* &c. Impiorum verò corpora, licet non moriantur, patientur tamen faciliùs quàm dum viverent in hoc mundo, idonea scilicet ad omnem pœnam; hinc

[h] *Apoc.* 1. [i] *Matth.* 13. [k] *Isa.* 66. [l] *Apoc.* 21. [m] *Apoc.* 1.

hinc esurient, sitient, algebunt, ardebunt, &c. & quidquid pœnarũ est cum dolore sentient. [n] 3. *Agilitas*, id est, sicut homo cogitatione in momento fertur quocunq; vult, ita eorum corpora ad nutum animæ brevissimo tempore sine molestia, sine ullo obstaculo illuc ferentur quocunq; voluerint: *Assument pennas ut aquilæ*, &c. [o] quia agiles promptiq; fuerunt ad serviendum Deo. Impiorum corpora gravedine deprimentur in cruciatibus inferorum. [p] 4. *Subtilitas.* Adeò enim erunt subtilia, ut exemplo Christi, sicut ipse sepulchrum & januas clausas penetravit, ita ipsi quòlibet transire possint.

Suntne plura bona in cœlesti gloriâ?

℟. Infinita, à nobis autem cogitatione neq; concipi, multò minùs verbis exprimi possunt, omnia erunt delectabilia, nihil triste, &c.

Nunquid omnes ad hanc beatitudinem conditi sumus?

Resp. Omnes omninò, neminem enim Deus creavit ad æternam damnationem.

Nunquid omnes æternam vitam consequentur?

Resp. Nequaquam, quia non omnes utuntur mediis, quibus ad eam pervenitur.

Qualia sunt hæc media?

℟. Observantia mandatorum Dei: [q] qui enim servaverit, beatus erit; qui verò ea prævaricatus fuerit, in eaque permanserit, condemnabitur.

Cur

[n] *Apoc.* 9. [o] *Isa.* 40. [p] *Matth.* 22. [q] *Matth.* 19.

Cur in fine Symboli additur: Amen?

R. Amen idem est quod credo firmiter, & desidero obtinere, quæ hic confessus sum.

Igitur mi Christiane amplectere media, quibus ad hanc beatam æternitatem pervenitur: ingredere viam mandatorum Dei, & ab ea non aberrabis: dimica fortiter contra vitia, labores tolera, injurias & opprobria patienter sustine, continuò cum Sanctis, qui nos pet crucem & tormenta præcesserunt, [r] *aspiciens in remunerationem:* hanc frequenter considera, & facilè momentaneas voluptates ex alto despicies, semper in corde tuo versetur brevis hæc, sed efficax sententia: *O beata æternitas! quid est te possidere? quid est te amittere?*

CAPUT SECUNDUM.

De Spe.

LECTIO XXII.

Quæ virtus post fidem Christiano est necessaria?

R. SPes. Etsi enim tria sint testante Paulo, (a) quæ nos in hac vita ad futuram beatamq; deducunt: *Fides* nimirum, *Spes & Charitas;* tamen post cognitionem divinorum, quæ fidei est, confidere debemus nos ea posse consequi.

Quid est Spes?

R. Est expectatio certa beatitudinis, *Rom.* 5. proveniens ex gratia Dei, & meritis nostris.

Quos

[r] *Hebr.* 11. [a] 1. *Cor.* 13.

Quos effectus in nobis producit Spes?

Resp. 1. Dat vires ad curandam viam Dei. 2. Consolatur mirè animam in afflictione, ut patet in Martyribus, qui post brevem agonem se præmia consecuturos æterna sperabant. 3. Tollit omnem anxietatem in morte.

In quo vera Spes consistit?

Resp. In eo, quòd in vera fide, quam tenemus, gratiæ divinæ cooperemur, expectantes per gratiam Dei & merita nostra æternam beatitudinem, non obstante propriæ fragilitatis cognitione, & validissima dæmonis impugnatione, periculis & impedimentis seculi.

Quæ vitia opponuntur Spei?

Resp. 1. *Desperatio*, quâ peccat quis, dum scilicet agnoscens se plurimorum scelerum reum non vult pœnitere, putans sibi peccata præ multitudine remitti non posse, quod sanè gravissimum est peccatum. 1. Quia repugnat omnipotentiæ divinæ, quia credere debemus, nullum peccatum esse adeò grave, quin possit Deus illud remittere, qui potens est *de lapidibus filios Abrahæ resuscitare*, (b) id est, de cordibus, quantumlibet duris & lapideis, filios gratiæ & salutis efficere. 2. Repugnat bonitati & misericordiæ divinæ; clamat enim ubiq; Scriptura, quòd Deus misericors & miserator, quòdque nolit mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat. (c) Itaq; Dei bonitas nullis peccatis vinci potest, sed in infinitum superat omnia hominum pecca-

[b] *Matth.* 3. [c] *Ezech.* 18.

peccata, etiam possibilia. (d) Qua de re plurima passim reperies exempla. Mirum sanè refert Godscalcus Ordinis S. Augustini Concionator: *Virum quendam gravi à Deo percussum infirmitate ob scelerum enormitatem. Amici ergo ejus hortabantur eum ad pœnitentiam & confessionem; ille verò velut in furorem versus dicebat:* Nescitis quòd ego peccator pessimus sim? quid mihi prodest pœnitentia? damnatus sum. *Venit posteà ad ipsum Christus, & dicit ei:* Ego sum JESUS pro te mortuus, & miserationes meæ excedunt omnia peccata tua, fac confessionem, & miserebor tui. *Ille verò renuit. Tandem elevans Dominus pallium, quo tegebatur, ostendit ei vulnera sua dicens:* Hæc omnia pro te sustinui, te damnare nolo, si vis pœnitentiam agere. *At ille nequaquam acquievit. Tunc pijssimus Dominus noster sanguinem copiosum de latere suo manu dextrâ in faciem desperati projecit, dicens:* Hoc signum coram omnibus hominibus in extremo judicio portabis, in signum quòd misericordiam meam contempseris. Ita Godsc. serm. 58. part. hyem. Notatu dignum est, quòd S. Catharinæ Senensi quondam dixit Deus: *Peccatores, qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò gravius me offendunt & displicet mihi hoc uno peccato, quàm omnibus aliis, quæ unquam commiserunt,* &c. Blosius in Mont. Spir. c. 1.

[d] *vide hist. in Symb. Art. 10. de puella, &c.*

LECTIO

LECTIO XXIII.
De Præsumptione.

Quod vitium præterea opponitur Spei?

Resp. Præsumptio de misericordia Dei.

Quid est præsumere de misericordia Dei?

Resp. Dum quis de sola Dei misericordia confidens ad peccandum sit audax, abjecto Dei timore, & justitiæ ejus consideratione.

Estne grave peccatum præsumere de Dei misericordiâ?

Resp. Est sanè gravissimum & periculosum peccatum.

Quare est gravissimum?

℟. Quia est peccatum in Spiritum Sanctum, & ponit obicem gratiæ Spiritus S. negligens & contemnens media ordinata, quibus solet gratiam impertiri; ita ut abjiciat illud, quo Spiritus Sanctus solet hominem à peccato revocare.

Quare est periculosum?

℟. Quia aperit januam omnibus peccatis, & hominem audacem facit ad cumulandum peccata peccatis; præsumentium enim vox est: Bonus est Deus, misericors est, faciam quod mihi placet, laxabo habenas cupiditatibus meis, desideria animæ meæ implebo, dimittet mihi omnia peccata mea, & sic sperat ut peccet, & peccata peccatis adjicit, ait S. Augustinus. Manifestum est igitur, præsumptionem esse originem multorum peccatorum, dum frænum animo excutit, timo-

timorem scilicet & justitiam Dei: ita ut homo tunc sit quasi eqvus effrænis & exoculatus, ruens de fovea in foveam, de præcipitio in præcipitium, uti heu! quotidiana docet experientia. Hinc graviter sæpè monendi & reprehendi sunt, qui maximis obnoxii peccatis dicunt, non esse ita difficilem & asperam cœli viam, Deum non condidisse paradisum pro anseribus, &c. cùm S. Scripturæ & SS. exempla nos aliud doceant, & continuò moneant voces Apostolicæ: [a] *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram electionem & vocationem faciatis.* Item: [b] *cum timore & tremore incolatûs vestri tempore conversamini, novissimum quadrantem Domino reddituri.* Spes ergo eorum fallax est, quâ vanè sibi blandiuntur, & decipiuntur, cogitantes: Indulge peccatis, postea in fine vitæ ages pœnitentiam, & tui miserebitur Deus. Verùm decipiuntur, sicut deceptus est ille, de quo in vita B. Thomæ Mori legitur; *dum variis vitiis implicatus de agenda pænitentia moneretur, solebat dicere: Se tribus verbis in fine tandem salutem consecuturum; alludens ad hæc, aut similia verba: Miserere mei Deus. Contigit verò eum die quâdam arctum satis pontem transire, & equo impingente decidens cœpit clamare: Rapiat omnia dæmon.* Hæc sunt tria verba, quibus salutem, imò verò æternam animæ assecutus est perditionem. Habes & aliud exemplum Chrysaurii ex D. Gregorio, *qui vitam vitiis deditam agens, ac frustrà sæpè ab aliis de vitâ melius instituendâ admonitus, emendatio-*

[a] 2. *Petr.* 1. 1. *Petr.* 1. [b] *Matth.* 5.

dationem in vitæ finem conjiciens, tandem ad extrema deductus, cùm se dæmonibus prædam expectantibus cinctum vidisset, horrendâ voce inclamare cœpit: Inducias vel usq; manè, inducias vel usq; manè. *Sed in his verbis exspirans, manè illud non invenit, qui dum hodie cognominatur Dei voce surdus fuit.* Igitur quicunq; de misericordia Dei nimium præsumpsisti, horum aliorumq; exemplo time; sæpissimè etenim tales ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec remissionis beneficium reperiant, dum in fine vitæ vel gravitate morbi præpediti, ad pœnitendum redduntur inutiles, vel justo Dei judicio subitâ morte imparati abripiuntur, vel ratione privati sine conversione discedunt, & æternùm pereunt. Tandem concludo cum S. Augustino tract. 33. in Joan. *Dulcis & rectus est Dominus: ama quòd dulcis est, time quòd rectus est. Tanquam mansuetus dixit: Tacui; sed tanquam justus: Nunquid semper tacebo? Misericors & miserator est Dominus, sed time quòd in novissimo est verax. Quos modò sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes.* Et post pauca: *Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proponit indulgentiæ portum; propter illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum.*

LECTIO

LECTIO XXIV.

De Oratione.

Quis est præcipuus Spei actus?

Resp. EST Oratio, quæ spem nostram plurimùm roborat ac promovet.

Quid est Oratio?

℟. Est mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliisq; petimus, vel Deo benedicimus, ita eam describit D. Joannes Damasc. D. Greg. Nyss. dicit Orationem esse *conversationem quandam & sermocinationem cum Deo*, lib. de Oratione c. 1.

Estne oratio bona in omni loco?

Resp. Est omninò.

Cur ergo adimus templa, ut ibi oremus?

℟. Quia illa specialiter sunt consecrata, ut sint domus orationis, ibiq; oratio est Deo gratior, quia fit in præsentia Christi Mediatoris in Sacramento, & dum fit communi consortio in templo, per Spiritum Ecclesiæ ad Deum elevatur.

Nunquid omni loco & tempore orare possumus?

Resp. Quinimò; ait enim S. Paulus: (a) *Volo vos in omni loco orare.*

Quî hoc fieri potest?

Resp. Dum ore vel opere semper Deum benedicimus & oramus.

Quomodo opere oramus?

Resp. Referendo in Deum omnia opera no-

(a) 1. Tim. 2.

stra; sic semper orat, qui in principio cujusq operis Deum invocat adjutorem, & ad ipsius ho norem illud perficit.

Quo corporis situ oportet orare?

Resp. Licet nullum extet præceptum, qu corporis situ orandum sit; usitatior tamen Chri stianorum in oratione est genuflexio, & manu um complicatio.

Cur hoc situ oramus?

Resp. Ut reos nos protestemur & dignos, qu ligatis manibus & pedibus propter Dei offensa projiciamur in tenebras exteriores, qui hac rati one veniam & misericordiam deprecamur.

Estne antiqua consuetudo, quâ Deum genuflexi oramus?

Resp. Est sanè antiquissima, tam in vete quàm in novo Testamento usitata. Nam 1. Re 8. v. 34. Salomon oravit flexis genibus. Ita hab textus: *Factum est autem cùm complêsset Salomon rans Dominum, orationem & deprecationem hanc, su rexit de conspectu altaris Domini, utrumq; enim ge in terram fixerat.* S. Petrus Apostolus suscitatu rus mortuam, ponens genua oravit. Act. 9. v. 4 Similiter S. Paulus Apostolus orans flectebat g nua, ad Ephes. 3. v. 14. & alibi. Christus Salva tor noster, cujus actio nostra debet esse instru ctio, *positis genibus orabat* in horto, Luc. 22. v. 41. & Matth. 26. *procidit in faciem suam orans.*

Cur Salvator noster tali corporis situ orabat?

R. Ut summam Patri reverentiam exhibe ret, & ipse quasi reus & pœnitens pro nobis se si sterc

ſteret Patri, eiq; totum ſe ad caſtigationem offerret. Cur ergo nos in genua, imò in faciem non provolvamur, qui propriis reatibus Deum toties offendimus?

Cur orantes tundimus pectus?

Resp. Tunſio pectoris ſignum eſt pœnitentiæ & cordis contriti. *Tunditur pectus* (ait Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Domini) *ut arguatur quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigetur peccatum.* Ita publicanus Luc. 18. *percutiebat pectus ſuum dicens: Propitius eſto mihi peccatori.*

Cur convertimus nos ad Orientem in oratione, & officiis divinis in templo?

Resp. 1. Quia paradiſus, unde in Adamo expulſi ſumus, erat in Oriente; oramus igitur antiquam requirentes patriam, & obſecramus, ut tandem in cœlum per dignos pœnitentiæ fructus reverti poſſimus. 2. Quia Salvator noſter aſcendit in cœlum in Oriente, prout crucifixus fuerat ab Oriente averſa, & ad Occidentem converſa, ut Gentes in eum reſpicerent in oratione.

Cur Chriſtiani diebus Dominicis & toto tempore Paſchali ſtantes orant, idq; præſertim in Choro?

Resp. Id faciunt ob reſurrectionem Domini, quam iſtis temporibus celebrant, qua ſurreximus à peccato, & morte per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Unde S. Auguſt. epiſt. 119. cap. 15. *Corpore erecto precamur, ut mens in id, quod agit, intenta ſit, & gaudium Dominicæ reſurrectionis celebrantis, quæ ſurſum ſunt quæramus, non quæ ſuper terram.*

LECTIO XXV.

De conditionibus bonæ Orationis.

Nunquid omnis oratio Deo grata?

Resp. NEquaquam, sed ea solùm, quæ sequentibus adornata est conditionibus, habetq; multam vim à Deo impetrandi. Prima conditio, eaq; omnium maximè necessaria, est conscientiæ puritas, ut scilicet orans sit in statu gratiæ. S. Joannes 1. Ep. c. 3. id testatur, dicens: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Et Christus ipse: (a) *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* De peccatoribus autem habetur Joan. 9. *Scimus quia peccatores non audit Deus.* Imò Prov. 28. *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Qualis verò sit oratio à corde peccatis contaminato procedens, patet in subjecta historia. Refert Albertus Castellanus, *Juvenem quendam turpi vitæ deditum, solitum Matri Dei laudes frequenter offerre. Apparuit autem ei quâdam die per eremum iter facienti, ac gravi fame laboranti beata Virgo cibum offerens delicatum, sed in patina valdè immunda. Dumq; diceret ei Virgo: Comede; respondit ille: Cibus quidem bonus est, sed nauseam mihi generat immunda scutella, nec possum comedere. Tunc ait Virgo: Laudes, quas mihi offers, bonæ sunt, sed cor tuum*

(a) *Joann. 15.*

immundum est, & ideò tuis laudibus non delector; sieque disparuit visio, ipse verò per pœnitentiam se mundavit. ut deinceps placeret oratio, quam Virgini præsentabat. Talis quoque est oratio, quam peccator offert Deo.

Sed dices: Si ingratæ sunt preces meæ, quas Deo in peccatis constitutis offero, satius erit non orare?

Resp. Non ideò ab oratione desistendum, sed per veram pœnitentiam conscientia mundanda est, sicque cum publicano magnam à Deo obtinebit gratiam.

Quales præterea oratio requirit conditiones?

Resp. Secunda conditio orationis est *Fiducia*, quâ scilicet speremus firmiter postulata impetrare, tanquam filii à patre. Hanc fiduciam unicè nobis commendavit Salvator dicens: (b) *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Item S. Jacobus in Epistola sua: (c) *Postulet autem in fide nihil hæsitans.*

Super quo fundari debet nostra fiducia?

Resp. Fundari debet super misericordia & bonitate Dei, quâ paratus est, & potest plura quàm petimus, nobis dare; nam sicut Soli proprium est illuminare, igni ardere, fonti fluere; eodem modo judicandum est de Dei bonitate. Cum tali fiducia accessit ad Christum Hemoroissa apud se cogitans: (d) *Si tantùm tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero,* & sanata est. Cum tali fiducia oravit S. Gregor. Taumaturgus, &

(b) *Marc.* 11. (c) *cap.* 1. (d) *Matth.* 9.

montem, qui ædificium Ecclesiæ impediebat, alio transtulit, ut in Breviario Rom. 17. Novemb. Cum tali fiducia oravit sæpiùs S. Bonifacius, ut in vitis SS. 14. Maji. Talem fiduciam habuerunt ii, de quibus Palladius refert, *sanctum Sacerdotem Coprem retulisse agros apud se planè fuisse infrugiferos, ita ut rustici vix mediam seminis partem in messe receperint, semper enim in arista vermiculus segetem corrumpens succrescebat. Postquam verò ex gentilismo ad Christi fidem se convertissent, rogabant eos, à quibus beneficium conversionis receperant, ut pro segete sua divinam exorarent clementiam. Tunc Copres Dei famulus eos consolabatur dicens: Si confiditis in Domino, arida hæc arena vobis fructum reddet. Ii verò sine mora pleni fiducia sinus suos implebant arena, eamque ad S. Coprem attulerunt, hic factâ oratione eandem unà cum segete dispergi mandavit, unde agri eorum adeò fertiles redditi sunt, ut totam superarint Ægyptum.*

Quæ est tertia conditio?

Resp. Tertia conditio orationis est, ut petamus ea, quæ ad animæ salutem pertinent; quod insinuavit Christus verbis istis: (e) *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Nam, ut dicit S. Augustinus: *Quicquid petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris.* Hinc si quid eorum etiam petatur, quæ ex se nec bona nec mala sunt, ut sanitas, opes, honores, &c. non aliter est petendum, quàm *si ad majorem Dei gloriam, animæq; salutem conferat.* Ita oravit æger quidam, de quo legitur in vita S. Thomæ Cantuariensis Episcopi, *qui accedens hujus Sancti sepulchrum recu-*

(e) *Joann. 16.*

perandæ sanitatis gratiâ, compos voti factus dubitare cœpit, an sanitas æquè ac morbus prior saluti animæ suæ conduceret. Itaq; ad Martyris sepulchrum rediit, & instanter petiit, si sanitas non prodesset, ut rursus pristino afficeretur morbo, & ita factum est, Deo sic ad salutem ejus ordinante, & Sancto intercedente. Idem contigit matronæ cuidam urbis Amstelodamensis, *quæ cùm multo tempore ex infirmitate decubuisset, votum Sacramento fecit pro liberatione sua ex infirmitate. Deducta igitur absente marito ad locum sacrum, ubi virtute miracula fiebant, sanitatem simpliciter petiit, & obtinuit, sanaq; domum rediit. Marito verò domum revertenti ubi rem gestam enarravit, petiit illenum postulasset cum conditione, si saluti animæ expediret? Respondet ipsa, simpliciter se sanitatem postulasse. Itaq; ipsam ad sacrum locum redire jubet, & hoc à Deo petere, quod animæ magis expediret, moxque eâdem, quâ priùs, infirmitate correpta fuit.*

Quæ est quarta orationis conditio?

Resp. Quarta conditio est *Perseverantia*, quam in oratione requiri Salvator in parabola de petente tres panes ab amico, (f) & tandem impetrante pulcherrimè declaravit. Hujus perseverantiæ exemplum præclarum nobis dedit mulier illa Chananæá, (g) quæ iterum iterumque à Christo Domino repulsa, tandem in oratione perseverans filiæ sanitatem impetravit. His condicionibus instructa oratio Deum ipsum expugnabit, & postulata haud dubiè obtinebit. Tali oratione Moyses hostem superavit; (h) iratum

 populo

(f) *Luc.* 11. (g) *Matth.* 15. (h) *Exod.* 17.

populo Numen placavit. (i) Oratione tali Deum velut ligavit Jeremias; unde hæc ad illum Deus: (k) *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi.* Tali oratione Josue (l) Solem stitit, dum hostes ad internecionem persecutus deleret. Eundem Isaias ad decem horas retroëgit, prorogatæ vitæ Ezechiæ Regi vitæ à Deo indicium. (m) Ipse Rex Ezechias oratione morbum lethalem superavit, vitamq; quindecim annis impetravit longiorem. Hac de re sub lege gratiæ in vitis Sanctorũ infinita propemodum invenies exempla.

LECTIO XXVI.

De Oratione Dominica.

Quæ est præstantißima oratio?

℟. Est Oratio Dominica, quia illam Dominus JESUS Sapientia Patris composuit, ac nobis præscripsit, in quâ paucis verbis omnia precanda complexus est.

Quare voluit esse adeò brevem?

Resp. Ut nemo, quamlibet rudis, excusaretur ab ea memoriter tenenda.

Quid efficaciæ continet hæc oratio?

Resp. Præterquam quòd maximam vim habeat à Deo quævis beneficia impetrandi: efficax est præterea contra morbos, veneficia, & dæmonis impugnationes. Exemplum refert Surius 20. Janu-

(i) *Exod.* 32. (k) *Jerem.* 7. (l) *Josuæ* 10. (m) 4. *Reg.* 20.

20. Januarii de S. Tiburtio, *qui dum casu quendam ex alto delapsum offendisset, qui caput aliaq; membra ex casu ita colliserat, ut desperatâ jam sanitate parentes ejus solùm de sepultura cogitarint. Tiburtius verò: Recedite,* inquit, *unico duntaxat eum alloquar verbo, adeoq; pristinæ restituetur sanitati. Dictum factum: Recedebant omnes: Sanctus verò stans super eum, orationem Dominicam cum Symbolo Apostolorum recitavit, quo facto collisius adeò perfectè convaluit, ut læsionis vestigia in eo nulla apparerent.* Ex Vogl. fol. 108. *Sancta quædam Virgo Episcopatus Constantiensis recitando Orationem Dominicam cum Symbolo Apostolorum, ac formando signum Crucis super quendam toxico infectum, perfectæ eundem restituit sanitati. Frequenter hæc Sancta dicebat: Nequaquam esse recurrendum ad vetulas, ariolos, & magos pro obtinenda sanitate, Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, signũ S. Crucis contra quosvis morbos esse præstantißima remedia.* Ex Voglero ibid. refert Nider. l. 5. c.

Quot orationes continet hæc oratio?

Resp. Septem, quibus totum continetur, quidquid à Deo petere possumus.

PRIMA PETITIO.

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.

Quid sibi volunt hæc verba præambula: Pater noster?

Resp. Excitant petitionem, fiduciam filia-

lem in nobis; non enim repellit filios ad brachia recurrentes, qui affectu Pater est: sed simplici eorum petitioni acquiescit, licet iratus quando nomen Patris cum humilitate invocatur. Unde prodigus sibi nomen paternum repræsentans, in fiduciam erigitur dicens: *Surgam & ibo ad patrem meũ, & dicã illi: Pater peccavi.* [a]

Estne ergo Deus noster pater?

℟. Quinimò, idque ratione creationis, redemptionis, adoptionis, & glorificationis. Ob quæ beneficia in Patrem hunc cœlestem ut fide, spe, & charitate, ac summo affectu feramur necesse est, omnemq; ei pietatem, venerationem & obedientiam exhibeamus.

Cur dicitur Pater noster, *& non Pater mi?*

Resp. Per hanc vocem monemur charitatis fraternæ, & significatur nos omnes eundem habere Patrem in cœlis, & pro omnibus tanquam fratribus orationem faciendam esse.

Cur dicitur: Qui es in cœlis, *cùm Deus sit ubique?*

℟. Deus est ubique; hinc rectè dicit Propheta: [b] *Quò ibo à spiritu,* &c. ubique ergo est per essentiam, præsentiam, & potentiam; sed in cœlis specialiter per gloriæ suæ manifestationem, ibi regia aula ejus est, in qua adoratur ab Angelis, & glorificatur à Beatis.

Quid discimus ex hisce verbis?

Resp. 1. Discimus ex intentione Christi animum ad cœlestia erigere, & illum avellere à terrenis, illuc oculos cordis nostri intendere, ubi Pater

[a] *Luc.* 15. [b] *Ps.* 138.

Pater noster est, patria, & parentes, fratres, & hæreditas nostra, quam expectamus, continuò illuc suspirare, quamdiu peregrinamur in hoc sæculo. Deinde discimus renunciare parentibus terrenis, qui nobis in via salutis conantur esse impedimento. Quod præclaro exemplo præstitit S. Pater noster Franciscus, *qui à patre ductus ad Episcopum Assisinatem, ut cederet bonis paternis, quia in pauperes cuncta quæ poterat distribuebat. At ille amore Christi libenter omnibus cedens, tanquam perfectionis Evangelicæ percupidus, rejectis etiam vestibus patri omnia concessit dicens: Hactenus te appellavi patrem in terris, jam verò possum dicere: Pater noster qui es in cœlis.* S. Bonaventura in vita S. Francisci. Mirabile est, quod narrat S. Antoninus de quodam Doctore insigni, qui se Franciscanæ familiæ addixerat: *Mater, quæ inopiâ haud mediocri premebatur, & manuum laboribus ipsum in studiis aluerat, accessit, lacrymis conquerens tum apud filium, tum apud Patres Ordinis, eos inhumanos & injustos accusans. Quibus cùm commotus jam in proposito nutaret, & ante Crucifixi imaginem oraret, quasi veniam ab eo petens discedendi ad matrem sublevandam, vidit è Christi latere manantem cruorem, simulq; hanc vocem audivit: Ego cariùs te nutrivi, quàm mater tua, quare me non deserere debes propter matrem. Quo ille stupefactus, & ita corroboratus est, ut deinceps maternas omnes vel blanditias, vel querelas facilè contempserit.* S. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 9. §. 7.

LECTIO XXVII.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Quid petimus hisce verbis?

℞. DUm petimus ut sanctificetur nomen Dei, nihil aliud petimus, quàm ut Majestas, potentia, sapientia, bonitas, cæteræq; perfectiones ejus ubiq; notificentur & celebrentur, ut sic ab omnibus, & in omnibus locis honoretur, adoretur, timeatur, & ametur. Hoc est primum, quod non solùm petere, sed & omni conatu procurare debent filii Dei.

Quomodo sanctificatur nomen Dei?

℞. Variis id fieri modis. 1. Cùm laudatur à creaturis. 2. Cùm excitantur creaturæ ad laudem Dei nobiscum. 3. Cùm convertuntur infideles, hæretici, & peccatores. 4. Dum quis patienter tolerat persecutiones. 5. Dum quis cum reverentia pronuntiat nomen Dei, & omnia refert ad ipsius gloriam. Ita inter Sanctos cumprimis sanctificarunt nomen Dei Seraphicus Pater noster S. Franciscus, S. Ignatius, qui in omnibus actionibus majorem Dei gloriam intenderunt.

SECUNDA PETITIO.

Adveniat regnum tuum.

Quid post amplificationem divini nominis petendum?

℞. Primo loco bonum illud, ad quod creati

ſumus, quod ſuper omnia nobis eſt commendatum, quodque omnibus rebus eſt præferendum. [a] *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Hæc eſt felicitas vitæ æternæ. Quia enim vires noſtræ adeo imbecilles & fragiles ſunt, ut ad tantum regnum conſcendere non valeant, & iter ipſum periculis plenum ſit, rogamus ut regnum Dei in nos adveniat, hoc eſt, ut Sanctiſſima Trinitas ſuâ gratiâ nos viſitet. [b] *Ne regnet peccatum in mortali hoc corpore noſtro*, ſed ut peracto hujus vitæ curriculo in æternam cœlorum gloriam nos vehat.

Cur Chriſtus hoc loco potiùs uſus eſt vocabulo regni, quàm vitæ æternæ?

℟. 1. Ut nobis Dei benignitatem commendaret, qui nobis regnum ſuum offert, diſſimilis Regibus hujus mundi, à quibus petere regnum graviſſimum eſt flagitium. 2. Ut diſcamus mortem non metuere, quæ non ad calamitatem, ſed ad Dei regnum aperit januam filiis Dei. 3. Ut pauperibus conſolationem adferret, qui licet ad tempus hic affligantur, nati tamen ad regnandum, brevi ſuſcepto regno [c] *judicabunt nationes, & dominabuntur populis*, regnaturi cum Chriſto in æternum.

Qui ex hac petitione naſcuntur fructus?

℟. Diſcimus non implicare mentem terrenis vanitatibus, ſed ſemper aſpirare ad regnum illud cœleſte. Deinde monemur quasvis perſecutiones cum patientia tolerare, ac laborem ali-

[a] *Matth.* 6. [b] *Rom.* 6. [c] *Sap.* 2.

quem ſumere ad regnum hoc conſequendum, utpote quod non datur otioſis, ſed laborantibus, pugnantibus, & vincentibus. Quanto deſiderio ad regnum hoc anhelârint Sancti, patet in ipſorum actis. Cùm S. Ignatius Epiſcopus & Martyr ad beſtias damnatus eſſet, ita ad Romanos ſcribebat: *Utinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ, quas & volo mihi veloces eſſe ad interitum & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne ſicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere; quòd ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego urgebo. Ignoſcite mihi filioli, quid mihi proſit, ego ſcio. Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his, quæ videntur, deſiderans, ut Jeſum Chriſtum inveniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Chriſto fruar.* Cùm S. Dorothea in eqvuleo torqueretur, ajebat: *Quamdiu vixi, nunquam tale gaudium ſenſi. Hodie gaudent Angeli, lætantur Archangeli, jubilant Apoſtoli & Martyres, ideò accelera ô tyranne, fac quod voles, ut brevi ad gaudia regni cœleſtis perveniam. Igitur Sapritius gladio illam cædi jubet; ad hæc Dorothea exclamavit: Gratias tibi ago Jeſu Chriſte amator animarum, quòd me ad paradiſum tuum vocaveris,* &c. In vita ejus.

LECTIO

LECTIO XXVIII.

TERTIA PETITIO.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.

Quid ſibi vult tertia petitio?

℟. QUandoquidem in præcedenti petitione regnum Dei petivimus, illud autem non poſſit obtineri niſi ſervando mandata Dei, ſic rogamus in hac petitione, ut ab omnibus mandata ejus conſtantiſſimè obſerventur. Dum verò petimus Dei à nobis fieri voluntatem, petimus conſequenter gratiam obtemperandi ejus præceptis, eamq; conſtantiam ad perficiendam Dei voluntatem, ut mortem qualemcunq; ejus voluntati poſtponamus. Præterea petimus noſtram voluntatem conformari voluntati divinæ, ut non quæramus noſtram impleri voluntatem, ſed Dei, illi noſtram ex animo offerentes. Hoc qui verè petit, ſuamq; cum Dei voluntate conformat, verè perfectus eſt, illum nulla frangit adverſitas, nulla extollit ſublimitas, imò verè beatus eſt, ut patet in hiſtoria ſequenti. *Quidam magnus Theologus* (ait Taulerus) *per octo annos Deum obſecrârat, ut dignaretur eum dirigere ad aliquem, qui eum veram virtutis viam edoceret. Quâdam ergo die cùm id cum fervore conſecraret, audit vocem ſibi dicentem: Vade ad portam templi, & ibi quod optas, reperies; vadit, & reperit illic pauperem ſordidum, nudum, & miſerrimum, ſalutat eum Theologus dicens:*

dicens: Amice donet tibi Deus bonum mane. Respondit pauper: Domine, non memini me unquam adversum mane habuisse. Et Magister: Eja, inquit, fortunatum te faciat Deus. Quid ita loqueris? Respondit mendicus: Sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: Felix esto, ait, quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper: Nunquam, ait, infelix fui. Rursus itaque Magister: Salvet, inquit, te Deus, jam nunc apertiùs loquere, neq; enim capio quid dicas. Tunc pauper respondit: Id faciam libenter. Optabat mihi Magister prosperum mane, & ego me nunquam adversum mane habuisse respondi; quando enim fame premor, Deum laudo; si miser sum atq; despectus, Deum laudo; si frigus patior, si grando, si nix, si pluvia cadit, si aura serena est, vel turbulenta, Deum similiter laudo, & ideò nunquam mihi triste mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, & ego me nunquam infortunatum fuisse respondi; novi enim cum Deo vivere, certusque sum, quicquid ille facit, non posse non esse optimum. Unde quidquid ipse vel dabat, vel evenire mihi permittebat, sive gratum id esset, sive contrarium, dulce vel amarum, lætus id tanquam optimum ab ipso suscepi, & ideò nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut felicem me faceret Deus: ad quod ego, nunquam me infelicem fuisse, subjunxi; soli namq; divinæ voluntati inhærere statui, in quam sic integrè meam transfudi voluntatem, ut quicquid ille vult & ego velim, & meam ipsi voluntatem ex integro resignârim. Hæc cùm mendicus ille retulisset, ita eum rursus Magister affatus est: Quid, obsecro, dicturus esses, si te Dominus Majestatis in abyssum demergere vellet? Et ille: In

abys-

abyssum me demergeret? Et reverà si id faceret, duo mihi brachia sunt, in quibus eum amplexarer. Unum est vera humilitas, & hoc illi suppono, atq; per ipsum sacratissimæ humanitati ipsius unitus sum. Alterum item dexterum est amor, qui divinitati ejus unitus est, atq; per hunc ipsum circumplector, ita ut mecum ad infernum descendere cogeretur. Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo esse, quàm in cœlis sine illo. Ex his igitur Magister ille didicit, veram resignationem cum humilitate profunda compendiosissimam ad Deum semitam esse. Dehinc iterum ex illo mendico percunctatus est unde venisset? Et ille à Deo se venisse respondit. Cumq; Magister ubi eum reperisset sciscitaretur: ibi, inquit ille, ubi creaturas omnes dereliqui. Et Magister: Ubi verò, ait, Deum reliquisti? Respondit pauper: In mundis cordibus, & hominibus bonæ voluntatis. Et Mbgister: Quisnam, ait, es tu? Respondit ille, Regem se esse. Sciscitante Magistro, ubinam esset regnum ipsius? In anima sua id esse respondit; sic enim, ait, & externos, & internos sensus meos regere novi, ut cunctæ affectiones & vires animæ meæ mihi subditæ sint, quod profectò regnum cunctis mundi hujus regnis præstantius esse nullus ambiget. Et rursus Magister: Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Respondit pauper: Nimium silentium meum, sublimes meditationes, & unio cum Deo. In nulla re, quæ Deo minor foret, quiescere possum: jam verò Deum meum inveni, & in ipso pacem & quietem habeo sempiternam. Ex Taul. pag. 685. Marchant.

Quis maximè meritoriè hanc petitionem recitat?

Resp. Qui se suamque voluntatem resignat volun-

voluntati divinæ, & omnia, sive bona vel mala, suscipit tanquam de manu Dei, atq; identidem cum Jobo (a) dicit: *Sicut Domino placuit, ita factum est;* sive enim talis prematur miseriis, ait: Voluntas Dei est; sive prosperitate extollatur, sive adversitate deprimatur, dicit: Voluntas Dei est, &c.

Dices: Ergo non licebit petere liberationem à morbo, miseriis, & adversitate?

℟. Illa quidem licere petere, sed eatenus, quatenus divinæ suæ placita voluntati, ac convenientia nostræ saluti. Exemplum nobis dedit Salvator noster, in horto petens translationem calicis, &c. Aliud exemplũ habes suprà de Orat.

Cur additur: Sicut in cœlo & in terra?

Resp. Vocula (sicut) non æqualitatem, sed similitudinem significat, ut sicut omnes Angeli semper alacriter, integrè, sponte suâ, nullo suo commodo, sed gloriæ Dei intuitu ad nutum obtemperant, ita in hac vita omnes Deo pareant, postulamus. (a) *Job.* 1.

LECTIO XXIX.

PETITIO QUARTA.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quid petitione quartâ postulamus?

℟. HAc petitione petimus nobis ea suppeditari, quæ ad corporis & animæ sustentationem spectant. No-

Nomine panis quid intelligitur?

Resp. Omnia quæ ad hominis corporalem sustentationem requiruntur, quomodo petebat Salomon (a) *tantùm victûs sui necessaria*, comprehendens sub victu etiam vestitum, domum, & reliquas vitæ commoditates.

Cur dicitur: Panem quotidianum?

Resp. Quia singulis diebus miseræ nostræ vitæ est necessarius, quia sine eo citò interiret, nisi cibo quotidiano reparetur. Ac per hoc occultè nos docet Salvator, ut quotidie hanc ei orationem præsentemus, ut totos nos ab ejus providentia pendere agnoscamus.

Cùm petamus panem quotidianum, ergone malum est solicitum esse pro crastino?

Resp. Id malum non esse, modò solicitudo non sit nimis anxia, & contraria saluti, quam prohibet Salvator: (b) *Nolite esse soliciti in crastinum dicentes: quid manducabimus?* Ubi tollit anxietatem illam nimiam, quæ habet quandam diffidentiam de Dei bonitate & providentia, quæ multis Christianis inesse videtur, qui plus quàm par est, terrenis implicati, temporalia longè plus curant, quàm ea, quæ sunt salutis, toti immersi negotiis, & de caducis soliciti, ita ut nullam aliam vitam expectare videantur. Hinc propter particulam terræ lites, rixas, homicidia constant, imò totum mundum invertunt, & perdunt. Vult ergo Dominus noster omnem solicitudinem saluti nostræ contrariam à cordibus nostris eliminari, para-

(a) *Prov.* 30. (b) *Luc.* 12.

paratus præbere filiis suis in se confidentibus vitæ necessaria, qui pullis corvorum invocantibus se minimè deest. Mira semper eluxit Dei providentia erga confidentes in se. Per corvum sustentavit Eliam: (c) *dicunt enim antiqui Hebræi, corvum certis horis è culina Regis Achab & carnes & panes abstulisse, & ad Eliam victum attulisse; & ita factum est, ut Propheta cibo & alimoniâ Regis vesceretur, vel invito Rege & inscio, fame tunc dominante.* S. Paulum Eremitam *sexaginta annis item per corvum quotidie dimidium panem illi afferentem pavit. Cùmque ad eum D. Antonius visitandum accessisset, integrum detulit.* Ut in vita S. Pauli Erem. Mira certè hæc Dei providentia elucet in sacerrimo Ordine nostro Seraphico, dum renunciantes omnibus bonis temporalibus ac reditibus, profitentesq; altissimam paupertatem plenè in Domino confidimus, ab eodemq; in numero tam copioso mirâ bonitate pascimur ac sustentamur, quod ipse Salvator, Regulæ nostræ auctor & dictator, Seraphico nostro Patri FRANCISCO promisit, quamdiu in pura Regulæ observatione permanserimus, non confidentes in pecunia & thesauris, sed pleni confidentiâ filiali recurrentes ad mensam Domini, panem petentes quotidianum. *Hanc divinam providentiam S. P. noster Franciscus, S. Didacus, & alii sæpè experti sunt, quos in necessitate mirabiliter per Angelos refecit.* E pluribus mirum referam divinæ providentiæ exemplum ex annalibus nostris Franciscanis deprom-

ptum,

(c) 1. *Reg.* 17.

ptum, in quo magnus ille Paterfamilias etiam per malignos dæmones filiis suis in necessitate succurrit. *Cùm B. Joannes Parens Generalis Franciscanorum Observantinorum visitaret Ultramontanas provincias, contigit brumali tempore eum errore itineris totâ die deviasse, atq; in deserto, mediisque sylvis ingruentem noctem sustinuisse. Unde socii de periculo anxii eum interrogarunt quid faciendum? Respondit securus ad divinum auxilium esse recurrendum; securè confiderent, Deum nunquam sperantibus in se defuisse, implorandam esse B. Virginem, & B. P. Franciscum, sicq; alternatim Officium de Dominâ persolverunt, quo finito conversus ad B. Franciscum, Generalis præciuit Psalmum:* Voce meâ ad Dominum clamavi; *cum Antiphonâ:* Salve Sancte Pater, &c. *Quibus dictis audiêrunt pulsare campanam, quo excitati magis in divinas laudes ad sonitum perrexerunt viâ lutulentâ & difficili, donec ad vicinam pervenerint Abbatiam. Pulsato ostio præsto obviam fiunt, quasi ex condicto expectantes plures Monachi, qui promptè receperunt hospites, ducunt ad ignem, lavant pedes, exsiccant vestimenta, apponunt cœnam, sternunt lectos, & omnia ministrant necessaria, magnâ ut videbatur alacritate. Post primam vigiliam ad orationem surrexit Generalis, & auditâ campanâ, quâ nocte ad laudes divinas convocantur Monachi, ad Chorum cum ipsis convenit, relictis sociis, qui somno & fatigatione detinebantur, Officium incepturus Hebdomadarius, nec consuetâ usus est cæremoniâ, nec ordine, nec versiculo:* Domine labia; *sed abruptim, & cum turbatione incepit illo versu Psalmi:* (d) Ibi ceciderunt qui operantur ini-

(d) *Psalm.* 5.

quita-

quitatem. *Respondit Chorus:* Expulsi sunt, nec potuerunt stare; *tertiò idipsum repetitum. Quod suspicionem ingessit Generali: præcepit igitur in virtute Passionis Christi, & sanctissimi nominis ejus, ut ocius edicerent quinam essent? Respondit qui Abbatis loco videbatur præesse, omnes esse Angelos tenebrarum, qui ex divino præcepto inviti missi sunt ad ministrandum eâ nocte ipsi & sociis, precibus, inquiebat, Matris Dei, & illius vexilliferi Patris vestri: quibus dictis totum evanuit, quod ibidem extructum cernebatur; se autem cum sociis in nemoroso antro, atq; in nuda humo invenit Generalis, excitatis sociis in laudibus divinis reliquam noctem usq; ad auroram, quæ jam instabat, vigiles duxerunt, & surgentes iter progressi ad Conventum Ordinis pervenerunt.* Annal. Francisc. ad annum 1247. num. 5.

Quid prætereà per quotidianum intelligitur?

Resp. Sub nomine panis quotidiani etiam intelligitur panis Eucharisticus, *panis vivus, qui de cœlo descendit:* (c) verum scilicet Corpus Christi sub specie panis & vini in Sacramento occultatum, ad animarum nostrarum spiritualem sustentationem nobis exhibitum.

Sed cur hic vocatur panis quotidianus?

℞. 1. Quia quotidie nobis præparatur, sicut & manna quotidie filiis Israël descendebat è cœlo efformatus per Angelos; ita quotidie noster hic panis per Sacerdotes conficitur, qui nomen habent Angelorum. 2. Quotidianus dicitur, quia licet quotidie à fidelibus non sumatur, (ob reverentiam, & propter occupationes

(c) *Joann. 6.*

varias

varias hujus vitæ, quæ quotidianam præparationem impediunt) tamen in initio Ecclesiæ sumebant illum fideles quotidie. Petimus igitur, ut dignè hunc panem manducemus, ne nobis sumptus in judicium proveniat. Hunc panem possumus quotidie spiritualiter manducare. Qualiter, & quo fructu id fiat, vide infrà Lect. 91.

LECTIO XXX.

QUINTA PETITIO.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Quid sibi vult quinta petitio?

℟. SEquentibus tribus petitionibus rogamus à nobis tria malorum genera dimoveri: præterita, præsentia, & futura. Et quintâ quidem istâ petitione conamur amoliri mala præterita, hoc est, peccata à nobis commissa, petimusq; *primò*, omnia peccata nobis gratis condonari per Christi passionem: venialia quidem per hanc orationem, aliaque media, quibus illa pro sua misericordia & benignitate clementissimus Deus remittere solet, ut est aspersio aquæ benedictæ, confessio, Sacerdotalis benedictio: mortalia verò per pœnitentiæ Sacramentum, quod nobis rogamus suis temporibus impertiri, ne sine ejus beneficio ex vita discedamus. 2. Petimus gratiam rectè confitendi peccata nostra

coram

coram Sacerdote, cum vera contritione, & emendationis proposito. 3. Si quo casu non sit integrum peccata confiteri, & ex hac vita migrandum sit absq; pœnitentiæ Sacramento, ut veram largiatur contritionem, cujus virtute cum desiderio confitendi peccata deleantur. 4. Ut pœnam peccatis debitam clementer relaxet. 5. Ut media suggerat, & donet imposterum vitandi peccata.

Cur peccata vocantur debita?

℟. 1. Quia obligant ad restituendum Deo ablatum honorem, irrogatam injuriam, voluptatem illicitam usurpatam. 2. Quia prævaricatorem ad pœnam divinis legibus constitutam obligant.

Cur additur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?

℟. Quia absolutè necessarium est dimittere aliis injuriam nobis irrogatam, si velimus nobis à Deo peccata condonari. Quid enim iniquius est, quàm velle à Deo graviter offenso post tot beneficia veniam obtinere, & nolle fratri leviter offendenti, & in quem subinde nos offendimus, condonare? Hoc ponderans Sapiens dixit: [a] *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? ipse cùm caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis ejus?* Pondera quot sententiis idem inculcet. q. d. iniquissimum hoc est, & meretur talis condemnari taliter, quòd nullus pro-

[a] *Eccl.* 28.

pro illo exoret, qui oranti fratri aures non præbet: (b) *Qui ergo vindicari vult à Domino, inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.* Qui non vult dimittere, frangit pontem, per quem debet transire; obstruit viam, per quam debet procedere ad vitam beatam. Id sæpè repetit Scriptura, (c) & SS. Patres. Unde Augustinus: (d) *Fortè peccavit aliquis, dimitte veniam petenti, ne dum fratri negas misericordiam, claudas Patri indulgentiam; judicium enim sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Et iterum ait: (e) *Mentiri Veritas non potest: Si non dimiseritis, nec Pater dimittet. Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est.* Itaq; notant SS. Patres eum, qui alteri non dimittit, non solùm hac ratione mendacium, sed suam proferre condemnationem, & provocare Deum contra se, ita cum Deo argumentando: O Deus ita mihi condona peccata mea, sicut ego condono proximo; sed ego proximo non condono: ergo neq; tu condones mihi.

Cui nocet non condonans proximo injuriam?

Resp. Præcipuè sibi ipsi; dum enim reservat iram, cupiens vindictam, seipsum gravibus obstringit delictis, in quibus si mori eum contigerit, æternùm periit, quia Deus nequaquam peccata dimittit nobis, nisi proximo irrogatam nobis injuriam dimittamus. Hâc de re terribilem, ac omnibus meritò formidandam scribit

(b) *Eccl.* 28. (c) *Matth.* 6. (d) *Aug. serm.* 158. *de temp.* (e) *Idem in Ench. c.* 74.

historiam Pædagogus Christianus verbis sequentibus: *Graves Cordubæ in Hispania inimicitiæ inter duos præcipuæ nobilitatis viros non exiguâ urbis offensione intercedebant: cùm illorum alter in morbum lapsus, Sacerdotem è Societate Jesu evocat peccata confessurus. Sacerdos publicæ memor offensionis, negat posse se, nisi palam adversario concilietur, pœnitentiæ Sacramentum impartiri. Æger paratum se ait ad omnia. Convenitur adversarius, qui & ipse se ad ponendas inimicitias promptum exhibet. Ergo convocatis testibus odia ponuntur, amicitia utrimq; firmatur, æger absolvitur, SS. Corpus Christi recipit, & paulò post vivere desinit. Quis hîc non credidisset, virum felici vitam fine clausisse, & inter Beatos assumptum esse? Verùm eheu! alia sunt judicia Dei, alia hominum. Nocti quæ proxima fuit ab elato funere, adsunt sub noctis ipsius medium cum facibus adolescentes duo, Collegii fores pulsant, Patrem, qui defuncto fuisset à confessionibus evocant, esse rem magni momenti, quam communicatam ipsi velint. Sine mora præsto fuit Pater, & à duobus illis rectà ad templum, ubi viri corpus conditum erat ducitur, datisq; ab altero templi clavibus, bono animo esse jubetur, aperire ostium, ad aram principem accedere & ex tabernaculo pyxidem, in quo SS. Corpus asservabatur, educere, & cum pyxide sequi. Fecit ut jubebatur, pendens animi quem tandem esset res finem habitura. Illi igitur per omnia facem prælucentes Patrem ad defuncti Nobilis sepulchrum deducunt, itaque tandem affantur: Est hic, mi Pater, Nobilis N. istius sepulchrum, qui dudum visus est cum adversario positis inimicitiis in gratiam redire, sed fecit ille fictè omnia*

mortale intùs odium fovens: hoc statu infelicem animam ex mortali vitâ ad æterna supplicia immortalem transmisit: sacra Hostia nihil dum læsa hæret in cadaveris faucibus, eam inde ablatam in theca repones, & Altari restitues. Ita fati sepulchrum pede pulsatum momento aperiunt, erecto cadaveri os aperiunt. Sacerdos inde Hostiam sacram, ut jussus erat, integram educit, & thecæ imponit. Sub hæc deturbatum magnâ vi in fossam cadaver videri desiit, eò abreptum, ut est credibile, à dæmonibus, ubi jam anima torquebatur, quò ante SS. Christi Corpus præsentia auferri prohibuerat. Igitur composito iterum sepulchro cùm Pater recondisset sacram pyxidem, ad Collegium reducitur, iisdem continuò præeuntibus ad Collegii usq; fores, quæ apertæ ut primùm Patrem receperunt, duo illi Tæduchi ex oculis Patris curiosè, qua redirent, observantis subitò evanuerunt. Quod non vanum est indicium fuisse illas ex beatis in cœlo mentibus missas, ut SS. Hostiam ex sacrilegis istis faucibus juberent educi, simulq; omnibus patefacerent, quanto malo ac periculo se exponant proximo injurias non remittentes. Pædagog. Christ. p. 2. c. 15. §. 2. Ex hac patet historia, quantâ furant insaniâ, qui malunt æternas luere pœnas, quàm proximo remittere injuriam.

Sed dices: Non possum remittere injuriam, nimis graviter nimisq; frequenter in me peccavit, igitur veniam non meretur, quia homo pessimus est.

℟. Tu etiam apud Deum non mereris, qui tam graviter, totiesque offendentem tamdiu te sustinet, nec vindictam sumit, cùm posset æter-

no supplicio. An verò Christus non meretur, cujus nomine id facere deberes? certè gratissimum ei esse donari injurias in ejus gratiam, multis ostendit exemplis. Celebre est exemplum S. Joannis Gualberti. *Ille Abbas fuit sanctissimus, & fundator Vallis Umbrosæ; cùm verò adhuc in sæculari habitu ageret, contigit eum in hostem interfectorem fratris sui incidere, loco adeò angusto, ut non posset de viâ flectere: alter videns sibi mortem præsentem, humi prostratus, veniam junctis manibus sibi dari pro Crucifixi amore suppliciter petiit. Audito Crucifixi nomine compunctus Joannes, non solùm ignovit, sed ultrò eum amplexatus est. Ingressus posteà Ecclesiam S. Miniati, quæ nunc arce Florentinæ civitatis obducitur, cùm coram Crucifixi imagine flexisset genua, vidit Christi in cruce pendentis caput ad se inclinari, quasi gratias agentis, quòd pro ejus amore hosti pepercisset. Hodieq; adhuc visitur sacra illa Christi imago, cernuturq; ad facti memoriam sempiternam, etiam nunc caput ejus porrectâ fronte motum longius à ligno & d missum, quasi amicum benignè salutet, illique præstitum officium gratuletur. In compensam quoq; inspiravit ei Religiosæ vitæ amorem, ita ut ipse posteà Ordinis celebris author fuerit.* Surius 12. Julii.

Dices iterum: Sæpiùs ei remisi, atq; iterum in me peccavit, adeòque non possum remittere offensam.

Resp. Multò frequentiùs offendisti Deum tuum, quàm proximus offendit te, & nihilominus identidem ab ipso peccatorum tuorum veniam postulas: cur igitur minora in te peccanti non dimit-

dimittis? Recordare verborum Salvatoris, quibus Petro interroganti: (f) *Quoties in me peccabit frater meus, & remittam ei, an septies?* respondit: *Non dico tibi septies, sed usque septuagesies septies;* id est, toties, quoties in te peccat, toties ei remittes. Esto ergo filius Patris tui cœlestis, eum in hoc imitando; id si feceris, pro sua misericordia peccata tibi remittet, magnamq; apud eum, præsertim in fine vitæ, reperies securitatem. Declarat hoc sequens exemplum, quod habemus ex Anastasio Sinaita Episcopo Antiocheno: *Quidam, inquit, Monachus, cùm negligentissimè vitam per otium egisset, infirmitate ad extrema deductus, mortem nequaquam horrebat, sed magnâ voluntate & gratiarum actione mori videbatur. Hunc verò sic quidam Patrum est allocutus: Scias, Frater, vidisse nos summâ negligentiâ te vixisse usq; nunc, & unde tibi tanta securitas? Respondit: Ita est, Patres mei, negligentissimè vixi, sed Angeli hâc horâ chirographum peccatorũ meorum ad me attulerunt; cumq; ea quæ fecissem, postquam seculo renunciaveram, peccata legissent, rogârunt num illa agnoscerem? Quibus ego: Imò verò agnosco, sed ex quo renunciavi seculo, non judicavi quemquam, nec ab ullo mihi factam injuriam unquam meminisse volui. Itaq; Domini verba ad me pertinere & opto, & oro, qui dixit: Nolite judicare, & non judicabimini; dimittite, & dimittetur vobis. Quæ postquam dixi, chirographum peccatorum meorum sciderunt Angeli, & inde nunc summâ cum lætitiâ & securitate ad Dominum proficiscor. Hæc ubi Frater narravit Patribus,*

(f) Matth. 18.

tribus, Domino in pace spiritū reddidit, & astantibus magna ædificationis causa fuit. Baronius tom. anno 599. Certus igitur esto, si proximo dimiseris, quòd & Deus dimittet tibi: (g) *Dimittite, & dimittemini. Deum suo testimonio convincere potes,* ait Gregorius Nyssenus, *Domine, ille meus est debitor, ego sum tuus: solvi, solve; dimisi, dimitte;* & quàm fidelis sit, ex his disce. *Fuit, qui viri nobilis fratrem fraudulenter trucidarat, cujus manus cùm se nunquam tutò effugere posse consideret facti pœnitens; S. Exomologæsi homicidium expiavit, ac tandem salutare consilium Deus menti injecit. Die Veneris sanctâ fune è collo pendulo Nobili obviam ivit, ad pedes inspectato accidit, veniam rogat homicidii amore Jesu Christi, qui eo die in Cruce injurias omnes remisisset. Alter, consternatus hâc tantâ submißione, & Christi passi recordatione hominem complexus, vitâ & pacis osculo dignatus est. Sed qui dixit, inquit Augustinus:* (h) *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Nocte insequenti illi Christus apparuit dicens: Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noveris me animam fratris tui occisi hâc horâ è purgatorio liberâsse, & insuper animam patris tui. Et ne qua merces eum destitueret, addidit, te invito post octo dies, ut cum illis æternâ gloria perfruaris, qui octavo die piè excessit è vivis.* Ex Kearneo Conc. 2. in Festo S. Stephani Engelgrave Dom. 22. post Pentecost. Cui non absimile, quod refertur *de viduâ, quæ unicum filium sibi charissimum, ubi per summum scelus occisum intellexit, & cada-*

(g) *Luc. 6.* (h) *Serm. de S. Steph.*

cadaver sanguinolentum domum delatum intuita, dolori temperare non potuit, sed nec furori, dum in flagranti delicto sicarius latebras quærens imprudens ad ædes viduæ confugit. Quid hic illa ageret? Satellites instant, homicidam quærunt, eò confugisse audiunt. Nunc cadaver, nunc latebras occisoris, nunc cœlum, & fortè Crucem cadaveri appositam intuita, radius divinæ charitatis mentem transfixit, simulavit, apud justitiæ ministros, abs re esse eò homicidam confugere, quæsitum texit, & personatum equo filii exanimis, bursamque auro gravem condonans dimisit. Dum ecce filius matri sese exhibuit multâ luce circumfusus, ac sic matrem affatur: Est quod tibi Domina mater gratias habeam immortales, nunc duplice nomine mater: dum enim inimico meo & tuo veniam donâsti, mihi omni reatu reducto cœlum aperuisti, quod ad annos plurimos clausum erat. Quo dicto in conspectu matris cœlum ascendit. Nonne verissimum: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Ex Lobbet. de fortit. p. 296. Engelgrave ibid.

LECTIO XXXI.

PETITIO SEXTA.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid sibi vult sexta petitio?

Resp. CUm post peccatum nullum sit gravius malum, quàm periculum peccandi, quod nobis à tentationibus impendet, imploramus hâc petitione Dei auxilium

resistendi tentationibus, ne iisdem fracti peccatis consentiamus.

Petimusne ab omni tentatione liberari?

Resp. Nequaquam; quia hæc vita nostra mortalis sine aliqua tentatione peragi non potest, quæ teste S. Jobo: (a) *Est militia super terram.* Sed petimus *primò*, non ut tentemur, sed ne à tentationibus absorbeamur, & vincamur. 2. Deinde petimus, ut Deus vires & impetum dæmonis frangat, infirmitatesq; nostras sanet, ne inde arma dæmoni ad nos prosternendos subministrentur. 3. Ne permittat nos à dæmone tentari, si sit periculum in tentationem nos consentiendi.

Quis tentat hominem?

℟. 1. Dæmon, qui semper (b) *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* 2. Mundus, qui nos circumdat. 3. Caro propria, seu concupiscentia, domesticus hostis, quem semper circumferimus.

Estne aliquando bonum pati tentationes?

Resp. Est sæpè utile, nam per illas agnoscimus propriam infirmitatem, & ansam habemus nos humiliandi. Deinde augetur meritum nostrum, dum resistimus utiliter.

Quibus modis dæmon tentat homines?

℟. Modi, quibus dæmon homines aggreditur, tametsi ob innumeras ejus artes, longamque experientiam, & mentis subtilitatem exponi facilè nequeant, constat tamen, quòd aliquando per se ipse adoriatur hominem, sicut Evam & Chri-

(a) *Job.* 7. (b) 1. *Petr.* 5.

Christum; aliquando ministros adhibeat mundum & carnem: & illos quidem per se malis suggestionibus vexat potissimùm, qui relicto mundo carnem suam vitiis & concupiscentiis mortificârunt; cæteros verò, qui vel magnam habent cum mundo consuetudinem, parumq; studii ponunt in reprimenda petulantia carnis, per hæc ipsa solet exagitare. Et primò quidem explorat, ad quæ vitia magis homo propendeat. 2. Eâ parte objicit aliquid sensibus, ut passio excitetur, quam ipse pro viribus promovet interiore motu: tum magno strepitu adhibitis machinis impetum facit, ut hominem multitudine hostium terreat; hinc mundus, hoc est, quicquid mundus habet, insurgit, irrisiones sociorum, indignatio amicorum, exempla pravorum, improba doctrina hæreticorum, prosperitas & commoda, adversitates & pericula. Inde dæmon ipse vitia extenuat, virtutum nomine ea vestit; superbiam honestatem; avaritiam prudentiam; gulam discretionem; iram zelum; invidiam justum dolorem; luxuriam delectabilem recreationem; acediam curam sanitatis appellans; virtutes autem habitu vitiorum repræsentat. Hunc impetum senserunt Job, Tobias, Antonius, Franciscus, & alii; imò Christus ipse, cujus tamen animam nullus sensus attigit.

Quos tentat dæmon?

℞. Omnes omninò homines, in quibus est rationis usus nemini parcens, nec bonis, nec malis; & quidem mali, quòd tentatoris voluntati

ſemper obtemperent, non ſentiunt tentationis moleſtiam, tanto pejori loco, quòd in poteſtate ſint immaniſſimi tyranni, exiſtimantes pacem, (c) *cùm nulla ſit pax impiis.* Boni verò, qui tentationibus repugnant, magnam ex eis moleſtiam percipiunt, ſeq; tutos minimè eſſe, ſed periculoſum bellum continenter gerere facilè intelligunt, poſt cujus finem ſe præmium conſecuturos ſperant. Idipſum agnoverunt omnes, quotquot viam perfectionis aggreſſi ſunt, illudq; Sapientis ad ſe pertinere: (d) *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Hoc ipſum, tentationisque utilitatem probè agnovit, de quo in vitis PP. c. 3. v. 7. *Diſcipulus cujusdam impugnabatur ſpiritu fornicationis, & Dei gratiâ viriliter reſiſtebat per jejunia, orationes, & alias auſteritates. Hæc videns ſenior dixit:* Si vis, ô fili, rogabo Deum, ut auferat à te tentationem & impugnationem. *Reſpondit ille:* Magnum quidem à tentatione ſentio laborem, ſentio tamen & fructum, qui illius occaſione amplius in jejunio, in vigiliis, in oratióne perſiſto: roga ergo tantùm pro me miſericordiam Dei, ut det mihi virtutem, quâ poſſim ſuſtinere, & viriliter certare. *Tunc ſanctus Senior dixit ei:* Ecce nunc cognovi fili, quia fideliter intelligis hoc ſpirituale certamen pro pœnitentia ad ſalutem animæ tuæ proficere; ita enim & S. Apoſtolus dicit: (e) *Bonum certamen certavi, curſum con-*

(c) *Iſa.* 57. (d) *Eccl.* 2. (e) 2. *Tim.* 4.

consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ. Hæc ibi.

LECTIO XXXII.

Remedia contra tentationes.

Quæ sunt remedia contra tentationes?

R. SUnt multiplicia: ac *primum* quidem est Oratio. Hoc remedium Christus ipse præscripsit: (a) *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Hoc remedio utebatur Apostolus, qui dicit: (b) *Ter Dominum rogavi, ut auferretur à me stimulus carnis meæ,* &c. Certè cùm omni tempore recurrendum sit ad thronum gratiæ Dei, maximè in tentatione, quia tunc opportuuam gratiam reperiemus ab illo, *qui adjutor est in opportunitatibus in tribulatione.* Hoc remedio *Josaphat* adolescens Regis Indiæ filius, quem S. Eremita Barlaam ad fidem adduxerat, gravissimam carnis tentationem superavit. *Cùm enim parens conversionem ejus percepisset, omnia moliebatur, ut ad idololatriam eum reduceret, pessimo consilio cum Magis inito, efficax remedium repertum est ad ej9 constantiam labefactandam, si solæ ad ministrandum ei mitterentur puellæ specie ornatu, blanditiis adolescentis animum quo voluerint, inflexuræ. Dum hoc consilium procedit, & puellæ assident, amplexantur, & blandiuntur: ecce Magus impurissimi consilii author unum ex nequissimis spiritibus immittit magicis carminibus ad tentandum adolescentem, qui libidinis tale in-*

[a] *Matth.* 26. [b] 2. *Cor.* 12.

cendium in pectore ejus accendit, quod nec firma fide, nec cogitatione de præmiis cœlestibus, aut inferorum pœnis poterat sedare. Confugiens ergo ad orationem in has voces erupit: Domine Deus, tu solus potens & misericors, spes desperatorum & carentium adjutorio; recordare servi inutilis, ac propitio vultu me respice, nec in hostium manum incidere permitte. Non supergaudeant qui oderunt me iniquè, ne me iniquitatibus corrumpi sinas; aut corpus meum, quod tibi castum exhibere promitto, dedecore afficere: te enim concupisco, te adoro Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in secula, Amen. *Cùm dixisset* Amen, *statim adfuit divina consolatio, cujus lumine omnium turpium cogitationum nebula evanuit.* Damasc. in vita ejus c.30.

SECUNDUM REMEDIUM.

Remedium secundum est refugium ad B. Virginem, quæ semper auxilium præbuit tentatis fiducialiter ad eam recurrentibus, quia ipsa est stella maris, quæ nobis inter fluctus agentibus viam demonstrat, lucemq; præbet, ne mergamur, & tentationis nebulam dissipat, qua obvolvimur. De qua sic ait Thomas à Kempis: (c) *Dilectio Mariæ expellit omnem æstum carnalis concupiscentiæ, & donat refrigerium castimoniæ. Dilectio Mariæ facit mundum contemnere, & Christo humiliter servire. Dilectio Mariæ ab omni malâ societate conservat, & piæ conservationis puritatem informat. Dilige ergo S. Mariam, & obtinebis victoriam.* Item D. Bernard:

[c] *Serm. 24. ad Novit.*

Bernard: [d] *Quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis, respice stellam, voca Mariam. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, si iactaris superbiæ undis, respice stellam, voca Mariam, &c.* Hinc viri sancti, ut felicem in tentatione exitum sortirentur, ad ejus præsidium soliti sunt confugere. *D. Antonius de Padua, quoties aliquâ premebatur tentatione, solebat Virgini hymnum recitare :* O gloriosa Domina, &c. *Quodam die orantem Sathan invasit, mirâ violentiâ etiam corporaliter in eum irruens, & cum periculo vitæ guttur constringens ac suffocans : sed statim ad hymnum hunc recurrens liberatus est. In ultima vitæ periodo hymnum hunc suum recitanti apparuit B. Virgo, & mirè consolata est eum, eique impetravit Filii sui visionem ante discessum ex hoc mundo, sicque mirâ cum serenitate & pace animam Deo reddidit.* Surius in vita ejus 3. Junii. *Beatus quoque Vincentius ad Virginem solitus fuit recurrere, tanquam ad sinum matris, gravissimis sæpè agitatus tentationibus & illusionibus. Unde cùm semel legeret librum D. Hieronymi de virginitate, & inter suavitatem lectionis ipsam Virginem obsecraret, ut ejus virginitatem custodiret, facta est ad eum vox :* Non omnes possumus esse virgines. *Vir Dei attonitus, & tacitus volvebat inter se, quid vellet ille sermo ; non enim credere poterat, verba illa ab ore Virginis emanâsse, quæ virginitatis custodes semper amavit & adjuvit. Genua ergo*

(d) *Hom. 2. super Missus.*

flectens petiit ab ipsa Virgine, ut indicaret sibi, quid ista vox vellet; & non ita multò post cum multa luce apparuit ei Virgo lætitiam infundens, dixitq́ue verba illa dæmonis fuisse, qui bonorum operum difficultatem ei proponeret, ut eum ab incepto deterreret. Tu, *inquit,* cautus esto, & constanti animo, crebras tibi parabit insidias, ut periclitetur virginitas tua, & aliæ virtutes in te corruant: sed semper spera in Domino, quia ipse clypeus tuus erit, quo ejus arma & artes contemnere poteris & superare. *His dictis Virgo disparuit, & ex eo tempore tantus fervor novo Christi militi accessit, ut non terrestris homo, sed cœlestis Angelus videretur.* Surius in vita ejus 5. Aprilis.

TERTIUM REMEDIUM.

Meditatio novissimorum.

Hoc remedium suggerit Sapiens: (e) *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Memoria enim mortis, judicii, inferni, timorem gignit, qui quasi clavus affigit omnes ad peccatum inordinatos motus ligno Crucis, juxta illud: (f) *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Consideratio novissimorum est velut absynthium abstrahens hominem à delectatione peccati; nam sicut matres, ut pueros à lacte avellant, uberibus admovent absynthium: ita etiam Spiritus S. ut peccatores à suavitate peccati abstraheret, memoriam novissimorum inspiravit, quæ amara est velut absynthium. Sic ergo

(e) *Eccl.* 7. (f) *Ps.* 126.

ergo si quis seculi hujus divitiis nimis affectus est, & variis tentationibus obnoxius, mortis sibi proponat memoriam, & ejus amaritudo animum ab inordinato temporalium amore avellet. Si carnis tentationibus aliquis sit obnoxius, ut ab uberibus voluptatis avellatur, cogitet amaritudinem futuram, ruminet ignem æternum, sæpiusq; consideret dictum illud S. Gregorii: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* Cogitet quæ ei in morte eventura sint, quæ tunc à se facta fuisse volet. Unde juvenes in vitia lubricos hisce monet Sapiens: (g) *Lætare juvenis in adolescentia tua, ambula in intuitu oculorum tuorũ, sequere concupiscentias cordis tui, & scito quòd pro his omnibus adducet te Deus in judicium.*

Nobilis quidam adolescens ex potenti civitate Italiæ, cum esset immersus voluptatibus, accessit quodam die Confessarium, qui ei multa proposuit de pœnitentia agenda, sed huic adeo nova & terribilia videbantur, quæ à Confessario dicebantur, ut multis pœnitentiæ modis propositis negaret se ullum ex ipsis posse pati. Quid faceret Confessarius? Hoc solum monet, ut saltem quartam horæ partem impendat in hac cogitatione: Jacere se in lecto, brachiis in formam crucis impositis, ad caput cerec, ad pectus Crucifixi imagine, cogitans quid vellet tunc fecisse. *Paruit ado-*

(g) *Eccl.* 12.

lescens, ita ut repente illustratus conspecta peccati gravitate totus in lacrymas solveretur. Postridie Confessarium accedens miro cum dolore peccata deflet, jam longe majores paratus assumere pœnas, initium fecit melioris ac sanctioris vitæ. Ex Baldesan Marchant.

QUARTUM REMEDIUM.

Frequentatio Sacramentorum.

Ratio est, quia in his abundè gratia subministratur ad omnes tentationes superandas, juxta D. Thom. sed & specialiter Sacramentum Confessionis vim habet contra tentationes maligni. Quia ibi dum totum cor nostrum & conscientiam explicamus, ejus etiam omnes tentationes Patri spirituali exponimus, quod quidem omnium maximè displicet. Nihil enim adeò destruit virtutem diaboli, ut docent SS. Patres, quàm secretas cogitationes Directori pandere; statim enim pessimum ejus consilium evanescit, & confunditur ipse, dum videt consilium contra se agi, & remedium proponi. Solet dæmon cum anima, quam vult decipere per suggestiones, quasi pactum quoddam inire silentii, similis est amatoribus illis impudicis, qui ubi puellam aliquam volunt seducere, statim hoc primò rogant, & curant, ne eorum colloquia parentibus manifestet. In Confessione autem ubi hæc proponuntur Satanæ consilia & suggestiones, videt se depre-

prehensum, & detectum, & ideo fugit. Habemus hac de re exemplum in vitis PP. *Religiosus quidam septuaginta septimanis jejunium & orationem adhibuerat pro dubii alicujus, quod eum angebat, resolutione à Deo obtinenda: & cùm tanto tempore resolutionem adhuc nullam haberet, resolvit adire aliquē alium eremi Patrem, ut ei rem communicaret, & statim exeunti è cella occurrit Angelus, qui totam difficultatem resolvit, adjiciens plus illum hac humilitate meruisse, quàm orationibus & jejuniis prius factis.* EUCHARISTIÆ quoqve frequens sumptio plurimùm efficax est contra tentationes. Ejus enim effectus est confirmare cor hominis, scilicet contra tentationes hostis nostri; ideoq; fuit designata Eucharistia per panem illum Eliæ, quo confirmatus fuit contra fatigationem, & persecutionem Jezabel. Sic etiam panis hic fortificat cor hominis peregrinantis, & luctantis contra concupiscentiam persequentem. De illo siquidem dictum est: (h) *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Qui ergo variis suggestionibus & tentationibus obnoxius est, non potest salubrius reperire remedium, quàm frequenter ad hanc mensam accedere, in qua fortitudo datur contra hostes, in qua panis porrigitur, cujus fructus est puritas animæ, firmitas cor-

(h) *Ps.* 22.

dis,

dis; in qua *vinum germinans virgines* propinatur, hoc est, puritatem & sanctitatem omnimodam proferens. Hac de re plura vide in March.

QUINTUM REMEDIUM.

Resistere tentationum initiis.

Ratio est, quia sic nequitia dæmonis eliditur in semine, & impeditur crescere. Hoc videtur significare Salomon, (i) dum dicit: *Capite vobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas;* significans tentationes esse velut vulpeculas, quas statim necare oportet, dum adhuc parvulæ sunt, & non possunt grave incommodum vineæ nostræ inferre. Hieronymus dicit: (k) *Diabolus serpens est lubricus, cujus capiti, id est, primæ suggestioni si non resistatur, non est dubitandum, quin in penetrale cordis nostri furtim illabatur. Noli ludere cum serpente, sed ejus caput contere, ejus initiis resiste.* Comparatur etiam mala suggestio scintillæ ignis in acervum paleæ injectæ, quæ si non statim extinguatur, totum acervum periculo ignis subjicit; sic qui omni diligentia scintillam parvæ suggestionis in aridam carnis paleam injectam non supprimit, censetur velle incendium.

SEXTUM REMEDIUM.

Occasiones peccati evitare.

Quia magna est vis occasionis, quæ multos etiam constantes & firmos in peccati præcipitium tandem impulit. Fortis & constans erat David,

(i) *Cant.* 2. (k) *in c.* 9. *Eccl.*

vir secundùm cor Dei; occasionem tamen, quam dedit aspectus mulieris, superare non potuit. Dilectus Deo erat Salomon, & sapientissimus, occasione tamen uxorum alienigenarum etiam ad idololatriam est devolutus. Propterea peccati occasionem devitare monens D. Hieronymus dicit: *Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior.* Benè igitur Sapiens: (1) *Qui amat periculum, in eo peribit.* Hoc ipsum plurimi suo damno experti sunt. Hujus rei præclarum habemus eyemplum in vita S. Jacobi Eremitæ apud Surium. *Hic non solùm sanctitate apud infideles, e quibus multos ad fidem perduxerat; sed etiam maximis miraculis claruerat. Is totos quadraginta annos in solitudine solis herbis & radicibus vitam tolerans, nocturnis diurnisq; horis continenter precibus vacabat. Huic insidias struens Satan, fœminam locupletum parentum filiam ingressus est, & per eam nomen S. Jacobi prodit. Parentes eam ad tugurium ejus diu quæsitum adducunt, exponunt filiæ miseriam, utq; jam à viginti diebus nihil cibi potusq; degustasset, & propriis manibus carnes suas discerperet. Orat pro illa sanctus vir, & dæmon abscedit. Parentes veriti ne brevi reverteretur, obsecrant Sanctum, ut biduo*

(1) Eccl. 3.

saltem eam secum retineat. Ille ad sanctitatem vitæ superioris & miracula nimium sibi fidens consentit. At Deus videns eum pristinæ suæ imbecillitatis immemorem, pristinum suum auxilium ei subtraxit, permisitq; eum labi non solùm in sacrilegam fornicationem, sed etiam in homicidium. Nam post lapsum reformidans, ne puella scelus aliquando propalaret, eam e medio sustulit. Perpendens vero S. Jacobus, quàm tetro scelere se inquinasset, in tantam animi desperationem venit, ut cogitaret deserta vita religiosa redire ad seculum. Sed clementissimus Deus memor laborum, quos pro Christi nomine tot annis sustinuit, divinæ lucis radiis ejus animum per alium quendam Dei servum ita perstrinxit, ut spe veniæ consequendæ erectum sese in pervetustum quoddam sepulchrum subterraneo integro decennio usq; ad mortem abdiderit, noctu diuq; cum asperrima pœnitentia lapsum suum incredibili dolore animi, assiduis lachrymis de tanta sui confusione deplorans, ut neq; oculos in cœlum attollere auderet, nec cum ullo mortalium miscere sermonem, tandem assecutus est Dei misericordiam. Surius ex Metaphrast.

LECTIO

LECTIO XXXIII.

PETITIO SEPTIMA.

Sed libera nos à malo.

Quæ mala hoc loco deprecamur?

℟. MAlum hoc non accipitur hoc loco pro peccato, aut culpa; ſed pro pœna, ſuntque tria potiſſimùm mala, quibus affligimur, quæ hoc loco deprecamur. Primò, *dæmon,* qui licet natura ſit bonus, malus tamen, aut malum dicitur, tum quia primus author peccati; tum quia inveteratus & in malitia confirmatus nil niſi malum cogitat, continenterq; hominibus ſingulis præſens omnem quærit, & arripit ad nocendum, malumq; inferendum anſam. 2. *Concupiſcentia,* quæ ex peccato originem ducens, ad malum nos inclinat, de qua Apoſtolus: [a] *Non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum; & malum adjacet mihi.* Hæcq; ferè ſola cauſa eſt, quamobrem externa illa alioquin indifferentia moleſtè impatienterq; tolerentur, & mala nobis efficiantur. 3. *Afflictiones* quælibet moleſtæ, ſive externæ illæ ſint, ſive internæ, quibꝰ omnes conflictamur nemine prorſus excepto, etiam juſti & ſancti, adeò res illa non ſolùm offenderit Ethnicos, qui ob id negarunt Dei providentiam, ſed etiam fideles quoſdam, ut conſtat de Davide & aliis Prophetis. Unde illa Pſalmiſtæ vox: [b] *Mei penè moti ſunt pedes,* &c. Hinc intelligimus, quàm ſit neceſſaria iſta petitio, cùm tam univer-

[a] *Rom.* 7. [b] *Pſ.* 72.

salis sit homini tribulatio, ut nullum sit ejus membrum, nullaq; potentia, quæ sua afflictione molestiaq; careat, nullaq; creatura, quæ non miserum hominem vexet. Meritò igitur filii Dei suspirant, & enixè petunt ab æterno Patre: *Libera nos à malo*; id est, ab illo malo, qui nil nisi malitiam respirat, & semper malignè insidians, malitiam omnibus nostris operibus inspergere nititur, ut sicut & ipse mali simus, tandemq; nos secum pertrahat in gehennam. Præclarum hujus rei exemplum habemus in vita S. Dominici. *Qui dum nocte vigilaret, ac muros Ierusalem custodiret, vidit eum,* qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, *per omnia loca monasterii pervagantem, dixitq; ad eum; Quid hic ita circumis cruenta bestia? Ille respondit: Propter lucrum quod hic habeo. Ait ei Vir sanctus: Et quid lucraris in dormitorio? Respondit dæmon: Somnum necessarium eis aufero quietem interpellando, efficioq; ut cunctabundi surgant, pigritiâ eos retinente, hortorque ut à divinis officiis se subducant. Præterea verò si id mihi permittatur, nocturnas corporis inquinationes, & libidinosos motus in dormientibus excito. Inde Vir Dei de templo interrogavit: Quid in tam sancto lucrураretur loco? Respondit ille: Id ago ut tardè huc veniant, citò hinc recedant, suiq; immemores sint. De refectorio sciscitanti Viro beato ait: Hic locus totus est meus, hic existit risus, hic vani referuntur rumores, & verba inania proferuntur. Postremò ad locum Capitularem à B. Patre ductus cum horrore refugit: Iste, inquiens, locus mihi tartareus est: Si quid enim alibi lucri feci, ejus*

hic

hic facio jacturam; hic namq; admonentur Fratres, hic confitentur, hic accusantur, hic verberantur, hic absolvuntur: qua de causa hunc locum præ cæteris abominor & detestor. Ita miser ille cogente illum sancto Viro Altissimi virtute malitiæ suæ detexit fraudes. In vita ejus cap. 12.

Cur ab omnibus malis liberationem à se peti voluit Deus?

R. 1. Ut pium suum paternumq; animum in nos declararet. 2. Ne aliundè remedia, quàm à Deo, aut secundùm Deum quæramus, non à sagis aut dæmonibus, neq; à medicis, nisi se priùs placato & invocato; Dei enim solius est depellere mala, qui solus infligit pœnas omnes, juxta Prophetam: [c] *Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Quod agnoscens Job, neque dæmoni, neq; hostibus quicquam acceptum tulit, sed demisso pacatoq; animo dixit: [d] *Dominus dedit, Dominus abstulit.*

Cur petimus liberari à malis corporalibus, cùm sanè homini prosint ad majus meritum?

Resp. Eatenus solùm liberari petimus ab his, quatenus saluti nocent: quia enim sæpè talia hominem inducunt in impatientiam, & alia peccata, hinc ab iis liberari petimus.

Cur dicimus à malo in communi?

R. Ideo non descendimus ad malum particulare, v. g. paupertatem, infirmitatem, &c. quia sæpè putamus aliquid nobis esse ad malum, & Deus illud scit bonum esse nobis ad salutem, & contra.

Cur

[c] *Amos 3.* [d] *Job. 1.*

Cur in fine additur: Amen?

℟. Est vox Hebraica, significans idem quod fiat: hinc est vox optantis, ut quidquid postulatum est in hac oratione, per benignam Dei misericordiam adimpleatur, ut sic ipsi sit gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

LECTIO XXXIV.
De Patrocinio B. Virginis MARIÆ.

In quo spes nostra post Christum est collocanda?

℟. SPes nostra post Christum rectè & meritò collocatur in patrocinio Deiparæ Virginis MARIÆ.

Cur hoc?

℟. Quia est Mater & Mediatrix nostra. De ea enim rectè ab Ecclesia intelligitur illud: [a] *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei*, q. d. Ego sum illa Mater, quæ filiis meis & animabus mihi devotis ingero castum amorem, castumq; timorem: salutis ego scientiam, spemque sanctam eorum in cordibus pario. Licet verò hæc Scripturæ verba primariò intelligantur de Sapientia incarnata, in Officio tamen divino etiam Ecclesia à Spiritu S. directa Virgini Mariæ accommodat. Declaratur etiam ex authoritate SS. Patrum. Inter illos D. Bernardus [b] ait: *Totis medullis cordium, totis præcordio-*

[a] *Eccl.* 24. [b] *Serm. de Nat. Virg. Mar.*

cordiorum affectibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. In omnibus, & per omnia prævidens Deus miseris trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit. Ad Patrem verebaris accedere, solo sonitu territus ad folia fugiebas, Jesum dedit tibi Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? An verò trepidas ad ipsum? Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absq; peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi Fratrem Maria dedit, & si in ipso forsitan Majestatem vereraris divinam, ad Mariam recurre, exaudiet Mariam Filius, & exaudiet Filium Pater; Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. In hac Matre nostra duo ubera consideramus: unum est, quod sugunt justi, ex quo gratiæ abundantiam cum suavitate eliciunt. Hujus rei Symbolum orante B. Bernardo coram imagine B. Virginis, & cum toto cordis affectu versum illum pronuntiante: *Monstra te esse Matrem*; velut ex uberibus suis Virgo maternum demonstrans affectum, in os ejus suavissimum & lacti similem liquorem instillasse perhibetur. Alterum ex uberibus Virginis est quod sugunt peccatores, ex quo eliciunt abundantiam misericordiæ. De quo Richardus à S. Victore: *Replentur adeò pietate ubera tua, ô Virgo, ut factâ alicujus miseriæ notitiâ lac fundant misericordiæ; adeò cor tenerum habes, ut non possis miseriam scire, & non subvenire: ubicunq; fuerit miseria tua, statim currit & succurrit misericordia tua.* Hæc deniq; Mater spes

est justorum & peccatorum: Justorum quidem spes, quia omnes Ecclesiæ status sub speciali ejus protectione sperant, & respirant sub ejus umbra & clypeo obnituntur contra Satanam, mundum & carnem. Spes quoq; peccatorum est, quia per illam ad vitam redeunt, & ad salutem respirant; ita ut de illa possimus dicere: (c) *Respicite filii nationes hominum, & scitote, quia nullus in ea speravit & confusus est.* Imò advertendum est, quod dicit S. Anselmus: *Velocior nonnunquam est salus invocato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Jesu: non quòd illa potentior sit, (nam per illum ipsa potens est) sed quia Matrem vult Filius sic honorare: & quia Filius ejus Dominus & Judex est, discernens merita singulorum: dum ergo ipse invocatus suo nomine non exaudit, justè facit; invocatus autem nomine Mariæ etsi merita invocantis non merentur, merita tamen Matris intercedunt.* Hæc Anselmus lib. de Excellent. Virg. cap. 12. Ipsa ergo est Civitas Refugii, de qua possumus dicere: (d) *Gloriosa dicta sunt de te Civitate Dei; ecce alienigenæ, & Tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Hæc nempe est gloria Virginis hujus, Dei civitatem esse, in qua Deus ipse habitavit, in qua cum homine æternæ pacis fœdus fecit: sed & in hoc ejus gloria celebranda, quòd omnes ad se refugientes peccatores Civitas hæc recipiat & protegat, quod verbis allegatis demonstrari potest: *Ecce alienigenæ*, hoc est, quia maximè à Deo alieni, ab ejus fide & gratia plenè extranei vivebant, hic asy-
rep

(c) *Eccl. 2. v. 11.* (d) *Ps. 86.*

reperiunt. *Et Tyrus*, (quod interpretatur angustia & tribulatio) hoc est, qui peccatis & criminibus pleni, undiq; conscientiæ angustiis oppressi desperabant. *Et populus Æthiopum*, hoc est, sceleribus suis toti fuliginosi denigrati. *Hi fuerunt illic*, accessum, spem & protectionem in hac Civitate Dei invenerunt. Mille id exemplis demonstrare liceret, duo tamen notissima proferam. Alterum de Maria Ægyptiaca. *Hæc multis annis quasi Veneris victima fœdæ libidini se prostituerat. Occasione verò concursus ad Festum Exaltationis S. Crucis in Ierusalem, venit cum cæteris non tam pietatis gratiâ, quàm ut animas illaquearet; verùm ab ingressu templi ter & quater divinitùs repulsa. Hoc ipsa agnoscens, cœpit vitæ prioris turpitudinem deplorare, & ad Deiparæ imaginem se convertere cum fletu dicens: O Domina Virgo, quæ Deum verum genuisti, & propter hoc ipse factus est homo, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, auxiliare mihi jam auxilium non habenti, ut possim crucem, in qua passus est pro salute mea, cum aliis conspicari: Adjecit deinde promissionem, se posthac omnibus mundi illecebris renuntiaturam, si voto potiretur. Virginis ergo ope ingressa statim omnes voluptates repudians, in vastam eremum contendit, ubi prioris vitæ labes pœnitentiâ expiaret. Semper verò se Mariæ commendavit, ut ad votum explendum sibi propitia foret & Custos.* Tu, *inquit*, ô Domina, quo placuerit me ducito: esto mihi salutis Magistra, mihi veniam, quæ ad pœnitentiam ducit, indica, & ne me derelinquas. *Sub ejus verò patrocinio quadraginta septem annis in austera*

pœnitentia complevit acerrimis tentationibus divexata, ut omnibus pœnitentiæ speculum foret & exemplū. In vit. PP. l. 1. in ejus vita. Alterum habemus exemplum multis clarissimorum testimoniis celebratum de Theophilo Adanensis Ecclesiæ Oeconomo, *qui cùm per iniquorum calumniam ab officio depositus esset, in tantam perturbationem incidit, ut opem à dæmone requirens ei se devoverit dato chyrographo, Christo ac Deipara abnegatis. Quo facto recuperavit quidem pristinum munus œconomi, sed paulatim admissi sceleris pœnitens, ad Deiparæ templum confugiens, lacrymis, precibus, & jejuniis se afflixit per quadraginta dies, unicum Deiparæ auxilium in re desperatissima expectans. Itaq; exacto illo tempore apparuit illi Virgo nocte mediâ, & ob gravitatem sceleris non facilè dimittendi acriter objurgat. Cumq; is veniam instanter postularet, jubet illa, ut fidei in Christum professionem edat, se ei veniam à Christo impetraturam. Itaque cùm is in eodem templo ante Virginis aram humi stratus solitis pœnitentiæ operibus insistit, apparet ei rursus per quietem, asserens acceptam esse ejus pœnitentiam, adeoq; ipsum quoq; receptum in gratia Dei. Restabat adhuc chirographum dæmoni exhibitum, pro quo recuperando cùm Virgini supplicasset, mane experrectus reperit illud repositum supra pectus. Quâ ex re unà cum ipso universa Ecclesia in gaudium effusa Deo gratias egit. Inde post ægrotare cœpit Theophilus, & post triduum in Dei & Deiparæ laudibus animam Deo reddidit.* Ex Eutichiano Patriarcha Costant. Simeon Metaph. Nullus igitur quantuscunque desperet peccator, ad hanc Refugii Civitatem se

con-

conferat, & erit securus. Currat ad ubera Matris Dei, & haud dubiè lac eliciet misericordiæ, quam ipsa Mater Dei per S. Birgittam omnibus peccatoribus ad se confugientibus promisit dicens: *Nullus est ita alienatus à Deo, nisi omninò fuerit maledictus, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habeat misericordiam.* In Revelat. S. Birgit. l. 6. c. 10. Hinc D. Bernardus confidentiâ plenus in hæc verba erumpit, in Serm. de Assumpt. *Sileat misericordiam tuam Virgo beata, qui te suis in necessitatibus invocatam sibi unquam meminerit defuisse.* Plura de Patrocinio Deiparæ vide alibi passim, præsertim in Spinello in lib. qui intitulatur: Amor Deiparæ.

LECTIO XXXV.

De Devotione erga Beatam Virginem.

Quâ viâ certiùs Patrocinio Deiparæ fruar, & Dei misericordiam impetrabo?

Resp. SOlida & vera erga eam devotione, quâ certò Dei impetrabis misericordiam, nec poteris perire.

Quare hoc?

℞. Quia non poteris excludi à numero filiorum Dei, si es de filiis Mariæ: de quibus haud dubiè eris, si eam filiali & solida devotione prosequaris, per quam probabile admodum habebis æternæ prædestinationis testimonium, ut Do-

ctores Catholici afferunt, & poteſt probari ex loco Scripturæ, quem Eccleſia à Spiritu S. directa B. Virgini in ejus Officio applicat: (a) *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Item illud: (b) *Ego diligentes me diligo.* Et non poteſt non eſſe efficax mea dilectio; eos enim quos diligo, divinæ quoq; dilectionis & electionis conſortes efficio. Ex quibus eouſq; crevit SS. Anſelmi & Bonaventuræ de Deipara Virgine opinio, ut auſi ſint dicere: (c) *Sicut, ô Beatiſſima, omnis à te averſus, & à te deſpectus neceſſe eſt ut intereat, ita omnis ad te converſus, & à te reſpectus impoſſibile eſt ut pereat.*

Ergone ſalva ſunt omnia, ſi ſim B. Virgini devotus, eiq; penſum quotidianum perſolvam?

Reſp. Nequaquam, ſed inſuper ejus virtutes imitari debes; quod ſi neglexeris, devotio tua parum tibi proderit.

Quæ ſunt virtutes, quas potiſſimùm ſervus MARIÆ *imitari debet?*

R. 1. Caſtitas & puritas conſcientiæ. 2. Humilitas. 3. Charitas Dei & proximi, &c. has, aliasq; virtutes imitari debet Virgini devotus, ſi deſideret devotionem ſuam ei placere. Si autem hæreat in impudicitiis & luxuriæ ſordibus, ſi ſuperbiam in corde alat, ſi odiis, diſſenſionibus, & detractionibus, aliisq; peccatis addictus ſit, nequa-

(a) *Prov. 8.* (b) *Ibid.* (c) *Bonav. l. 1. Phares. c. 1.*

quaquam hujusmodi devotione delectabitur Mater Dei. Cujus rei convenientissimum exemplum refert Albertus Castellanus, (quod suprà de Oratione retuli, & hic repeto) *Juvenem quendam turpi vitæ deditum solitum Virgini laudes frequenter offerre. Apparuit autem quodam die per sylvam obambulanti, ac gravi fame laboranti B. Virgo, cibum offerens delicatum, sed in patina valdè immunda: cùmque diceret ei Virgo: Comede; Respondit ipse: Cibus quidem bonus est, sed nauseam mihi generat ob immunditiam scutellæ, nec possum comedere. Tunc ait ei Virgo: Laudes, quas mihi offers, bonæ sunt, sed cor tuum immundũ est, & ideò tuis laudibus non delector; sicq; disparuit visio. Ipse verò pœnitentiâ se mundavit, ut deinceps placeret oratio, quam Virgini præsentabat.* Albert. Castell. lib. de Miracul. Rosarii.

Dices: Si ingratæ sint Virgini preces nostræ, dum peccatis mortiferis obnoxii sumus satius erit eas omittere.

Resp. Non esse ideò deserendas, sed tunc vel maximè ad Virginem recurrere debemus, ut ejus patrocinio à peccatis eruamur.

LECTIO XXXVI.

De Salutatione Angelica.

Quæ oratio Virgini Mariæ gratissima?

℟. SAlutatio Angelica Virgini Deiparæ gratissima est, quia eâdem à Sanctissima Trinitate honorata & salutata fuit, adeòque gratissimum ei obsequium præstatur, dum sæpi-

us hæc pio affectu recitatur. Hoc ipsum Deipara S. Mechtildi revelavit, *quæ, dum Sabbatho quodam :* Salve Sancta Parens, *cantaretur, dixit : Si te ô cæli Regina dulcissima salutatione, quam unquam cor humanum excogitare potuit, salutare possem, libentissimè salutarem, Statim ei beatissima Virgo apparuit, habens in pectore scriptam aureis literis salutationem Angelicam, & ait : Super hanc salutationem homo nunquam pervenit, nec dulciꝰ me quis salutare potuit quàm is, qui salutat me in ea reverentia, quâ Deus Pater me per hoc verbum* Ave *salutavit, confirmans me omnipotentiâ suâ, ut essem immunis ab omni* Evæ *culpa. Filius quoq; Dei suâ divinâ sapientiâ sic me illustravit, ut sim clarum sidus, quo cœlum & terra illustratur, quod per nomen* MARIÆ, *quod sonat maris stella, notatur. Spiritus S. etiam totâ suâ dulcedine divinâ me penetrando tam gratiosam effecit, ut omnis qui per me gratiam quærit, ipsam inveniat ; quod innuitur per verbum :* gratiâ plena. *In hoc quoq; verbo :* Dominus tecum, *admoneor ineffabilis unionis & operationis, quam tota Sanctissima Trinitas perfecit in me, cùm carnis meæ substantiam divinæ naturæ in una persona copulavit. ita ut Deus fieret homo, & homo Deꝰ, quid illâ horâ dulcedinis & gaudii senserim, nullus hominum ad plenum potuit experiri. Per* benedicta tu in mulieribus, *omnis creatura mirando agnovit & contestatur me benedictam & exaltatam super omnem creaturam tam cœlestem, quàm terrestrem. Per* benedictus fructus ventris tui, *benedicitur, & extollitur excellentissimus & perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam vivificavit, sanctificavit, & in*

æter-

æternum benedixit. Et cùm gravissimam Virginem oraret, ut in hora mortis sibi adesse dignaretur, respondit: Hoc utiq; faciam, sed & tu quotidie lege mihi ter Ave Maria, &c.

Quam utilitatem ex Salutatione Angelica percipimus?

℟. Protectionem contra Satanam, & Virginis favorem præcipuè in hora mortis.

Miles quidam juxta viam communem possidebat castrum, in quo residens omnes transeuntes sine miseratione aliqua spoliabat. Virginem tamen Mariam salutabat, nec pro aliquo impedimento emergenti ab ipsa salutatione aliquâ die cessare volebat: accidit autem, ut quidam Religiosus vir sanctus inde transitum faceret, in eosdem prædones incideret, quos vir sanctus rogavit, ut se ad Dominum suum ducerent, quòd haberet secreta, quæ cum ipso conferret. Adductus autem ad militem rogavit, ut omnes in castro congregari faceret, ut eis verbum Domini prædicaret; Congregatis ait: Nequaquam hic omnes estis, sed aliquis adhuc deest. Cui cùm omnes adesse assererent, ait: Diligenter inquirite, quia unus adhuc abest. Tunc unus exclamans dixit: unicum camerarium abesse. Sanctus ergo dixit: Verè ille est qui solus deest. Pro eo ergo citò mittitur, & in medium producitur. Cùm autem virum Dei vidisset, revolutis terribiliter oculis caput instar insani agitabat, nec propius accedere audebat. Vir autem sanctus dicebat; Adjuro te per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut quis sis nobis edisseras, & quam ob causam huc veneris, palam pandas. Cui ille respondit: Heu adjuratus prodere cogor invitus; ego enim non sum ho-

mo, sed dæmon, formam hominis indutus quatuordecim annis cum hoc milite habitavi, nam Princeps noster me huc misit, ut diem observarem, quâ ille salutationem Mariæ non diceret, & potestate acceptâ ipsum strangularem, & sic in malis moriendo noster esset. Quacunque enim die ille Salutationem dicebat, in eum potestatem habere non poteram. Ecce autem de die in diem diligentius observavi, & nullum diem, quin eam salutaverit, prætermisit. Hæc miles audiens vehementer obstupuit, & ad viri Dei pedes se abjiciens veniam postulavit, & in melius deinceps vitam mutavit. Vir autem sanctus dixit dæmoni: In nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, ut hinc statim abscedas, & talem locum possideas, ubi nulli gloriosam Dei Genitricem invocanti nocere præsumas. Jacobus de Voragine in festo Annunc. B. Virg. Spec. Exempl. fol. 863.

Eximia fuit beatissimæ Virginis in Martinum Guttrich hominem hæreticum beneficentia. Is Fornerum, qui deinde Episcopi Bambergensis fuit Suffraganeus, pro concione dicentem audierat, perire non posse, quisquis Dei Matrem coleret, & aliquot quotidie Angelicas salutationes precando offerret. Cœpit ergo vir ille ab illo ipso die illud pensum aliis atque aliis diei horis magnæ Matri Virgini exsolvere, servavitque morem illum ad tres annos constantissimè. Itaque post hoc temporis spatium cùm hominem morbus lecto affixisset, ecce tibi ipsis Immaculatæ B. Mariæ Conceptioni sacris feriis adest ægrotanti cœlorum Regina, ad peccatorum exomologesin, & sacram Synaxin Catholicorum more obeundam hortatur, in quorum assum-

sumi-

numerum pro illo erga se cultu meritus esset: nihil de reliquo timeret, occursuram se è vita discessuro, excepturamq; illius animam eo die & hora, quâ Filium peperisset. Quæ omnia eo, ut dictum est, ordine evenerunt, anno nati Christi 1627. post medium ejus noctis, quæ nato Christo solemnis est, & anniversaria, singulari morientis viri lætitia, & vultus amœnitate. Pædag. Christ. de cultu B. V.

Degebat in Hispania homo impius omnium scelerum colluvione immersus, flagrabat ad hæc vehementi in Deum odio, ad quem irritandum nefanda multa perpetrabat, certus præterea nullo unquam tempore ea confessione expiare. His accessit, ne ullis unquam conscientiæ stimulis fatigaretur, detrectaret Concionatorum commonitiones, omniumque de rebus ad animæ salutem spectantibus agentium congressum. Dum hoc scelerum luto defixus decumberet de nocte vigil, adest ei cœli Regina ingenti fulgore conspicua, benignoq; eum oculo intuetur, quo aspecta discussis scelerum tenebris, solutaq; indurati cordis glacie fundit lachrymarum flumina, viditq; tam clarè omnia anteactæ vitæ flagitia, quàm si millenos annos iis perscrutandis insumpsisset. Unde moræ omnis pertæsus anhelabat Solis ortum intueri, cujus animo mediis in tenebris Deipara Sole amicta affulserat. Die jam elucescente evocat è Societatis Jesu Collegio Confessarium: mittitur P. Joannes Nierembergius, cui omnia actæ vitæ crimina tam clarè debitis cum circumstantiis exposuit, ut à Theologiæ peritissimo nil perfectius desiderari posset. Tenuit horas tres confessio, cui accessit tam vehemens patratorum scelerum dolor, ut attonitus Confessarius tanta tam perversi hominis

commutatione ab eo exquisierit, ecquid tandem in vita sua præstitisset, quo tantopere cœli Reginam sibi demeruisset, ut per cacodæmonum phalangas undique iter æternitatis obsidentium aditum sibi ad cœlum patefecerit? Unica, ait, (quam aliquando audivi vitæ æternæ tesseram fore) Archangeli Gabrielis Dei matrem salutantis formula usus sum. Ut autem accepti beneficii gratum animum testatum faceret, voto se adstrinxit, (si fortè superstes foret) se vitam religiosam amplexurum. Ursit nihilominus Confessarium, ut felicem sibi ex hac vita obitum impetraret; quod ultimum indulsit ei Deus, atq; ita per omnes sibi structas dæmonii insidias in sinum Matris securè evolavit. Nierembergius in vita S. Ignatii c. 33.

LECTIO XXXVII.

Brevis explicatio Salutationis Angelicæ.

Cur post orationem Dominicam recitamus Salutationem Angelicam?

R. QUia apud Christum non habemus meliorem intercessorem, quàm Beatissimam Virginem Mariam, ideo post prolatam orationem, quam Christus nos docuit, convertimus nos ad Matrem ejus, ut sua nos intercessione juvet, ut petita assequamur, sicut fit in aulis Magnatum &c.

Quis fecit Salutationem hanc?

Resp. Deus ipse, sed eam tradidit nobis per os

os Archangeli Gabrielis, S. Elisabethæ, & consensum Ecclesiæ.

Quot sunt partes ejus?

R. Tres. 1. *Ave gratia plena, Dominus tecum,* ex mandato Dei pronunciata ab Archangelo Gabriele. 2. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui,* ab Elisabeth repleta Spiritu S. 3. *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis, &c.* ab Ecclesia Spiritu Sancto edocta. Hinc patet excellentia hujus orationis; nam post orationem Dominicam excellentior, & B. Virgini acceptior excogitari non potest, ut suprà demonstratum est.

Cur dicimus: Ave Maria?

R. Hæc est salutatio, quâ invocamus Deiparam, significantes nos esse amicos & notos, ideoque ipsam accedere & alloqui audemus verbis Angeli, quia scimus ipsam singulariter delectari audiendo hæc bona nova ab Angelo cœlitus allata, dum hæc verba ad eam locutus est. Delectatur etiam, quòd memores tanti beneficii Deo gratias agamus.

Quid sibi vult: gratia plena?

R. Gratia Dei potissimùm tria operatur in anima. 1. Expellit peccatum, quod animam inquinat. 2. Ornat animam virtutibus. 3. Dat animæ vires meritoria & divinæ Majestati accepta opera faciendi. Quantum ad primum effectum, MARIA est plena gratia, quia nunquam ulla macula peccati sive originalis, sive actualis fuit inquinata. Quantum ad secundum effe-

ctum, fuit omnibus donis Spiritus S. summa perfectione ornata. Quantum ad tertium effectum, Deo tam grata & meritoria opera operata est, ut digna fuerit super omnes Angelorum choros exaltari.

Quid : Dominus tecum?

Resp. Hæc & alia singularis laus Beatissimæ Virginis, ex qua intelligimus, quòd Dominus cum ea fuerit ab initio conceptionis, ipsiq; adhæserit sine intermissione, rexerit, docuerit, ac defenderit. Unde secutum est, quòd nunquam ullum peccatum admiserit sive cogitatione, verbo, aut opere.

Cur dicitur : Benedicta tu in mulieribus?

℟. Hæc est tertia laus, quæ Deiparæ tribuitur, ex qua intelligimus, quòd non solùm repleta sit gratiâ quæ virgines, verùm etiam quæ conjugatas decet, ita ut sine exceptione omnes mulieres præteritas & futuras præcellat. Nam benedictio conjugatarum est fœcunditas, hæc non defuit beatissimæ Virgini; nam genuit filium, qui plus valet quàm centum milia filiorum. Et ideò benedicta est inter mulieres: quia quædam earum habent honorem virginitatis sine benedictione fœcunditatis: aliæ benedictionem fœcunditatis sine honore virginitatis; hæc autem ex singulari gratia Dei, simul habet honorem virginitatis perfectissimæ, & benedictionem præclarissimæ ac felicissimæ fœcunditatis.

Quid sibi volunt ista verba : Et benedictus fructus ventris tui?

Resp.

Resp. Hæc verba indicant laudem, quæ tribuitur beatissimæ Virgini Mariæ, quòd non solùm digna sit omni honore propter se, verùm etiam propter fructum ventris ejus, qui est Jesus Christus.

Quid reliqua verba: Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.

R. Postquam S. Ecclesia Catholica præcipuam laudem B. Virginis repetiit, scilicet quòd sit Mater Dei, & ideò ab ipso possit obtinere quicquid volet, sic orat eandem, ut pro nobis oret: siquidem velut peccatores ipsius auxilio summè indigemus, & ut nos tempore vitæ nostræ, præsertim verò in hora mortis, dum in summo erimus periculo, non velit derelinquere. Tunc enim præcipuè adest suis Clientibus, qui ipsam fideliter in vita coluerunt & invocârunt, ut pluribus constat exemplis.

Legitur in Revelationibus B. Birgittæ in Concilio Constantiensi approbatis, habuisse filium Carolum, ætate & moribus juvenem militiæ deditum, militaribusq; dissolutionibus, qui in ætatis flore morte abreptus est. Cùm vero angeretur ipsa de ejus salute, Christus eam hac visione consolatus est: Vidit tribunal, in quo Christus sedebat, & MARIA dextræ astabat. Accessit Satan multa conquestus contra MARIAM tanquam inju-

injustam. Allegabat enim primo, quod cùm jus ei concessum sit tentandi animas, & maxime in morte, tamen in morte Caroli Virgo cubiculum ingressa eum depulerit, nec permiserit ullo modo ingredi ad tentandum. Allegabat secundo, se jus habere in judicio animas præsentandi, & accusandi, ipsam tamen Virginem statim animam exeuntem e corpore inter brachia suscepisse, judicioque præsentasse, prohibendo omnem dæmonis accusationem, & ideo judicium sine parte actum esse contra omne jus. Respondit S. Virgo, se merito omnia hæc præstitisse animæ illi, quia in vita eam summè dilexerat, & omni die se ejus tutelæ commendarat, ipsumq; solitum magnopere lætari de honore Mariæ, & pro illa vitam fundere paratum fuisse. Christus ergo concludens ait dæmoni: Scias Matrem meam in regno meo principari, non solùm ut alii Electi, sed ut Matrem, Reginam & Dominam; unde potest dispensare justâ occurrente causâ in legibus meis. Justum autem fuit, ut id ageret cum anima Caroli, à quo sic fuit honorata. *Hac igitur visione B. Birgitta intellexit filium suum salvatum ob devotionem, quam Matri Dei exhibuerat.* Marchant. in fine Salut. Angel.

Quidam

Quidam Religiosus deductus ad extremũ vitæ horribiliter clamavit: Maledicta hora, in qua Religiosus factus sum; & siluit. Post pauca facie serena dixit: Benedicta hora, qua Ordinem intravi, & benedicta Mater Christi, quam semper dilexi; & iterum tacuit. Fratres hæc audientes cum lachrymis oraverunt pro eo. Post duas horas dixit Fratri astanti: Voca Fratres nostros, quia Dominus exaudivit orationes eorum. Ingressis autem Fratribus dixit: Vos ex primo verbo meo, quod audistis, turbati estis, sed hæc est causa clamoris mei: Apparuerunt mihi duo dæmones terribiles, parati ad rapiendum animam meam, sic præ timore extra me raptus maledixi diei; qui erant adeo terribiles, ut si hic factus esset ignis ex ære mixtus cum sulphure, qui duraret ab hac hora usque ad finem mundi & daretur mihi optio, utrum per illum ignem transire vellem, aut iterum videre dæmones in simili forma, eligerem potius per ignem transire. Postmodum autem venit illa cœli Regina, Mater misericordiæ, & fugavit dæmones, & ea visa concepi spem, & præ gaudio risi, & eam benedixi,

nedixi, quæ liberaverat me de tam horribili visione dæmonum. His dictis feliciter quievit in Domino, Specul. Exempl. d. 9. ex. 84.

Aures hic animosq; vestros attentos velim, Magnæ Virginis clientes, dum eventum non minus admiratione, quàm commiseratione dignum commemoro. Etenim, (ut ipse Alexander Calamata testatur in Sylva, discursu 44. num. 20.) rem à S. Miletone relatam, ut legit, à lachrymis sibi temperare non potuit. *Scribit hic sanctus Pater, ætate sua extitisse insignem quendam Dominum singulari in Deiparam pietate conspicuum, ut adeo domesticis cunctis sibi subditis non modo in Virginem Matrem amorem venerationemq; summam commendaret, sed & præciperet, ut à quocunq; ad quodcunq; ministerium evocarentur, hoc responsi darent: Ave Maria. Quam piam consuetudinem ipse Dominus usq; eo cordi habebat, ut volucrem, quam aviario inclusam alebat, has voces: Ave Maria, articulate pronunciare docuerit; quo factum, ut sub aurora avis concinne cantillaret: Ave Maria. Aliquando, nescio qua Domini incuria aut oblivione ostiolo aviarii aperto, volucris opportunitatem nacta accipitrem offendit, quē omni nisu ac prepeti penna effugere nequi-*

quam conata præda cessit, jamq; carnivorus prædo ungues ad eam misere dilaniandam confixerat, cùm illico has voces dolor expressit: Ave Maria; atq; e vestigio, rem miram! prolato nomine Mariæ accipiter velut fulmine ictus in terram corruit toto, quem confecerat, aeris tractu teterrima mephiti infecto, atq; ipsa volucris arguta modulatrix quasi ab hoste victrix iterum iterumq; epinicion cantillat Ave Maria.

Quærit hic noster Seraphicus Doctor Bonaventura, cujus rei symbolum hanc volucrem, nisi peccatores? quid per accipitrem, nisi stygium prædonem designari existimans? quem ut effugiatis in extremo vitæ discrimine nullum præsentius, quàm in nomine Mariæ præsidium. Ipsum audite: *Gloriosum & admirabile est nomen tuum, ô Maria! qui illud retinent, non expavescunt in puncto mortis; nam dæmones audientes hoc nomen Mariæ, statim relinquunt animam.* Bonavent. in Psalt. ex Engelgr. in Festo Assumpt. Plura vide in Pædagog. Christ. de cultu Deiparæ, & alibi passim.

CAPUT TERTIUM.

De Charitate, & Decem Præceptis.

LECTIO XXXVIII.

De Charitate.

Qua

Quæ est tertia virtus Christiano maximè necessaria?

Resp. EST Charitas, quia est præcipua virtutum & donorum Dei. *Qui non diligit, manet in morte,* &c. (a)

Quid est Charitas?

R. Est virtus, quâ diligimus Deum super omnia, proximum autem sicut nos ipsos. (b)

Quid est diligere Deum super omnia?

Resp. Est potius malle facere jacturam omnium, puta bonorum, honoris, imò etiam vitæ, quàm Deum offendere.

Cur Deus super omnia amandus?

R. Propter suam infinitam bonitatem, non præcipuè propter beneficia; & licet talia nulla daret, tamen amandus est, quod pulchro declaratur exemplo. ***Cuidam seniori apparuit Satan, transfigurans se in Angelum lucis, dixit se missum, ut secretorum Dei eum redderet conscium. Noveris ergo, inquit, Fratrem juniorem tecum agentem esse filium damnationis, & de numero reproborum, adeoq; in vanum laborare, & se affligere. Ex ea hora senior, quoties juniorem videbat, flebat amare. Vrget tandem junior, postquam id frequenter advertisset, & instantissime egit apud seniorem, ut causam exponat***

(a) 1. *Joann.* 4. (b) *Luc.* 10.

nat tristitiæ, si forte possit solamen aliquod afferre. Senior ejus importunitate victus rem totam aperit. At ille fortis Dei amator nihil turbatus sapienter respondit: Deus quod in oculis ejus beneplacitum est, adimpleat, ego enim non servio ei propter regnum cœlorum, sed propter bonitatem suam & amorem, quem erga me morte & passione sua testatum reliquit. De cætero si mihi regni consortium donare decrevit, sit benedictus; si ad inferos demergere velit, justa erit voluntas ejus, quis poterit impedire? *Sequenti nocte apparuit Angelus seniori, & fraudem Satanæ detegens addidit, juniorem illum ex constantia amoris plus meriti sibi eo die comparasse, quàm reliquis diebus vitæ suæ.* Hortus Past. Tract. de Charit. Sect. 2.

Quibus signis dignoscere possumus, an Deum verè diligamus?

Resp. Iisdem ferè signis, quibus judicamus, an amicum verè diligamus.

Quæ sunt illa signa?

R/. Amicum diligimus, si mandata ejus exequimur, si sæpè de eo cogitamus, si domum, mensam, colloquium ejus amamus, & secreta ei aperimus. Ita ferè est cum Deo, si mandata ejus observamus, (c) si de eo sæpè cogitamus, ejus domum, Ecclesiam, & mensam in Communione fre-

(c) *Joann.* 14.

frequentamus, eiq; cor in Confessione sincerè aperimus, tunc verè Deum amamus.

Suntne plura signa dilectionis Dei?

℟. Sunt equidem. 1. Si non solùm ejus mandata observamus, verùm etiam si quæcunqve ei placita novimus, magnâ promptitudine & sedulitate exequi studeamus, omnia in ejus gloriam referendo. 2. Si quis peccati odium in se magnū sentiat. 3. Si quis tali affectu in Deum feratur, ut etiam rerum temporalium jacturam pro eo facere paratus sit, imò & vitam, si res exigat, profundere. Ita Sancti omnes, præsertim Martyres, Deum amabant.

Potestne æquè Deum amare rudis, ac doctus & sapiens?

℟. Ab hoc præcepto dilectionis Dei nemo se extricare potest, nec causare illud esse difficile; quia tantum potest diligere Deum pauperculus & idiota, quantum dives, potens, & sapiens; tantum ovium & pecorum pastor capax est gratiæ & amoris divini, quantum vir dignitate & scientia sublimis. *Hoc sapienter respondit Doctor Seraphicus D. Bonaventura B. Ægidio ejusdem Ordinis S. Francisci laico: In quodam enim colloquio spirituali dicebat ei Frater Ægidius: O quàm felices vos, qui docti estis, & multarum rerum scientiâ periti! illa enim multiplex scientia plurima vobis suggerit, quibus Deum laudare potestis: nos verò idiotæ & illiterati quid agemus? Respondit S. Bonaventura: Non est quod conqueraris F. Ægidi, sola enim sufficit dilectio. Sed replicat B. Ægidius: An ergo potest ita illiter-*

literatus & rudis Deum diligere, ac is qui multa scientia est præditus? Respondit Bonaventura: Imò verò muliercula paupercula & simplex æquè potest Deum diligere, ac sublimis Theologiæ Doctor. Ad hæc in spiritu exhilaratus Ægidius cum fervore cœpit exclamare: O simplices & paupertulæ mulieres Deum amate, & æquè magnæ poteritis esse ac F. Bonaventura. Et in hæc verba erumpens tribus horis in extasi fuit. Bonav. de S. Ægidio Francisc.

LECTIO XXXIX.

De Charitate proximi.

Quare tenemur diligere proximum?

℟. Quia est mandatum Dei. (a) 2. Quia proximus noster est viva imago Dei. 3. Quia sanguine Filii Dei redemptus, & ab eo dilectus est. 4. Quia sumus membra ejusdem corporis, & fratres ejusdem Patris & Matris.

Quid est diligere proximum sicut seipsum?

℟. Est bonum ei desiderare sicut sibi ipsi, eique succurrere sicut vellet quis sibi fieri, & omnem felicitatem ei optare: taliter diligere proximum Deo gratum, & summè meritorium est; quod insigni probatur exemplo, quod scribit celeberrimus apud Hispanos Concionator, noster Philippus Diets Tom. 2. Quadr. p. 2. serm. 4. post Domin. 1. de Nobilissimo quodam, sed moribus perversissimo homine, *cui vir quidam Religiosus, morum ejus conscius, hæc tantùm verba magno tamen:*

(a) *Joann.* 15.

men spiritus fervore dixit: Bonum quod tibi vis fieri, fac quoq; proximo tuo; quod si feceris, salvaberis. Audivit Nobilis brevem hanc exhortationem, & exinde ita secum ratiocinabatur: Si quis tibi aliquid deberet, an non velles statim tibi solvi? Et si tu pauper esses, an non libenter videres, si dives eleemosynam tibi largiretur? Justum itaq; est, ut tu reddas quod debes tuis creditoribus, & pauperibus subvenias. Quibus operibus dum vacaret, quâdam nocte excepit in domo sua ægrotum quendam pauperem, cui postquam cœnam bonam dedisset, jussit prope cubiculum suum lectum ei sterni dicens: Si pauper ego essem & ægrotus, libenter ita viderem humaniter me excipi. Mediâ autem nocte cœpit ægrotus pauper clamare, & aquæ haustum petere dicens: se gravi siti vexari. Surrexit Nobilis ille, ut haustum illi daret, dicens intra se: Si tantâ siti ego premerer, libenter viderem, si aquæ haustus mihi porrigeretur. Descendit itaq; ad cisternam, ut aquam afferret, & cùm esset obscurum, & in fervore illo accelleraret, impegit, & decidit in cisternam, & Domino permittente suffocatus est. Hic miserabilis casus omnes domesticos ad lamentationem solvit, sed brevi tempore omnes has lachrymas Deus *fecit exsiccari. Cùm enim defuncti corpus ex cisterna extraheretur, habuit pretiosissimum torquem aureum ad collum suum incisis & elaboratis splendidissimis characteribus, qui hanc sententiam continebant:* Antequam corpus hoc aquâ refrigesceret, anima ejus jam fruebatur Deo. Vide etiam Spec. Exempl. tit. Dilectio proximi.

Quomodo sciemus an verè proximum diligamus?

℟. 1. Si non solùm verbo, sed etiam opere & veri-

veritate eum juvamus; si infirmitates ejus portamus, id est, dum lapsus est in peccatum, aut aliam miseriam, eam non propalamus, sed pallio charitatis tegimus, quod & fieri nobis optamus. 2. Si gaudemus in ejus prosperitate, & adversitate compatimur. 3. Si quantum in nobis est, à via erroris & peccati eum reducere conamur.

Tenemurne diligere inimicum?

℟. Tenemur: nam nomine proximi non intelligitur solùm amicus, sed omnis homo, qui aliqua ratione nobis est conjunctus; & hoc ideo, quia est frater noster.

Estne peccatum maledicere inimico?

Resp. Est sanè, & propriam maximè lædimus conscientiam.

Quæ signa amoris tenemur exhibere inimico?

℟. Tenemur ei subvenire in necessitate, tenemur & pro eo orare. Cujus exemplum nobis dedit Salvator, pro inimicis orando in Cruce: (b) *Pater ignosce illis*, &c. Sic S. Stephanus oravit pro inimicis, præsertim pro Saulo persecutore, cujus orationi adscribenda est conversio Pauli, Augustino dicente: *Nam si Martyr Stephanus non orasset, Ecclesia hodie Paulum non haberet.* Præclarum hujus rei habemus exemplum superioris seculi in Edmundo Campiano Martyre Angliæ, *qui productus in theatrum, quo tota urbs Londinensis convenerat, ait; Spectaculum facti sumus & Angelis, & hominibus.* (c) *Ego hic spector suspendendus, & in quatuor partes secandus, quasi proditor & hostis patriæ;*

 sed

(b) *Luc.* 23. (c) 1. *Cor.* 4.

sed tu Domine scis innocentiam meam, scis me non aliud respirasse, quàm Angliæ salutem: si aliud spectassem, in Anglia amplos honores & opes oblatas ab eis, qui me morti adducunt, acceptassem. Sed veniet, Elisabetha, dies, qui revelabit abscondita cordium, & ostendet, an ego & socii te sincerè amaverimus, qui pro salute tua tot periculis, labori, & morti nos exposuimus; an tui ministri, qui à te nil aliud quærunt, quàm opes & dignitates, tibi adulantur, & in hæresin ac cædes Sanctorum inducunt. Deum oravi, & oro, ut hæc mors mea, quam lubens patior, sit piaculum peccatorum tuorum, tibi veniam, fidem, & felicitatem æternam impetret, & utinam hâc morte à te illatâ felicitatem tibi emam. En quàm subtilis hujus Martyris in hostem charitas!

Quid prætereà tenemur facere inimico?

℟. Ex præcepto exhibenda sunt inimico signa dilectionis omnibus communia, particularia verò exhibere solùm est consilii, nisi secundùm præparationem animi, ut scilicet sis paratus ei subvenire in articulo necessitatis. Hinc si oras pro tota communitate, non potes excipere inimicum, &c. Idem dicendum de salutatione, eleemosyna, & similibus. Sequitur etiam, inimicum salutantem non resalutare, esse ordinariè peccatum; & potest esse mortale, si esset notabilis contemptus, attentâ circumstantiâ temporis, loci, & personarum, & consuetudine patriæ.

Quid si inimicus veniam roget, & satisfactionem offerat; teneborne satisfactionem remittere?

℟. Teneris ei ex charitate, nisi satisfactio legitimè

gitimè à Judice taxanda, nihilominus necessaria sit reparando tuo, aut tuorum honori, tunc exigi poterit; nisi rursus ex eo oriretur præponderans scandalum, respectu salutis animæ, vel corporis.

LECTIO XL.

De Præceptis Decalogi.

Per quem dedit Deus præcepta Decalogi?

℟. PEr Moysen (a) in monte Sinai, cum igne, tonitru, & fulgure.

Cur cum his signis terribilibus dare voluit?

Resp. Ut ad illorum observantiam populum commoveret.

Tenenturne Christiani hæc præcepta memoriter scire?

Resp. Tenentur, saltem quoad substantiam, quia sunt instar regulæ, quam quisque in baptismo profitetur.

Tenenturne Christiani ea observare?

℟. Omninò, quia hæc lex non est cæremonialis & judicialis, sed est renovatio quædam & explicatio major legis naturalis; & si Christianus hanc legem non observet, graviùs punietur quàm Ethnicus & Publicanus, ut patet exemplo, quod refertur in vita S. Macharii. Vide Lect. 1.

Suntne possibilia observatu præcepta Decalogi?

℟. Non solùm possibilia sunt observatu, sed etiam facilia, teste Joanne: (b) *Mandata ejus gra-*

(a) *Exod.* 24. (b) 1, *Joann.* 5.

via non sunt. Imò Christus ipse ait: (c) *Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

Qui sunt fructus observationis Decalogi?

Resp. Præter alios tres sunt potiores: Benedictio scilicet spiritualis & temporalis, & demum vita æterna. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (d)

Quid tandem transgressoribus fiet?

℟. Maledictio temporalis, & mors æterna. (e) *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* (f) *Sed dices: sæpè paupertate affliguntur, imò fame & ærumnis moriuntur, qui in pietate & timore Dei vitam agunt; & contrà impii, & præceptorum violatores in pace vivunt, & benedictione temporali abundant.*

℟. Ad priorem partem, ita quandoq; accidere speciali Dei providentiâ id in bonum eorum ordinante. Sic constat, Lazarum justum, & multos Martyres, aliosq; Sanctos in carceribus fame, aliisq; miseriis periisse: sed Deus tunc defectum vitæ præsentis â se promissæ compensat amplioribus bonis spiritualibus & æternis. Dicendum similiter ad posteriorem partem, quandoq; Deum impiis benedictiones temporales impertiri: & id facit in remunerationem aliquorum operum bonorum, quæ aliquando faciunt, nec vult Deus illa relinquere irremunerata, interim exsortes sunt benedictionis æternæ. Hujus rei tragicum & stupendum habemus exemplum in vita S. Ambrosii, *qui vice quâdam Romam petens, in villa quadam*

(c) *Matth.* 11. (d) *Matth.* 19. (e) *Deuter.* 28. (f) *Ps.* 118.

quadam Tusciæ apud virum valdè divitem hospitatus, interrogabat illum de statu suo. Respondet ille, se semper felicem fuisse in divitiis, in servis, in copiosa filiorum turba. Deniq; se posse gloriari, omnia sibi ad votum succedere. Audiens Ambrosius obstupuit, & suis ait: Surgite, discedamus hinc, nam Dominus non est in loco isto; festinemus, ne peccatis eorum involvamur, & nos ultio apprehendat *Vix discesserant, & terra dehiscens hominem illum cum omnibus ita absorbuit, ut nullum vestigium remaneret. Tunc Ambrosius ad suos:* Ecce, Fratres, quàm misericorditer Deus parcit, dum hic prospera semper elargitur. *In eodem autem loco profunda fovea mansisse dicitur, quæ usq; hodie in hujus rei testimonium perseverat.*

LECTIO XLI.

PRÆCEPTUM I. DECALOGI.

Ego sum Dominus Deus tuus: non habebis Deos alienos.

Quid nobis hoc præcepto mandatur?

Resp. DEum adorare, & illi soli servire servitute perfecta.

Cur tenemur Deo servire?

℟. Ratione creationis, conversationis, & redemptionis, & aliis infinitis titulis.

Estne satis eum adorare?

Resp. Nequaquam, sed per fidem, spem, & charitatem in eum tendere oportet. H 3

Quinam peccant contra hoc præceptum?

Resp. 1. Qui in fide vacillant, vel errant. 2. Qui corde fidem retinentes, ore negant ob metum mortis. 3. Qui legunt libros hæreticos. De his vide suprà in Symb. Fidei. 4. Qui utuntur superstitionibus.

Qui actus vocatur superstitiosus?

℞. Actus ille est superstitiosus, cùm quis nititur aliquid efficere per causas, quæ nec sua virtute naturali, nec divina, nec Ecclesiastica dispositione id possunt efficere, adeoq; non nisi à dæmone effectus expectari potest virtute alicujus pacti, quod aliquando iniit cum aliquibus personis sibi familiaribus, à quibus doctrina illa accepta in alios manavit, v. g. Dum quis contra febres, aliosq; morbos, contra oculorum, aliorumq; membrorum dolores chartulis quibusdam, orationibus, & vanissimis verbis, benedictionibus vetularum, afflatu superstitioso, mensurationibus, similibusq; diabolicis remediis utitur ad dolores pellendos, & sanitatem consequendam vana quadam confidentia. Hinc imprimis graviter monendi sunt opiliones, bubulci, subulci, qui variis superstitionibus, orationibus quibusdam, ac benedictionibus plerumque utuntur, ut gregem à scabie, lupis, & aliis incommodis tutentur. Item fabri ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis vel ex Psalmis Pœnitentialibus, vel ex Oratione Dominica desumptis. Item villici & rustici, qui ad sananda pecora sua multa inani & diabolica arte, & super-

perſtitioſa obſervatione utuntur, vel ad eos recurrunt, qui tales artes callent. Quibus præſtaret ſaucia habere animalia, vel etiam mortua, quàm animas. Monendæ ſunt etiam graviter vetulæ, quæ ad pellendos morbos benedictionibus, menſurationibus, aliisq; vanis ſuperſtitionibus utuntur, etiam circa mulieres in partu laborantes. Tanta enim, proh dolor! invaluit corruptio, & in neceſſitatibus potiùs recurrant ad vana & ſuperſtitioſa. quàm ad vera auxilia ſpiritualia.

Eſtne peccatum ſimilibus uti remediis?

℟. Eſt ſanè, & poſt monitionem mortale: quia ſpreto Deo ejusq; auxilio, ad diabolum ejusq; miniſtros tales confugiunt.

Dices: Cur erit peccatum, cùm plerumq; adhibeantur ſacra verba, orationes, benedictiones (ſanctiſſima nomina imponantur, etiam peregrinationes, orationes, &c. & plerumq; deſideratum ſortiantur effectum?

Reſp. Hæc eſt graviſſima deceptio diaboli, qui malitiam ſuam ſacrorum verborum velamine ſolet occultare, ſed ſpecie mellis fel ingerit, verbis utitur ſacris, ut rudes faciliùs decipiantur, & in errore contineantur: ſi enim mera verba, aut ſigna peregrina, aut mala adhiberet, faciliùs fraus ejus & malitia detegerentur. Quod etiam optatam per remedia conſequaris ſanitatem, in majorem tuam cedit damnationem, quam ſolùm intendit dæmon. Præſtaret ergo cum quodam, cùm ſimilia remedia in morbo le-

 thali

thali parabantur: *Malo mori cum Deo sine tali medico, quàm vivere sine Deo, medico diabolo.* Hæc est Christiana vox. Esto demum desideratum sortiaris effectum, ac à morbo expediaris, gravius infortunium postea Deo sic disponente plerumq; patieris, ut experientia compertum est. Mira ergo stoliditas hominum his superstitionibus credentium, quasi Deus vetulis quibusdam deliris, hominibus ignaris, vel etiam plerumque corruptis moribus (qui sæpè totâ vitâ Veneri, vel aliis vitiis, si diligentiùs inquiras, dediti fuerunt) potestatem largitus fuerit, quam Sanctis suis non dederit. Clamandum itaq; frequenter Pastoribus & Prædicatoribus contra hos abusus, qui adhuc hoc tempore in animis superstitiosorum hominum, & plerumq; vetularum, ita adhærent, ut post multas monitiones vix extirpes. Quod autem per superstitiosas istas benedictiones, & alia hujusmodi remedia diabolus cooperetur, & effectus varios producat, multis patet exemplis.

Exemplum refert Abbas Spanheimensis apud Majolum tom. 2. Canic. de sagis, de subulco quodam, qui in baculo suo pastorali schedulam nomine Beati Blasii inscriptam habebat, cujus baculi vi porcos suos ab omni luporum rabie tutos credebat, etiam se absente. Quodam verò tempore cùm gregis pastor abesset, quidam juxta gregem ejus transiens, dæmonem porcos illos custodientem vidit pastore absente; qui interrogatus quid illic ageret, qui hominum saluti insidiaretur? Porcos, inquit, *custodio. Et cujus jussu? inquit alter. Dæmon verò:*

verò: Stultæ pastoris confidentiæ, schedulam enim quandam baculo suo inclusit, cui divinam adscribit virtutem vel inde, quòd Beato Blasio est inscripta, eamq́ ad porcorum custodiam valere existimat, contra legem suam mihi falsa superstitione credens. Ego itaque, cùm Blasius ille sæpiùs multumq́ vocatus non comparuisset, me interim S. Blasii loco huc ad custodiendum contuli, ut stultum hominem in sua vana confidentia retinerem, eoq́ tandem perducerem, ut schedulam hanc Deo aliquando præferret. Vide Fabrum in Festo Epiphaniæ.

Refert Godschalcus in 1. Præcept. Decalogi, *Mulierem quandam gravi oculorum dolore laborantem, cùm jam multa, sed frustrà tentâsset remedia naturalia, adiisse quendam Studiosum, qui dicebatur scire scripturam quandam, aut habere schedulam, quæ remedium foret contra talem dolorem. Promittit ergo mulier Studioso novam vestem, si ab illo sanari possit. Ille asserens se remedium nosse, dat schedulam panniculis involutam tali conditione, ut continuò illam secum deferret, nec eam per se, vel per alium inspiceret. Mulier huic nixa fidei sanitatem recuperat; & cùm quædam mulier simili laboraret morbo, eandem ei schedulam eâdem conditione tradit, quæ etiam sanitatem per hoc est assecuta. Tandem cùm miraretur hunc effectum sanitatis, chartulam illam inspexerunt, & invenerunt in ea scriptum: Diabolus eruat tibi oculos, & luto obstruat foramina. Confusæ ergo mulieres hâc scripturâ accesserunt Parochum, & rem totam ei indicârunt, cujus consilio condignæ pœnitentiæ se subjecerunt, & illos oculos lacrymis rigârunt, quos non tam fides, quàm per-*

fidia illustrârat. Felisius in 1. Præcept. Decal. & Marchantius Hort. Past tract. 3. lect. 2.

Alius quidam illiteratus nimis credulus à sodali quodam suo tanquam rem mysticam acceperat schedulam, quæ vi inscriptionis omnes seras & claustra posset dissolvere & aperire, & ita ista firma fide seris schedulam applicans stat in illas reserabat. Cùm autem ipse cuidam Sacerdoti rem aperuisset, laudabat miram, & efficacem, divinamq; verborum chartæ suæ potentiam, imò & eo præsente quascunq; voluit applicata charta seras dissolvit. Videns id Sacerdos petit schedulam, & displicatam legit, & in ea scriptum reperit: Joannes est malus nequam, *nihil plus, nihil minus, nihil aliter. Unde gravissimis verbis juvenem est insectatus, monens ut execrandam artem jam nunc edoctus abhorreret, nisi erroris sui brevi supplicia pendere vellet. Ad hæc juvenis de verborum istorum virtute cœpit vacillari, hæsitabundus tamen experiri voluit, utrumne vel adhuc sicut aliàs claustra posset dissolvere; dum ergo vacillans applicat, nihil effectûs sequi videt. Unde indignatus maledictam schedam igni tradit.* Marchantius ibidem.

Demum graviter monendi & reprehendendi sunt, qui secum portant schedulam, ut sint immunes à vulnere, ab igne, ab aqua, à mala morte, &c. hos gravissimè decipit dæmon: licet enim quandoq; eos protegat, tamen demum eos suo auxilio destituit, & ex vulnere inopinato morientes, & multis sceleribus iniquinatos secum ad inferos abducit, ut quotidiana patet experientia.

LECTIO

LECTIO XLII.

Qui præterea peccant contra hoc præceptum?

℟. PRimò peccant, qui recurrunt ad magos & ariolos, dum rem quandam perdiderunt: estq; gravissimum peccatum mortale, & seriò à Deo prohibitum: (a) *Animæ quæ declinaverit ad magos & ariolos, interficiam illam.* Peccant deinde, qui erroneos & vagos homines, quos Ægyptios vocamus, consulunt de rebus futuris, & fortuna, & si fiat animo illis credendi, quasi ipsi ex corporis lineamentis hæc possint cognoscere, est peccatum mortale, ut Navarrus, & alii Doctores asserunt. Ratio, quia cùm prædicti hæc non norint nisi ex pacto diabolico, & suggestione, huic pacto communicant illos consulentes. Peccant tertiò legentes & consulentes libros magicos, aut eos, qui sub titulo magiæ naturalis in veram magiam degenerant, & multa docent, quæ non nisi virtute dæmonis fiunt, quos tenentur comburere, vel comburendos tradere, si beneficium absolutionis volunt obtinere; quia manifesto periculo magiæ se exponunt. Cujus rei tragicum refert exemplum ex Francisco Rosset Pædagogus Christ. c. 7. §. 3. de luxur. hisce verbis: *Sacerdos quidam Ludovicus Goffredi Massiliensis inter patrui vitâ functi libros, unum, qui de re magica erat, repertum curiosius primùm lectitare, deinde etiam certa formula dæmonem evocare ausus erat. Nil moratus infernalis*

(a) Exod. 28.

nalis prædo, in Angelum lucis, ne ille terreretur, transfiguratus coram eo adest, jactatq; se super aërem, terramque, maria omnia, & tartara præpositum esse summa cum potestate Principem, si quid vellet præsto esse, ut postulata faceret, si modò beneficiũ aliquo obsequio gratus agnosceret. Sacerdos inferni metum prætendere, eo sublatus futurus in ejus servitio. Dæmon contra pellere timorem, neq; se ad inferos damnatum persuadere, neque illum olim post mortem, si obediret, damnandum, sed dominaturum secum. Expugnatus ferè Presbyter diem expostulat, ut deliberare possit, nec diutius deliberavit infelix. Utrimq; pacti conditiones petuntur, ponunturque. Sacerdos postulat 1. Ab omnibus honorari. 2. In tali honore triginta quatuor annos vegetam & constantem valetudinem. 3. Cujuscunque, seu mulieris, seu puellæ, pro libidine sua facilem inclinatumq; ad turpes voluptates animum. Hæc si daret, abs se vicissim tria, animam, corpus, actionesq; omnes in ipsius fore potestate. Annuit ad omnia dæmon: pactum sancitur, datur Sacerdotis sanguine signata firmataque syngrapha, in qua statim veteratoriam suam artem exercuit fraudulentus nundinator, dum hoc agit, ut ille, nescio quo oculorum an mentis caligine, pro triginta quatuor annis, de quibus convenerat, quatuordecim tantùm poneret. His igitur ita peractis, miserandus Presbyter magistri sui diaboli ministerio, & arte primum virtutis simulatione magni esse apud omnes, à plurimis, præsertim mulieribus & puellis, qui sanctitatis opinione ad peccata ritè expianda ad se pellexerat adamari, passim tanquam hominem de cœlo lapsum celebrari. Tum verò rem suam agere, & laxatis habenis

in

in adulteria, stupra, sacrilegia ferri audacissimè. Quin & brevi omnium per Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam, Turciam, magorum factus antesignanus, fanda infandaq; audere, nocturnis lymphatarum, inauspicatisq; conventiculis adesse, & præesse. Hirco infernali sæpiùs litare Sacrosanctum Christi Servatoris nostri Corpus, aut pedibus conculcare, aut canibus edendum abjicere; Sanguinem verò malè ominatæ strigum turbæ clamanti : Sanguis ejus super nos, &c. *aspergere. Sæpè ausum esse innocentum puerorum carne vesci, scelerisq; tam immanis, ac inauditi nihil esse, quo se non polluerit. Donec tandem ab ipsomet dæmone ex ore puellæ ab eo possessæ (quam non plus decem annis natam incesto amore constupraret) loquente accusatus, captusq; Aquis in Provincia, ac deniq; vivus in rogum injectus obstinato in malum animo ex igne temporaneo ad æternum migravit scelestus circiter annum* 1618.

Quartò peccant gravissimè contra hoc peccatum sagæ & venefici, qui totos se dæmoni voveat, & ejus ministri sunt ad multa crimina & abominationes patrandas, qui abnegato Deo, baptismo, & fide, diabolum loco Dei accipientes honorant & adorant, digni morte ob apostasiam, idololatriam, nefandos concubitus. Difficilè autem convertuntur, quia promittunt dæmoni, se nunquam confessionem integram facturas, licet ad pœnitentiæ Sacramentum quandoq; accedant, & ideò multiplici eas vinculo dæmon obstrictas, ut plurimum impœnitentes secum ad ignem devehit æternum.

Exemplum habes apud Olaum Magnum Upsalen-

sem Archiepiscopum. Mulier quædam apud Berthe-liam Angliæ villam auguratrix & venefica cùm quo-dam die convivaretur, cornicula, quam habebat in de-liciis, vocaliùs solitò nescio quid cornicata est. Quo au-dito cultellus ei de manu excidit, vultus expalluit, & ingemiscens dixit: Hodie ad ultimum sulcum per-venit aratrum meum, hodie accipiam grave in-commodum. *Adhuc ea loquente, venit nuncius di-cens:* Hodie filius, & tota familia subitâ morte interiit. *Quo audito tota conterrita decubuit, & vo-cari præcepit superstites liberos duos Monachum & Monacham, quibus ait:* Ego miserabili fato dæ-moniacis semper artibus servivi, ego omnium malorum mihi causam sperabam in Religione vestra, nunc desperavi: scio me dæmones habi-turam exactores in pœna, quos habui suasores in culpa. Rogo tamen vos per materna viscera, ut mea attentetis alleviare tormenta; nam de ani-ma sententiam damnationis non revocabitis. Corpus ergo meum insuite in corio cervino, & includite in lapideo sarcophago, & operculum ferro & plumbo constringite, & lapidem ipsum tribus magnis catenis circumdate. Si tribus no-ctibus ita securè jacuero, quartâ die infodietis me in humo, quanquam verear ne terra nolit me recipere pro maleficiis meis. Psalminices quin-quaginta sint noctibus, & Missæ cantentur pro me tot diebus. *Factum est igitur ut præceperat, & nihil valuit. Primis enim duabus noctibus cùm Chori Clericorum Psalmos canerent circa corpus, singuli dæ-mones ostium Ecclesiæ immani obice clausum levi negotio*

cun-

constringentes duas extremas catenas diruperunt, media verò operosius elaborata illibata duravit. Tertiâ nocte circa galli cantum strepitu advenientium hostium Monasterium visum est à fundamentis moveri: unus nempe vultu cæteris terribilior, & staturâ celsior, januas majori vi concussas in fragmenta dejecit, & arroganti gestu accessit ad sarcophagum, inclamatoq́; nomine ut surgeret, imperavit. Quæ respondit non posse præ vinculis. Solveris, *inquit,* & malo tuo, *statimque catenam, quæ cæterorum ferociam superaverat, nullo conamine ut stupam disrupit, operculumq́; tumbæ pede depulit, & apprehensâ manu palam ab Ecclesia extraxit ad fores, ubi paratus erat equus niger superbè hinniens uncis ferreis per totum prætuberantibus, super quem misera illa mulier imposita ab oculis omnium cum suis disparuit. Audiebantur tamen clamores per quatuor ferè milliaria miserabiles suppetias deprecantis.* Olaus Magnus lib. 3. histor. de Gentib. c. 20.

LECTIO XLIII.

De ligaturis, & amatoriis maleficiis

Quinam præterea peccant contra hoc præceptum?

℟. QUi arte diabolicâ, & maleficio amatorio utuntur, ut personam aliquam in sui carnalem amorem pertrahant. Quod abominabile crimen est, per quod tales se æternæ damnationi obnoxios reddunt, & licet concupitum sortiantur effectum, infausta tamen post-

poſtmodum juſto Dei judicio ſæpè redduntur matrimonia, dum amor iſte meritricius in odium & inimicitias convertitur. Aliqui etiam, antequam votis fruerentur, infelici morte mulctati ſunt. Audi exemplum, quod hac de re apud Petrum Tyræum de locis infeſtis p. 2. cap. 19. habetur: *Anno 1260. Studioſus quidam miſerè deperibat puellam. Cùm aliter eâ non poſſet frui, conatus id eſt per aliquem maleficum datâ pecuniâ. Ille ſe cum adoleſcente circulo includens ſeverè imperat, ne eundem egrediatur. Tunc ad conjurationes ſe convertens, varia phantaſmata offert adoleſcenti; inter cætera etiam imaginem & formam ipſius puellæ. Ille libidine victus immemor præcepti extendit manum quaſi illam apprehenſurus, ſed maximo ſuo malo: ſiquidem parieti illiſus à ſpiritu nequam miſeram exhalavit animam.*

Debentne neceſſariò conſentire, quibus philtrum datum eſt?

Reſp. Licet diabolus hâc in re multum poſſit permiſſione divina, immittendo varias illuſiones & phantaſmata perſonæ, quam vult inflammare, ſenſus interiores & exteriores ejus commovendo variis & occultis modis: non poteſt tamen cogere voluntatem. Hinc fit, ut initiò perſona poſſit reſiſtere, & confugere ad auxilium opportunum, ut dæmonis poteſtatem elidat, vel ſaltem conſenſum & peccatum vitet.

Quæ ſunt iſta auxilia?

Reſp. 1. Frequens confeſſio & communio. 2. Mortificatio carnis, & jejunium. 3. Uſus rerum bene-

benedictarum. 4. Signum Crucis viva fide cordi impressum. 5. Fervens oratio ad Deum & Deiparam, quemadmodum B. Justina vicit Cyprianum magum, & omnes magicæ artis machinationes. Tandem Exorcismi ab Ecclesia Catholica recepti.

Possuntne converti aut salvari magiæ dediti, aut qui abnegato Deo se dæmoni devoverunt?

℟. Perniciosus est error inter vulgus, tales non posse converti, minus salvari, qui semel Deo & Sanctis abjuratis dæmoni se obligarunt, adeoque pluribus causa damnationis æternæ. Corrigendus itaq; error iste, quia contrarius S. Scripturæ, quæ quodvis peccatum, quantumvis grave, posse remitti affirmat; nec ullum est vinculum adeo forte, quo se homo dæmoni possit obligare; nullum fœdus adeo firmum cum Dei hoste, quin possit sanguis Agni illud dissolvere per pœnitentiæ remedium applicatus, licet propria scriptura proprio cruore obsignata se quis dæmoni devoverit, tamen valet illud Christus obliterare, & (a) *chirographum decreti, quod adversum nos est, delendo, illud cruci affigere.* Quisquis ergo talis est, verè pœniteat, fideliter & cum dolore, ac firmo emendationis proposito in sacro pœnitentiæ tribunali peccata deponat, invocet pœnitentiæ lamentis, & cordis contriti valido clamore divinam opem, recurrat ad sinum Matris communis Mariæ, & procul dubio auxilium & spem salutis reperiet. Hoc multa exempla docent, unum ex Tursellino subjicio: *Adolescens quidam*

(a) *Col.* 2.

chiro-

chirographo suo fidem & animam dæmoni obstrinxerat, si ejus ope posset potiri congressu mulieris, quam perditè amabat. Postea verò pœnitentiâ ductus Lauretum venit, confessus est, & ad omnem pœnitentiam paratum se exhibet, si modò spes foret salutis. Itaque Sacerdos monet, ut per triduum jejunio, cilicio, & disciplina corpus affligat, B. Virginis opem implorans, polliceturq́; se eodem triduo sacrificium oblaturum. Triduo exacto Sacerdos optimum ratus est ante absolutionem chirographum à dæmone extorqueri ne quid omnino juris in illum haberet. Monet ergo, ut Virginis sacellum sacratissimum ingressus, precibus & lacrymis Virginem fatiget, donec chirographum à dæmone recipiat. Morem gerit ille suæ salutis avidus, speratque forti fiduciâ se id posse impetrare. Ergo prostrato cum lacrymis corpore ante Deiparam obnixè id precatur, versiculos illos ex animo iterabat: Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus. *Et ecce subito chirographum in manus suas delapsum conspicit. Itaq́; vix sibimet ex inopinato gaudio credens, cum fletu gratias enixè agit Virgini. Inde sacello egressus lætitiâ exultans Sacerdotem adit, scriptum ostendit receptum Virginis beneficio. Illud verò erat tot tantisq́; in Christum, & in illum qui scripserat, diris & execrationibus refertum, ut facilè appareret, ab illo Dei & hominum hoste dictatum.* Horat. Tursell. lib. 4. hist. Lauret.

Huic non absimile habes suprà in Salut. Angelica Lect. 34. de Theophilo Adanensis Ecclesiæ Oeconomo. Item vide exemplum admodum ad hanc rem conveniens in vita S. Basilii apud Surium 1. Januarii.

Qui prætereà peccant contra primum præceptum?

℞. Peccant gravissimè, qui maleficis ligaturis utuntur, quibus Sacramenti Matrimonii usus impeditur, quod proh dolor! pluribus in locis inter lubricam juventutem est frequentissimum. Interim certum est, hasce ligaturas arte malefica factas esse ob ominabilia scelera, licet quidam parvi eas videantur æstimare, plurima enim in illis peccata involvuntur. Primò est conventio tacita, vel expressa cum dæmone, & sic opus diaboli operantur. Secundò, violant legem naturæ, quatenus humanam generationem impediunt. Tertiò, habet hoc opus affinitatem cum homicidio, dum productionem impedit creaturæ. Quartò, amorem impediunt conjugalem, qui debet esse in Sacramento, & Matrimonii vinculo. Quintò, frequenter ponunt odium inter conjuges & divortium, per quod sunt causa damnationis eorum. Sextò, dant occasionem adulterandi cum aliis. Deniq; per hæc maleficia causa sunt frequenter morbi, & periculi mortis in maleficiatis. Tandem causa sunt frequenter diffidiorum inter innocentes, dum in hos vel illos culpa rejicitur. Unde graves rixæ oriuntur. Hæc cæteraq; mala inde provenientia conveniret lubricæ juventuti graviter quandoq; proponere, ut hisce maleficiis dedita resipiscat, eaque abjuret.

Quæ sunt remedia contra maleficia?

℞. Sunt eadem, quæ suprà contra maleficia amatoria allegata sunt; præcipuum verò est integra

tegra ac dolorosa confessio peccatorum; cùm enim sæpè ob peccata permittitur diabolo potestas in hominem, iis deletis illa quoq; evanescit; iis autem remanentibus, frustrà alia remedia adhibentur. Itaq; qui maleficiis infestantur, sive in se, sive in rebus suis, exhortandi sunt ante omnia ad accuratam peccatorum confessionem, & vitæ emendationem. Neqnaquam verò recurrendum est ad ariolos & magos; sed ad remedia spiritualia, quibus ad abigendos dæmones, eorumq; machinationes destruendas, morbosq; pellendos virtute divina à Christo communicata, abundat sancta Mater Ecclesia.

LECTIO XLIV.

De Aqua Benedicta.

Remedia spiritualia contra morbos, & dæmonis machinationes.

Quæ sunt potiora remedia contra hujuscemodi mala?

Resp. INter cætera, quæ ad eluendas dæmonum molitiones, magicasq; incantationes dissolvendas, aliaq; mala depellenda plurimùm valent, principalem ferè locum obtinet aqua lustralis, quæ solemni ritu in Ecclesia Catholica benedicitur. Magna siquidem hujusmodi aquæ vis est indita à Deo per Ecclesiæ preces super ea ritè proferri solitas, longo, ut sentit Basilius, (a) ad nos usq; propagato usu. Cujus etiam

(a) *l. de Spiritu S. c. 27.*

etiam benedicendi methodum habet S. Clemens (b) in Constitutionibus suis Apostolicis. Et Alexander Papa I. post Petrum Pontifex quartus hisce verbis: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut eâ aspersi sanctificentur & purificentur. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat, & mundabat, multò magis aqua sale aspersa, divinisq; precibus sacrata populum sanctificat & mundat, Et si sale asperso per Elizeum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quantò magis divinis precibus sacratus sterilitatem aufert, & coinquinatos sanctificat, mundatque, & cætera bona multiplicat, insidias diaboli avertit, & à phantasmatis versutiis hominem avertit. Nam si tactu fimbriæ Salvatoris sanatos infirmos non dubitamus, quantò magis virtute sacrorum verborum ejus elementa sacrantur, quibus sanitatem corporis & animæ humanæ percipit fragilitas.* Hæc ille. Ita etiam in aquæ istius lustratione Deum orat S. Mater Ecclesia, illi ut virtutem in-„ fundat ad abigendos dæmones morbosq; pel-„ lendos, & quicquid in domibus, vel in locis „ fidelium hæc unda resperserit, careat omni „ immunditiâ, liberetur à noxa: non illic resi-„ deat spiritus pestilens, non aura corrumpens; „ discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si „ quid est, quod incolumitati inhabitantium in-„ videt, aut quieti, aspersione hujus aquæ effu-„ giat. Sic ergo habes, quod frequenter asper-„ sus, in infinitis hujus vitæ periculis, in perpetuis semper vigilantium dæmonum insidiis tutus nihil metuas: habes & contra morbos, aliaque

(b) *l. 7. c. 45.*

mala antidotum singulare, ut ex subjectis historiis patet.

Aqua lustrali S. Hilarion magicas aurigæ cujusdam molitiones elisit. Hieron. in ejus vita.

S. Marcellus Apameæ Episcopus dæmones, ne idolorum templum igne perderent, impedientes terruit fugavitque. Ex Theodoreto hist. l. 5. c. 21. Catech. hist. c. 6. tit. 20. exempl. 16.

S. Macharius diabolicas & magicas artes sustulit virtute aquæ lustralis. Pallad. in Lausia. cap. 8.

Calvinista quidam doluit vehementer apud unum è Patribus Societatis, quòd in suo districtu (erat enim custos cujusdam arcis in Livonia Provincia) lupos amplius capere non poterat, ut solebat, causans foveas, quæ in eorum captura fiunt, fuisse à rusticis incantationibus præpeditas. Respondit Pater, habere se lustralem seu benedictam aquam, quâ cum illa loca aspersurum se dicebat, ut incantationes illæ dissolverentur. Risit tum Calvinista (ut solent hæretici) subdens; Ego si præcantationes hujusmodi aquâ lustrali dissolutas viderem, luposque propterea capi, crederem profectò divinam esse rem hujusmodi aquam. Erat item in quodam ejus fundo domus vicina cuidam lacui, quæ ita erat dæmonum vexationibus exposita, ut nullus omninò illam posset inhabitare, & proptereà ruïnosa esset effecta. Igitur memoratus Sacerdos benedixit de more aquam, foveasque illas conspersit, & confestim lupi aliqui capti sunt. Cùm deinde in eodem fundo sanctum Missæ sacrificium celebrâsset, multis eò convenientibus hominibus, ad domum illam sacro de more processit, domumque sacris exorcismis, & aquâ bene-

benedictâ lustravit, totamque deinde viciniam, affixitque in cacumine præcelsi montis magnam crucem; unde factum est, ut domus viciniaque tota prorsus libera à dæmonum infestatione remanerent, ac manifestiùs eluxit, quantum dæmones aquam benedictam perhorrescant. Ex Anton. Pessev. Catechism. hist. c. 4. tit. 20. exempl. 10.

Sub annum Christi 1669. *Lemonici in Aquitania pistori cuidam res familiaris ex pistrino feliciter & pro voto gerebatur. id non ferens invida anus rationes iniit, quibus tam latum fortunæ cursum remoraretur. Erat ea ut annis expleta, ita stygiis artibus & veneficiis potens: his decernit lætas vicini res incidere. Ergo nacta quâdam die in pistrinum habendi opportunitatem, magicis carminibus furnum, mactram, & quicquid subactæ in ea farinæ, incantat venefica. Viderant fortè aliqui è domo vetulam furtivè se in pistrinum insinuantem, quid factura esset, clam observant: sed cùm sinistri nihil suspicati, aliud non vident audiuntve, quàm quasdam gesticulationes & voces peregrinas ac barbaras, cum risu cachinnisque ex insidiis accurrunt, & explodunt abeuntem, ac inde ad opus suum reversi, omnia in sequentem diem accurant. Adfuit igitur cum suis summo mane pistor sua pro more acturus; Verùm subactam in mactra farinæ massam putentem, vitiatamque deprehendit. Id cùm bono viro iterum atque iterum accidisset, brevique ad incitas redactus, contractum æs grande assolvere non posset, erat & domo, & foro vagus abiturus, nisi quodam Societatis Jesu Sacerdote, cui consilia sua tristis aperuerat, authore præsens cala-*

calamitati suæ remediũ invenisset. Jusserat nimirum Sacerdos primum cum tota familia conscientiam pœnitentiæ Sacramento ritè expurgaret, eamq; deinceps legem domi suæ menstruam esse vellet. Deinde singulis in domo sacræ ceræ (vulgus Agnos Dei vocat) particulam è collo gestandam tribuerat, addideratq; lagunculam lustrali plenam aquâ, qua subactam farinæ massam pinsiturus aspergeret. Aspersit, & mirum dictu, mox inde teterrimus, putidissimusq; ex massa vapor exhalatur, & pistor panico terrore correptus omnibus artubus contremiscit, brevi tamen crucis signo munitus ad se rediit, & massam innoxiam reperit, ex quâ boni solidiq; panes extiterunt. Id cùm pari successu bonus vir toto anno fecisset, ac tandem seu negligentiâ quâdam seu oblivione pium aspergendæ aquæ morem omisisset, rediit quoq; maleficium, & ita rursus triticeam massam infecit, ut fœdo colore odoreq; horribilis ipsos canes, ne dicam homines arceret. Exercuit pistorem ea res mensem unum, quando iterum ad superiora remedia memor confugit, & sacras undas aspergit; quod dum facit, tanto iterum percellitur horrore, ut exanimato similis ex pistrino sit ad cubile deferendus: sed mox tamen confirmato animo perstitit innoxius, massamq; habuit deinceps & panes minimè vitiatos. Pædagogus Christianus p. 2. cap. 6.

Appropinquanti Theodoro Sicæcorum Archimandritæ ad Sanctissimæ Dei Genitricis monasterium, obviam venit illi S. Theodorus Dux regius, & domũ suam ad partes superiores sitam duxit virum sanctũ, ut eam à magna dæmonum vexatione liberaret; homines enim & animalia rationis expertia ab immun-

dis spiritibus vexabantur; & cùm domestici prande-rent aut cœnarent, lapides super mensas jaciebantur, ex quo magnus omnes terror invadebat, & mulierum telæ rumpebantur, & tanta murium & serpentum multitudo domum occupabat, ut præ formidine nemo in eam ingredi auderet. Domum igitur Dei servus ingressus, totâ nocte psallendo & Deum obsecrando traduxit, & aquâ, cui benedixerat, totam domum aspergens, eam à spiritibus immundis liberavit. Ex Sim. Metaph. in ejus vita. Catech. hist. cap. 4. tit. 20. exempl. 20.

In monasterio Cluniacensi quidam erat ægrotus in articulo mortis, qui videbat domum totam, seu cubiculum repleri deformibus, rostratisq; personis; quod cùm adverteret unus ex custodibus, cœpit locum aquâ benedictâ aspergere; infirmus autem cœpit statim clamare: Eja, eja, fac quod facis, quia diaboli fugientes contendunt alter post alterum summâ celeritate discedere. Ex Petr. Venerab. l. 1. Mirac. cap. 7. anno 1158. qui fuit coætaneus B. Bernard. Catech. hist. ibid. exempl. 24.

Qualiter verò morbi aliaq; mala virtute aquæ benedictæ depulsa sint, vide in Catech. hist. c. 4. tit. 20. & Marchantio cand. myst. tract. 2. lect. 1.

LECTIO XLV.

De Agno Dei.

Suntne plura remedia contra hujusmodi mala?

Resp. SUnt equidem, quæ inter haud postremum tenet locum Agnus Dei.

Quid est Agnus Dei?

Resp. Nil aliud, quàm cera candida benedicta à Summo Pontifice, eoque solo, & id semel duntaxat in septennio, in cujus consecratione aliquid balsami & chrismatis jungit, oratque Summus Antistes ceris istis vim à Deo tribui, ad avertenda quævis mala.

Cur vocatur Agnus Dei?

℟. Quia Agni Dei, cui Christus comparatur, (quem (a) *Joannes respiciens ambulantem dixit: Ecce Agnus Dei*) gerere solet imaginem, quâ in memoriam nobis reducitur Christi Agni innocentia, mansuetudo, patientia imitanda. Unde illam gestantes debent id facere cum reverentia, & ab omni impuritate peccati (quæ Agni hujus candori repugnat) se servare deberent immunes, maximè ab impudicitiis, & aliis coram Deo fœtentibus & infamibus peccatis.

Quid alba cera, quid balsamum & chrisma designant?

℟. Per virginem hanc ceram Christus designatur purus, & è Virgine ortus, oleo Spiritus Sancti unctus, vivus ipse fons doctrinæ & gratiæ, qui etiam virtutum exemplis odoriferis quasi balsamum aromatizans ad se homines attraxit peccatorum infami fœtore derelicto.

Estne antiquus hujus ceræ benedictæ usus?

Resp. Est sanè antiquissimus; nam teste Baronio (b) ab anno Domini 58. in Ecclesiam Catholicam introductus.

Quam

(a) *Joann. 1.* (b) *Baron. ad annum Christi* 58.

Quam efficaciam habent Agni Dei?

R. Habent contra dæmonum artes & maleficiorum machinationes, contra pestem, tonitrua, fulmina, & cætera mala efficaciam singularem, quam vim à Deo tribui in solemni eorum consecratione postulat Christi Vicarius. Patet etiam ejus vis & efficacia ex subjectis historiis.

Refert Delrio Disquisit. magic. Tom. 1. lib. 2. qu. 12. anno 1599. miram Agni Dei vim & efficaciam verbis sequentibus: *Narravit mihi P. Bernardus Oliverius tum Societatis per Belgium Provincialis prope Samarobrinam anno supra millesimum quingentesimum nonagesimo nono, captam puellam strigatricem, quæ nec pedum ustulationem sævissimam, nec flagra validissima sentiebat: donec Sacerdotis cujusdam monitis Agni Dei benedicti ceream imaginem in collum injecere: tum enim vi sacri amuleti dæmonis præstigiosa ludibria depulsa, & illa vim doloris cœpit persentiscere.*

Anno 1585. Drepani in Sicilia puella quædam cum reliquis ejus domesticis à gravibus iisq; diuturnis cacodæmonis afflictationibus & molestiis, accepta à quodam è Patribus Societatis sacrâ Dei cerâ, & è collo suspensâ liberatur, nequicquam mortem, ni signum istboc puella deponeret, minitante hoste infernali. Catech. hist. cap. 3. tit. 2. Vide ibi ad longum. Ex Delrio Disquisit. Magic. Tom. 3. lib. 6. cap. 2. sect. 3. quæst. 3.

Eodem anno puer octo annorum, quòd aliquoties ab stygio vectore ad infaustos veneficorum cœtus adductus esset, ad Archiepiscopum Trevirensem adductus, Patri-

bus Societatis traditur in rebus fidei erupiendus. Is inter cætera adversus infestum dæmonem præsidia, cùm etiam sacræ ceræ bullam è collo suspendendam accepisset, nocte insequente obtulit se misero stygius prædo, minaciterque increpitum, quòd Jesuitam audisset, coëgit Agnum Dei abjicere, & mox ad inauspicatos avexit strigum choros hircus infernalis. Delrio suprà.

Alius subsequenti anno ætate haud multò majori ad eundem Archipræsulem eadem ex causa adductus retulit illi ab uno veneficorum lethalem potionem mixtam propinatamq; fuisse, quòd vesperi relicta in mensa ceræ sacræ theca decubuisset, actumq; de ejus vitâ fuisse, si capaciori vitro plus aliquanto veneni præbitum esset. Antistes memoria repetens se nocte unâ sine theca fuisse, & proximo mane graviter afflictatum ad dies aliquot ægrotasse, comprobavit non vana & à puero conficta narrari. Deinde ad urbis Præfectum conversus puer: Et tu, *inquit,* mi Domine, non sine periculo fuisti; nam bis tibi à quibusdam veneficis paratum est toxicum, sed ut nihil efficerent, fecit nescio quod sacrum signum, quod tibi è collo dependebat. Idem ibid.

Mulier quædam Ratisbonæ multis nocturnis illusionibus & larvarum visu mirè vexabatur. Rem aperit Catechistæ cuidam Societatis Jesu, ille Agnum benedictum ei dat, monens ut magnam fiduciam concipiat. Excitatâ mulieris magnâ fide, liberata est illa ab his formis noctu occurrentibus. Vulgatâ rei famâ magnâ, passim omniū animos subiit reverentia erga hos Agnos cereos. Cùm verò sacro quodam die Pentecostes idem Catechista de virtute Agnorum consecratorum dissere-

ret,

vet, & assereret puerperam quandam applicatione hujus ceræ liberatam fuisse à diurnis & gravissimis doloribus, facilemq; partum feliciter edidisse, duo Calvinistæ rustici in pagum suum redeuntes, casu illic iter facientes, templum ingressi sunt, & risu rem exceperunt. Sed unus illorum domum suam ingressus, reperit uxorem partûs doloribus oppressam in periculo mortis versari, totâ sequenti nocte durat cruciatus; tentantur remedia, sed frustrà. Rusticus ergo ad mentem rediens cœpit cogitare de dictis à Catechista, & necessitate adactus, dolet se subsannatione rem excepisse, & statuit experiri. Mittit ergo ad Collegium Societatis, & à Catechista curat postulari Agnum consecratum uxori periclitanti. Datur sine morâ, parturienti admovetur, confestim divina sentitur virtus, cessat cruciatus, & filium edit magnâ omnium lætitiâ & admiratione. Rusticus gratias egit, & hæresim, in quâ natus erat, abjuravit. Hortus Pastor. tract. 3. de Agnis Dei.

Quantum contra alia mala valeant Agni consecrati, vide fusiùs Catech. hist. cap. 3. tit. 72. De efficacia signi Crucis contra maleficia vide suprà Lect. 3.

LECTIO XLVI.

Non facies tibi sculptile ut adores illud.

Quid hisce verbis prohibetur?

℟. PRohibentur idola Gentium, quibus se insinuabat dæmon, & per ea responsa dabat,

ideoq; Gentes ea ut Deos adorabant. Hinc quia Deus Iſraëlitas ducturus erat in terram promiſſionis, in quâ habitabant Gentes, quæ adorabant & colebant idola, aut in iis homines impios & mortuos, ut Jovem, Martem, Mercurium, &c. ſolicitè præcepit eis, ne colerent & adorarent idola. Non autem omnia ſculptilia prohibentur, quia Deus ipſe (a) fundi ſerpentem æneum, & (b) Cherubinos in templo & leones fabricari præcepit; ſed tantùm prohibet idola ad cultum divinitatis eis impendendum.

Prohibenturne hîc imagines Christi & Sanctorum?

℟. Non prohibentur, quia non ſunt idola. Eſt enim idolum imago vana & inſtabilis, vel rei quæ non eſt; unde imagines falſorum Deorum vocantur idola, quia ſunt imagines Numinum quæ non ſunt. Non autem ita ſe res habet cum imaginibus Chriſti & Sanctorum, quia ſunt imagines rerum verarum, inſtitutæ ad repræſentandum id, quod illis verè ineſt. Sicut ergo imago Regis idolum dici non poteſt, quia repræſentat id quod eſt; ita &c. Quòd autem hæ imagines non prohibeantur, inde etiam patet, quia Chriſtus ipſe faciei ſuæ imaginem S. Veronicæ linteo impreſſam reliquit, quæ, ut habet antiqua traditio, hactenus Romæ ſervatur, & oſtenditur. Reliquit etiam corporis ſui lineamenta in ſindone, in quâ involutus in ſepulchro jacuit, quæ Taurini aſſervatur. Item Abagaro Regi effigiem ſuam miſiſſe teſtantur Stephanus & Adrianus Pontifices, Damaſcenus, & alii. De quibus Baronius

(a) *Num.* 21. (b) *Exod.* 25. Tom.

Tom. 1. anno Christi 34. Addit Evagrius libr, 4. histor. cap. 27. ob præsentiam hujus imaginis Edessam ab incendio sæpiùs fuisse liberatam.

Suntne honorandæ hæ imagines?

Resp. Quinimò; nam reverentia & honor debitus eis exhibendus est, non tanquam ligno, aut lapidi, sed per ipsas Deo & Sanctis, quos repræsentant.

Suntne adorandæ imagines præsertim eæ, per quas Deus operatur miracula?

Resp. Nequaquam, sed omnis cultus, qui eis tribuitur, referri debet ad prototypum. Hâc de re benè instituendi sunt rudes, ut discant in illis Deum adorare, Sanctosq; honorare, ac pro suis necessitatibus invocare; nullum verò honorem ligno, aut lapidi, auro, metallo, aut alteri materiæ sciant se debere impendere.

Cur imagines ponuntur in templis?

℟. Variis de causis. 1. Ad instructionem rudium legere nescientium: nam teste Gregorio lib. 9. (c) *Quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia etiam in ipsa cernentes vident quod sequi debent, in ipsa legunt qui literas nesciunt.* Hæc ille. Si enim idiota videt imaginem Crucifixi, statim recordatur pretii suæ redemptionis, & sic de cæteris imaginibus Dei & Sanctorum. 2. Ad amorem Dei & Sanctorum excitandum. Ideò imago Crucifixi ponitur in medio templi, ut dum ingredimur, continuò actum fidei, spei, & charitatis eliciamus. 3. Ad imita-

(c) *Epist. 9.*

imitationem Sanctorum: v. g. dum intueor imaginem Martyris, ſubit memoria illius paſſionis, ad quam etiam incitari videor, & ad perſecutiones perferendas, &c. 4. Ad honorem Dei & Sanctorum deſerviunt. Nam & viris inclytis ſtatuæ in publico erigi ſolebant, ut ſic honor eis deferretur, heroicisq; eorum actibus & beneficiorum memoria recoleretur. Ob hanc cauſam mulier illa, quæ ſanguinis fluxu laborabat, imaginem æneam Chriſto erexit præ foribus ſuis in Cæſarea, ad cujus pedes effigies mulieris ſupplicantis efformata erat, & hæc imago ad trecentos amplius annos uſq; ad Juliani tempora integra permanſit. teſte Euſebio lib. 7. qui etiam aſſerit juxta illam imaginem naſci ſolitam herbam, quæ quamprimùm fimbriam illius imaginis Chriſti manum mulieris porrigentis & ſanantis attingebat, ſimilem morbum curare poterat. Hoc ergo miraculo imaginem hanc Deus voluit honorari. Quod verò hæretici dicũt fulmine tactam, mendacium eſt; ſublata enim fuit à Juliano apoſtata, qui ſuam ejus loco poſuit quo facto ignis violentus de cœlo delapſus ſtatuam illam diſſecuit & dejecit, ut refert Sozomenus lib. 5. hiſt. c. 20.

Tandem de imaginibus concludendo rogantur obnixè omnes Curatores animarum, ut diligenter attendant Tridentini Concilii Decretum Seſſ. 25. quo monentur, turpes & procaces imagines, vel vetuſtate detritas, aliaq; ex cauſa deformatas, è templis eliminare: quæ tantum abeſt, ut devotionem excitent, quin potiùs riſum eas con-

considerantibus, & calumniandi occasionem hæreticis & infidelibus præbeant. Certè multis in locis ruralibus multæ conspiciuntur exoculatæ, naso, parteq; faciei detruncatæ, brachiis, & aliis membris carentes, quæ potiùs prophanationem domo Dei quàm decorem conferunt. Considerentur ergo diligenter verba Concilii Sess. 25. & executioni mandentur, ut omnis occasio indecentiæ & calumniæ è domo Dei tollatur.

Prohibeturne cultus sacrarum Reliquiarum?

℞. Non prohibetur, quia Reliquiæ sunt pignora sacra Patronorum, quibus debemus cultum. Nam Deus ipse curam habet sacrarum Reliquiarum: (d) *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Imò corpora Sanctorum aliquorum ita honorat, ut per multa annorum curricula integra permaneant.

Corpus B. Cæciliæ post octingentos annos à Clemente VIII. Pontifice integrum repertũ est.

Corpus S. Huberti adhuc integrum cum capillis & barba in ejus Monasterio cerni dicitur.

Corpus S. Claudii Bizontini Episcopi adhuc adventantibus incorruptum monstratur.

Mirum est quot Sanctorum in Ordine S. Francisci corpora maneant incorrupta. Corpus S. Didaci, corpus S. Catharinæ Bononiensis, cerebrum S. Ludovici Episcopi Tolosani, lingua S. Antonii Paduani, multis post obitum annis inventa sunt incorrupta. Corpus S. Francisci quadringentis amplius annis post mortem sine fulcris stat in-

(d) *Psalm.* 33.

corruptum, & instar orantis manus & oculos in cœlum tendit. Manent incorrupta & aliorum Beatorum corpora, quorum seriem texere nimis longum foret.

Deinde etiam Angeli honorant Reliquias Sanctorum. Nam corpus S. Catharinæ detulerunt in montem Sinai, & cum honore ibidem illud sepelierunt. Angeli corpori S. Clementis sacellum ædificarunt in medio maris, &c.

Quinam abhorrent à Reliquiis?

℞. Dæmones, & eorum instinctu hæretici.

Cur dæmones oderunt Reliquias?

Resp. Quia ad præsentiam Reliquiarum sæpè ejecta sunt è corporibus obsessis.

LECTIO XLVII.

De invocatione Sanctorum.

Estne contra hoc præceptum Sanctos colere & invocare?

℞. NEquaquam: nam Sanctos colere & invocare licet, non ad eum quidem modum, quo jubemur Deum colere & invocare, tanquam Creatorem, Redemptorem, & largitorem bonorum omnium; sed longè inferiori gradu, nimirum veluti dilectissimos Dei amicos, nostrosque apud ipsum Intercessores & Patronos.

Sed scriptum est Deut. 6. v. 13. Dominum Deum adorabis, & illi soli servies: ergo injuria fit Deo, quando invocamus Sanctos.

Resp.

℟. Hæc verba ſic debent intelligi: Non adorabis falſos Deos ſicut Gentiles faciunt; ſed unum Deum, cui ſolo tanquam vero Deo divinum cultum exhibebis. Nos autem dum invocamus Sanctos, non colimus aut adoramus eos tanquam Deos; ſed petimus interceſſionem eorum apud verum Deum: ſicut dum petimus interceſſionem Aulicorum apud Imperatorem, non colimus Aulicos tanquam Imperatores, ſed tanquam amicos & domeſticos Imperatoris.

Nunquid dum invocamus Sanctos, injurii ſumus Deo, & diffidimus de ejus bonitate, quia ſcriptum eſt: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur. Hebr. 4. v. 16.

℟. Nequaquam: ſi enim Apoſtolus Paulus non fuit injurius Deo, nec diffidit de ejus bonitate, quando petebat ſuffragia Romanorum, Epheſiorum, Theſſalonicenſium, Coloſſenſium, Hebræorum adhuc viventium in terra, qui pro ſe etiam tum indigebant miſericordiâ Dei; multò minùs injurii erimus Deo, quando petimus ſuffragia Sanctorum cum Deo regnantium in cœlis, qui jam de ſua immortalitate ac beata æternitate ſecuri, pleni ſunt charitate, gloriâ, poteſtate, ac favore cœleſti.

Sed neſciunt Sancti res noſtras, (ajunt Hæretici) ergo fruſtrà invocantur.

Reſp. Animæ corporibꝰ exutæ ſecundùm naturalem cognitionem (ait S. Thomas 1. p. qu. 89. art. 8.) neſciunt quæ hîc aguntur. Sed Beatis (inquit idem 2. p. qu. 83. art. 4. ad. 2.) ut Gregori-

us dicit in 12. Moral. in Verbo tanquam in speculo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de his, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis; maximè autem eorum excellentiam decet, ut cognoscant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde, & sic petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt.

Si enim multi in hac vita mortali per Dei revelationem cognoverunt cordium secreta, ut patet 1. Reg. 9. v. 19. ubi dicit Samuel ad Saul: *Ego sum videns omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi,* &c. Et 4. Reg. 6. v. 12. dicitur Regi Syriæ: *Elisæus Propheta, qui est in Israël, indicat Regi Israël omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo.* Cur ergo Sancti Deo præsentes per revelationem preces piorum in terris scire non possent? Item Angeli & Sancti in cœlo sciunt pœnitentiam, & cordis conversionem in speciali alicujus peccatoris in terris, ut patet Luc. 15. v. 7. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quomodo gaudebunt de re, quam ignorant? Quâ viâ ergo hoc sciunt, eâdem & preces nostras scire possunt.

Sed unde scimus quòd Sancti orent pro nobis?

Resp. Scimus id ex variis S. Scripturæ locis, pauca sufficiant. Tobiæ 12. v. 12. Angelus Raphaël dicebat Tobiæ: *Quando orabas cum lacrymis, & ego obtuli orationem tuam Domino.* Item 2. Machab. ult. v. 12. Judas refert sibi in visu apparuisse Oniam manus protendentem orare pro omni

popu-

populo Judæorum; & v. 12. apparuisse alium virum, de quo Onias dicit: *Hic est qui multum orat pro populo Jeremias Propheta Dei.* Tertiò, sicut Apocal. 8. de Angelo dicitur, sic cap. 5. v. 8. dicitur de viginti quatuor senioribus: *Ceciderunt coram Agno habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.*

Estne invocatio Sanctorum recens introducta in Ecclesiam?

R/. Minimè gentium, est enim vetustissima, & à SS. Patribus in primitiva Ecclesia usurpata, ut præclarè ac latè ex ipsorum scriptis deducit R. P. Bernardinus Vetweis in præclaro suo Speculo Veræ Ecclesiæ de Invocatione SS. cap. 6. art. 3. & seq. Quot verò, & quanta per Sanctorum invocationem sæpè hominibus beneficia præstita sint, libri Scriptorum sacrorum abundanter testantur, ad quos Lectorem remitto; singulariter videantur Flores Exempl. Daur. c. 3. tit. 44. & seq.

Licetne Sanctis, aut ad loca sancta vota nuncupare?

Resp. Licet omninò; quia tamen votum est promissio facta Deo, dum votum facimus Sanctis, sic accipiendum est: Vovemus DEO nos præstituros, quod Sanctis promittimus.

Suntne hujusmodi vota Deo grata?

Resp. Sunt equidem gratissima, quod innumeris patet exemplis, unicum sufficiat.

Liberio Summo Pontifice Joannes Patricius Romanus & uxor ejus, cùm liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem San-

ctissimæ Virgini Dei Matri voverant, ab eâ summis precibus assiduè petentes, ut in quod pium opus eam pecuniam erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces & vota ex animo facta Beata Virgo Maria benignè audiens miraculo comprobavit: nam Nonis Augusti, quo tempore in urbe maximè calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit, quâ nocte Dei Mater separatim Joannem & conjugem in somnis admonuit, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur, se enim ita velle ab ipsis hæredem institui. Quod Joannes ad Liberium detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit. Quare solemni Sacerdotum & populi supplicatione ad locum venit nive coopertum, & in eo locum Ecclesiæ designavit, quæ Joannis & uxoris pecuniâ exstructa est. Breviarium Rom. 5. Augusti.

Sed nunquid superstitiosum est Sanctis suspendere sustentacula lignea, manus cereas, pedes, oculos, capita, & similia hujusmodi?

Resp. Nequaquam id superstitiosum est, sed Deo cumprimis gratum, hoc enim faciunt 1. ad annunciandum populis mirabilia, quæ operatur Deus per Sanctos suos in sanitatum donis, ut annuncient aliis bonitatem DEI & honorem, quem Sanctis exhibere voluit. 2. Suspenduntur ad jugem accepti beneficii memoriam, veluti etiam gladius Goliath, 1. Reg. 2. & gladius Holophernis, Judith ultimo, servabantur.

Estne istiusmadi antiqvus in Ecclesiâ usus?

℟. Est omninò: patet ex Theodoreto libr. 8

græca

græcarum affectionum circa finem de Martyribus ita loquitur: *Piè verò fideliterq́; precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia: nam alii quidem oculorum, alii verò pedum, alii manuum simulacra suspendunt ex argento auroq́; confecta. Gratissimè namq́; accipit eorum Dominus qualiacunq́; sunt dona, nec exilia nec vilia dedignantur; quippe qui ea præferentis facultate metitur. Hæc itaq́; omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cujus ipsa certissima signa sunt à sanitatem consecutis allata. Hæc, inquam, sepultorum ibi Martyrum, quæ sit virtus, ostendunt.* Hæc ille.

LECTIO XLVIII.

De Peregrinationibus.

Licetne peregrinationes instituere ad loca sacra, & Sanctorum Relequiis celebria?

℟. Licet omninò: sunt enim religionis actus & cultus sacri, Sanctis ipsis Dei amicis & domesticis delati, qui suffragiis suis multa nobis promerentur beneficia spiritualia & corporalia. Vide Concil. Trid. Sess. 8.

Fueruntne antiqui in primitivâ Ecclesiâ ejusdem sensus & doctrinæ?

℟. Ejusdem ipsissimæ: unus sufficiat Eusebius Cæsariensis, qui floruit anno Christi 320. Hic lib. 13. de præparat. Evang. c. 7. sic ait: *Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes ad monumenta quoq́; illorum accedimus,*

mus, votaq́; ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorũ intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.

Item vide Chrysostomum, qui floruit anno Christi 400. Hic Homil. 5. de Jobo ita ait: *Si Ecclesiasticis curis essem vacuus, corpusq́; robustum haberem, nequaquam tantam peregrinationem facere recusarem, quò catenas solùm viderem & carcerem, quo Paulus vinctus &c.*

Lucia virgo Siracusana unà cum matre Eutychia, quæ sanguinis fluxu laborabat, Catanam ad corpus B. Agathæ venit: quæ ad ejus sepulchrum cùm suppliciter orâsset, Agathæ intercessione matri sanitatem impetravit. Breviar. Rom. 13. Decembr.

Sed quæ hujus religionis ratio?

Respondeat summus Ecclesiæ Doctor Augustinus, qui lib. 20. contra Faustum c. 21. sic ait: *Colimus Sanctos, etiam dum loca Deo in honorem eorum dicata visitamus, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exsurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus & in illum, quo adjuvante possumus. Et quia scimus in quibusdam memoriis Sanctorum multa miracula sanitatum per Sanctos suos Dominum operari, quæ aliis locis operari non vult, sicut & Sanctis quibusdam in hoc mundo agentibus curationum dedit ille, qui dividit dona sua prout vult.*

Dices: Multi committuntur abusus in peregrinationibus à multis ad corporis duntaxat recreationes, & perditissimi luxus occasiones.

℟. Id non inficior, sed ideò non debent peregrinationes improbari; quid enim tam sanctum est, quod diabolus salutis humanæ inimi-

cus pervertere non conetur? Hinc communi fertur adagio: *Ubi Deus ædificavit Ecclesiam, diabolus sibi vendicat sacellum.* Unde S. August. l. 20. contra Faust. c. 20. & Ambros. lib. de Elia & Jejunio, invehunt in eos, qui ad Martyrum memorias convenienter genio indulgebant, & dissolutè vivebant. Maneat igitur usus, & caveantur abusus.

Quomodo ergo peregrinationes instituendæ, ut sint Deo gratæ?

℟. 1. Si in die Festo vel Dominico peregrinationem institueris, quod non ita decet, cave ne ob eam rem Missæ non audiendæ periculo te exponas; priùs enim præcepta adimplenda sunt, dein quod est supererogatorium. 2. Adjungas te consortio bono; absurdum enim est, quod frequenter usuvenire solet, ut adolescentes cum adolescentulis adjungantur. 3. Non misceantur vani sermones in viis, sed potiùs colloquiis piis, & etiam legendis rosariis tempus & labor itineris fallantur. 4. In hospitiis, si quæ necessitas inciderit potus cibiq; sumendi, abstineatur à commessationibus & ebrietatibus, frivolisque & inanibus recreationibus. 5. In peregrinationis loco, si res ferat, consultum est, ut peccata sua peregrini sacrâ confessione expient, & sacrâ Communione sese reficiant, nec non candelas & pecuniarias eleemosynas offerant: quæ omnia eo animo adimplenda sunt, ut à Deo per Sanctorũ merita & suffragia, corporalia & spiritualia bona referantur. Alioquin audebo dicere cum S. Hie-

Hieronymo Epist. ad Paul. *Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est.*

LECTIO XLIX.

PRÆCEPTUM II.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Quid hoc præcepto vetatur?

Resp. VEtatur inprimis falsum juramentum, estque peccatum mortale.

Quid est jurare?

Resp. Est veritatis dictorum testem Deum invocare, sive expresse divinam ejus Majestatem pronuntiando, sive creaturam quampiam quatenus divinitatis splendor in eâ elucescit.

Estne unquam licitum juramentum?

Resp. Est quandoque, tribus tamen servatis conditionibus.

I. Conditio est *Veritas*, ut quod juratur sit verum. Tunc autem deest veritas, cùm asseritur aliquid falsi, aut quando quis juramento aliquid promittit sine animo adimplendi: hoc enim est jurare in dolo; de qua re loquens Psaltes insinuat illos non habere locum in regno Dei: *Qui jurant in dolo proximo suo.* (a) Unde his modis jurans grave peccatum mortale committit, & perjurii reus est. Perjurium autem meritò inter peccata gravissima multis de causis recensetur, quia est injuria contra Deum, proximum & contra se ipsum,

(a) *Psalm.* 14.

ipsum, & hoc ipsum peccatum sæpè gravissimè à Deo punitum est, ut ex sequentibus patet exemplis.

Anno 1599. *quidam Antonius de Hack redemptor vectigalium in jurisdictione Gerardi Montensi in Flandria diversatus est ibi in hospitio, cui nomen est* Navis aurea, *ut cum sibi associatis computaret. Exorta est quæstio de summâ aliquâ, quæ dicebatur ei persoluta, ipse verò cum juramento negavit dicens: se ab igne tum in cubiculo ardente velle absumi si ita sit. Illi verò urgentes, cùm scirent à viris probis, ipsum talem summam recepisse, detulerunt ei jusjurandum vocatis Scabinis, quod quidem nullâ habitâ ratione salutis præstitit. Vespere autem facto, cæteris discedentibus remanet Antonius ut ibidem decumberet, ab hospite derelictus est solus, jam penè fasce consumpto instante noctis horâ undecimâ nocturnus vigil illuc transiens advertit insolitum lumen, pertransit tamen existimans esse peregrinos, qui religionis gratiâ ad S. Audomari corpus accederent. Paulò post iterum redit, & nihil ampliùs splendoris advertit. Illâ ipsâ herâ soror Antonii operabatur adhuc, & linum collo ad nendum aptat, (in pago Roullart distante quadrante milliari) & subitò flamma proruit in instrumentum, ex quo suspenduntur ollæ, indeq; in stupam. Ipsa attonita tentat aquâ extinguere, & vix sufficiebat. Eâdem nocte Pastor Antonii ex horribili canis cujusdam circa cubiculi ostium latratu & ejulatu totus perterritus fuit. Posterâ die soror tota tristis mittit maritum ad Antonium Gerardimontes, quò veniens Antonium adhuc ut putabat decumbentem per horam expectat. Posteà cœpit diu fores pulsa-*

pulsare, sed frustrà. Jubet ergo ab hospite reserari; & eum cum vestibus exustum invenerunt, præter tibialia, fasceŝq; crurales, quæ omnia illæsa remanserant cum inferiori tibiarum parte, quæ fasciis adstringebatur. Cranium ipsum capitis simile videbatur cranio alterius hominis, sed attactum statim resolutum est in cineres. Cujus rei fama cùm ad aures Alberti & Isabellæ Principum pervenisset, miserunt Gerardimontes, ut totam rem per specialiter à se destinatos perscrutarentur, & publico testimonio res nota fieret, & ita ut narratum est, compererunt. Ex autograph. Gallico Marchant.

Olim non diu à morte S. Audomari civis quidam Audomarensis ab alio mutuas acceperat pecunias, jurejurando pollicitus se illas constitutâ die redditurum; cùm ergo pecuniarum reddendarum dies juxta condictũ illuxisset, negavit perfidus debitor abs se quicquam pecuniæ visum, additâq; se hoc ipsum, si alter velit, super corpus S. Audomari solemni juramento confirmaturũ. Jam pergebat ad Sancti sepulchrum cum creditore suo impius, & templo proximi erant; quando creditor: Ne quæso, mi homo, Sancti sepulchrum propiùs prophanemus, hic jura, nullam à me tibi pecuniam numeratam, & satis dederis. Ille mox converso ad templum vultu sublatâ manu dejuraturus, nondum prolatâ voce humi corruit, rotansq; flammantes oculos omnibus corporis membris captus post tertium diem expiravit. Ex Surio in vitâ S. Audomari 26. Septembr. Pædagogus Christ. cap. 1. §. 1.

In Germania miles quidam in publico hospitio æger decubuerat, magnamq; pecuniæ vim hospiti dederat interim asservandam: quam dum sanitati redditus miles

les repeteret, & hospes eam se negasset accepisse, idq́; coram Magistratu ita negaret, ut caput suum dæmoni devotum vellet, ni ita, uti diceret, res se haberet: quod jusjurandum repetentem dæmon, qui aspectabili formâ militis patrocinium susceperat, & pro illo coram Magistratu agebat, perjurio convictum hospitem eò abduxit, unde nunquam rediit, (b) *nullique deinceps visus est. Ex quo tandem nisi in æternos inferorum ignes perjuris ac mendacibus præparatos?* (c) ibid. Pædag. Christ. ex Delrio libr. 3. de Magia, p. 1. q. 7.

Delrio simile priori affert de puella divite in Saxonia, *quæ tenuioris fortunæ adolescenti matrimonium cùm promisisset sub hoc juramento, ut si alteri nuberet, à dæmone ipso nuptiarum die abriperetur. Alteri nupta ipso nuptiarum die à duobus, qui habitu Nobilium domum ingressi, cùm illam alter eorum in chorea circumduxisset, è domo, & omnium conspectu asportata nusquam comparuit.* Ibidem.

Anno 1619. *Barri Ducis in Lotharingia sutor adolescens nummum argenteum de mensa è lusu chartarum subductum in calceum injecerat, quem paulò post socii requirentes, cùm de non accepto quisque pro se testaretur:* Dæmon, *inquit,* mihi fauces contorqueat, si accepi. *Vix dixerat, cùm miserandus juvenis obtorto collo humi provolvitur. Fit sociorum consternatio, herus cum herâ ad strepitum evocatur, afflicto caput in situm conantur suum restituere; sed frustrà.* Ergo *ad lectum deportatur, ubi dum educuntur calcei, deprehenditur furtum, & caput illicò loco suo facilè*

(b) *Malach.* 3. (c) *Apoc.* 21.

facilè repositum est. Interim quidam è Societate Sacerdos evocatus adest, qui tum excipiendæ confessionis, aut dandæ absolutionis in seminece, muto, oculis divaricatis, tremente & attonito nullum videret modum, preces indicit, Sanctorum Litanias prælegit, & tandem aliquas S. Ignatii Lojolæ Reliquias misero applicat. Post quæ adolescens sensim ad se reversus, cùm conscientiam perjurio liberâsset, patri narrat, sibi statim atq; perjurium protulisset, immanem & horridum canem molossum apparuisse, qui posterioribus insistens pedibus, anterioribus tanquam manibus invaserit, prostratoque collum intorserit. Pædagog. Christ. ibidem.

I nunc Christiane, assvesce juramentis, perjuriis, Deum lacesse si audes. At forsitan jam inveteratâ consuetudine in quandam jurandi necessitatem venisti; nec vides quomodo eâ te exuas, ac pericula evades. Fateor difficile id est, sed labore consuetudinem superabis.

Audi Augustinum, quid ipse de se eodem olim malo laborante scribit: *Ecce*, inquit, (d) *vobiscum vivimus. Quis non audivit aliquando jurantes? Nunquid non consueveram quotidie jurare? At ubi legi, timui, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum adjutorem. Præstitit mihi Dominus adjutorium non jurandi, nihil mihi facilius est quàm non jurare. Hoc ideò admonui charitatem vestram, ne dicatis, quis potest? O si Deus timeatur! O si perjuri expavescant, lingua frænatur, veritas tenetur, juratio tollitur.*

(d) *Serm. 10. de Sanctis.*

LECTIO

LECTIO L.

Quæ est secunda conditio juramenti liciti?

℟. SEcunda conditio juramenti est, ut fiat cum justitia, id est, de rebus licitis: nam peccatum est, si juramento aliquid promittitur, quod est injustum, aut illicitum. Et si juramento promittam me aliquid facturũ quod sit peccatum, mortaliter pecco: v. g. juro quòd proximo nolim remittere injuriam, &c. Ad tale juramentum nemo obligatur, imò si tale emiserit, rescindere tenetur juxta illud: (a) *In malis promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum.* Legitur in Prato Spirit. apud Sophronium cap. 216. ubi sic dicit: *Cùm essem semel in Civitate sanctâ, venit ad me vir quidam fidelis dicens: Quædam indignatio oborta est inter me & fratrem meum, alloquere illum. Ego libenter in me id suscipiens allocutus sum illum de his, quæ ad concordiam spectabant. Visus est interim obtemperare mihi; sed postmodum dixit: Reconciliari nequeo, quia juravi per Crucem ultrà illi non reconciliari; quo audito subridens dixi: Juramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses: Per pretiosam Crucem tuam Christe, non observabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam, non solùm non debemus servare, quæ à nobis pessimè definita sunt, sed etiam pœnitentiam agere de his, quæ contra nostram salutem malè definivimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset, nec juramentum servâsset stultè emissum, nunquam illud scelus admisisset, ut Præcursorem decollaret.*

(a) *Jud.* 11.

Quæ est tertia conditio?

R. Tertia conditio juramenti est, ut fiat cum judicio; non enim satis est ut fiat cum veritate, sed etiam necessarium est, ut fiat cum circumspectione, & adsit aliqua necessitas, vel justa utilitas tam tremendum nomen vocandi in testimonium. Hoc attendant, qui levissimis de causis, sine ullâ necessitate, quodvis dictum juramento confirmant, dicentes: Quàm verè Deus vivit. Puniat me Deus, &c. gravissimis enim periculis peccatorum se exponunt, nec ab eis immunes erunt. Hinc Eccl. (b) *Vir multùm jurans replebitur iniquitate, & non discendet à domo ejus plaga.* Ratio est, quia jurans ex consuetudine juramentum suum transgredi non curat, & sæpè incurrit periculum perjurii. Deus etiam pravam hanc consuetudinem frequenter in hâc vitâ punit, quod docet exemplum sequens, quod in vitâ S. Maxentii Abbatis refertur. *Multi immundis vexati spiritibus ad eum sanitatis gratiâ confluxerunt. Quâdam die duo venerunt morbo elephantiaco turpiter deformati, (est quædam species lepræ) quibus vir Dei:* Nôstis, *inquit,* ô fratres, cur ira Dei ita in vos desæviat? vos sæpè levissimis de causis juratis & pejeratis, ideoq; justo Dei judicio hæc calamitas vos premit: sed jam peccatum agnoscite, & ad mentem redite, ut sanitatem consequamini. *Hæc cùm dixisset, omnes ad orationem hortatus est, & ipse flexis genibus lacrymis profusis, tandem surgens oleo sancto à vertice ad pedes usque eos inunxit, & sanos dimisit.* Lippelo 14. Febr.

(b) *Eccl.* 23.

Jura-

Jurationi igitur non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admisceavis, quoniam non eris immundus ab eis. (c)

An consuetudo excuset juramentum à peccato?

Resp. Si planè displiceat, ita ut omni diligentiâ quis conetur obsistere, & tamen illa citra consensum operetur, tunc qui ex consuetudine jurat, per hoc excusatur, quòd indeliberatè juret. Sed quando non displicet consuetudo, nec conamur rescindere quantum in nobis est, non excusat, sed aggravat peccatum. Audi remedia ex Nidero lib. 4. Formicarii cap. 3.

Nobilis quidam ad singula penè verba jurabat, conconscientiâ cum remordente firmiter statuit consuetudini obsistere; linguæ tamen lubricæ vitio frequenter recidebat. Petiit à Confessario pœnitentiam aptam ad eradicandum: ille facilem injunxit, quæ vitium ex parte, sed non radicitùs extirpavit, ipse id videns fortiorem sibi injungit, ut quoties in juramentum laberetur, tot diebus à carne abstineret. Mandat autem famulis ut vices notent, ne fortè non advertat. Et ita anno ferè dimidio carnes non gustavit, sed per divinã gratiam & hanc abstinentiam vitium istud superavit.

Alius, inquit idem Niderus, *imposuit sibi pœnitentiam, ut quoties juraret, toties guttam sanguinis propriis manibus sibi stylo ferreo eliceret: fecit, & sanatus est. Alius deniq; eâdem die à vino abstinebat, & sic vitium compescuit.* Tu ergo similiter particularem tibi injunge pœnitentiam quoties incidis, & fructum referes.

(c) Eccl. 23.

Qui præterea peccant contra hoc præceptum?

℟. Proferentes blasphemiam. Est autem bla-sphemare, dicere tacitè vel verbo contra Deum aut ejus Sanctos aliquid contumeliosum; quod quidē fit vel tribuendo Deo, quod illi non convenit, vel auferendo quod convenit, vel tribuendo creaturæ quod solius Dei proprium est; idq; sive fiat mente, sive verbo, sive scripto. Sic faciunt Hæretici, qui dicunt Deum esse authorem peccati, beatam Virginem esse similem cæteris mulieribus, &c. Numeratur autem blasphemia inter gravissima peccata, quia ipsa Dei Majestas seipsa læditur. Quo fit, ut à S. Joanne (d) damnatorum proprium esse dicatur. *Maledicti erunt qui contempserint te*, inquit senior Tobias, (e) *& condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te.* Blasphemus Sennacherib (f) Rex Assyriorum primò centum octoginta quinq; millia militum unâ nocte amisit, deinde ipsemet à filiis suis percussus interiit. S. Gregorius scribit, *puerum duodennem cum patre alea ludentem, & S. Hieronymum blasphemantem, à dæmone abreptum.* Lib. 4. Dial. c. 18. Plura vide in Pædagogo Christ. cap. 5. §. 2. de Blasph. & Catechism. histor. cap. 3. tit. 28.

Qui deniq; contra hoc præceptum peccant?

Resp. Voventes & votum non implentes. Est autem Votum promissio in honorem Dei facta firmiter obligans hominem: & ita nomen Dei in vanum assumit, qui non implet, peccato mortali se adstringit. Aliud est, si quis tantum pro-

pos-

(d) *Apoc.* 19. (e) *Tob.* 13. (f) 4. *Reg.* 19.

positum fecerit, quia propositum ad peccatum mortale non adstringit, nec est obligatio absoluta. Quapropter arguendæ sunt mulierculæ, præsertim varias peregrinationes voventes, nec adimplentes. Cùm enim morbus illis incidit, vel earum prolibus, statim conjiciunt esse morbum hujus vel istius Sancti, & juxta varias conjecturas varias vovent peregrinationes, sed per plures annos differunt, nec conantur adimplere: ideò dissvadenda sunt hæc vetularum vel mulicercularum tam facilè emissa vota, quæ ut plurimum vix adimplere possunt, quia eis res angusta domi, vel adimplere negligunt, cùm jam morbus, vel aliud infortunium, ratione cujus vovebant, pertransiit, & voto sanitatis potitæ sunt, ut quotidiana ferè docet experientia. Est autem grave peccatum, votum (cùm possibilitas adest) non implere. Unde Deuter. 23. dicitur: *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret Dominus Deus tuus illud: & si moratus fueris, tibi reputabitur in peccatum.* Item Eccl. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim infidelis, & stulta promissio, sed quodcunq; voveris, redde, multoq; melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Graviter sæpè puniti sunt, qui vota facta non reddiderunt.

Exemplum refert Petrus Damiani. *In maris tempestate deprehensus quidam, futurum se Monachū affectuosâ sponsione devovit; sed naufragio erutus votum solvere hujus vitæ amore contempsit. Expleto anno, ipso die quo votum Domino suæ conversionis obtu-*

lerat, Kalendis Januarii, dum hinc inde discurrens cum aliis juvenibus luderet, & choros duceret cum servilibus cantilenis, subitò lapis super eum de tecto cecidit, & obruit.

Quidam Briton vaccam cum vitulo ad forum ducebat, existens in mari, & tempestate urgente ait: O S. Michaël, adjuva me, & dabo tibi vitulum; *cùmque evasisset, dixit:* S. Michaël, ego evasi, jam nihil tibi dabo; *& subitò fluctus maris exsurgens eum cum omnibus involvit, & submersus est.*

LECTIO LI.

PRÆCEPTUM III.

Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

Quid tertio mandato præcipitur?

℟. UT tempus ad colendum atq; honorandum Deum, debitamq; ei religionem exhibendam designatum piè ac religiosè impendamus, quod in lege veteri erat Sabbathi; in novâ verò dies Dominicus.

Quando incepit observatio Sabbathi?

℟. Ab initio mundi: nam cùm Deus sex primis diebus totum universum creâsset, septimo die requievit, eiq; benedixit, effecitque sibi sacrum volens eo die specialiter coli ab Adamo, & ejus posteris sacro otio, & cultu Dei, maximè recolendo beneficium creationis suæ. Fuit autem observatio Sabbathi renovata per Moysen in le-

ge scripta, & strictiori præcepto sancita; nam pœna mortis violantibus intentata fuit.

Quare dies Sabbathi mutata est in diem Dominicam?

Resp. In memoriam Resurrectionis Christi, quæ in Dominica fuit.

Estne antiqua observatio diei Dominicæ?

Resp. Est planè ab Apostolis; nam Joannes (a) dicit se fuisse in spiritu die Dominicâ.

Quomodo sanctificatur Dominica?

℟. 1. Gratiarum actione, & oratione, quia est instituta tanquam memoriale beneficiorum; cùm enim homo totus pendeat à Deo, tam secundùm corpus, quàm secundùm animam, nihil habens ex se, sed omnia à Deo, rationi consentaneum est, ut certo aliquo die gratiæ illi agantur, tam pro beneficiis generalibus, quàm etiam illâ hebdomadâ à Deo collatis.

2. Auditione Missæ, quod est præcepti, quia cùm nihil Missâ Deo sit gratius, nullo alio opere magis sanctificari potest dies illa, maximè, quia in ipso sacrificio quilibet fidelis se ipsum Christo offerre potest.

Nunquid quâlibet auditione Missæ huic præcepto satisfacio?

℟. Nequaquam, sed eâ solùm, quæ fit cum devotione & attentione; varii enim committuntur abusus, dum multi corpore tantùm præsentes putant se præcepto huic satisfacere, interim toto tempore dormitantes, aut circumspicientes,

(a) *Apoc. 1. v. 10.*

entes, menteq; foris divagantes per notabilem partem distracti sunt: hi profectò, si faciant à proposito, diem Dominicam non sanctificant, nec præcepto satisfaciunt. Ergo qui præcepto satisfacere vult, vel vacare devotioni privatæ, vel ad ea, quæ in sacrificio Missæ aguntur, attendere debet; sed de his latiùs in 5. Præceptis Ecclesiæ.

3. Sanctificatur dies Dominica, quando conatur homo, quantum in se est, onus peccatorum deponere per confessionem, aut contritionem, & licet hoc præcepti non sit, est tamen finis præcepti, ad quem quivis meritò attendere debet, ut diem hunc perfectè sanctificet.

Nunquid ergo singulis Dominicis confitendum?

R. Hoc licet foret utilissimum, ad minus tamen elicienda est contritio cum proposito confitendi, per quam omnia peccata delentur. Exemplum habes in vitis PP. lib. 7. de pœnit.

Beatæ memoriæ Paulus Simplex discipulus S. Antonii Abbatis habebat hanc gratiam sibi a Deo datam, ut unumquemque, cujus conscientiæ esset, cognosceret, sicut & nos facies nostras videmus invicem. Quodam igitur die sedebat ad ostium Ecclesiæ, intuens unumquemq; quo animo ingrederetur, ingredientibus omnibus clarâ facie, & uniuscujusq; Angelo gaudente, unum vidit nigrum & obscurum toto corpore, & dæmones ex utraq; parte eum trahentes ad se; Angelum verò ejus à longè sequentem, & tristem. Paulus lachrymans, & frequenter pectus tundens cœpit deplorare eum: interrogabant verò qui videbant Paulum plorantem,

quid

quid sibi vellent istæ lachrymæ tam subitæ, & quidnam vidisset? & rogabant ut ingrederetur ad Missam cum eis; ille verò negat se ingressurum, & sedebat foris tacens, & plorans. Post paululum dimisso Ecclesiæ conventu iterum Paulus attendebat singulos exeuntes, ut quorum introitum cognoverat, sciret & exitum qualis esset iste: & videt illum virum exeuntem ab Ecclesiâ splendidum vultu & corpore, dæmones verò à longè sequentes, Angelum juxta eum gaudentem valdè; Paulus autem cum gaudio exiliens clamat dicens: O ineffabilis Dei misericordia & bonitas! *& ascendens super altum gradum magnâ voce dicebat:* Venite & videte opera Domini, quomodo vult omnes homines salvare. Venite & videte, quia potens est peccata remittere. *Ad hanc vocem omnes solicitè accurrerunt, cupientes audire quæ dicebat. Referebat autem quæ viderat. Interrogat ergo virum illum, unde ei tanta subitò à Deo mutatio? Ille convictus à Paulo, coram omnibus apertè narravit dicens: Homo peccator sum, & multo tempore in fornicatione vixi usque nunc. Ingrediens autem Ecclesiam Dei audivi vocem Isaiæ Prophetæ, cùm legeretur, vel potiùs Dei loquentis in eo:* Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, discite benefacere, & si peccata vestra fuerint ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. (b) *Ego in hoc sermone compunctus sum nimis, & ingemiscens intra conscientiam dixi;* Tu qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, qui etiam hæc quæ lecta sunt, promisisti per Prophetam, comple effectu & opere

(b) *Isai. 1.*

pere in me indigno peccatore. Ecce enim amodò promitto tibi, & spondeo sermone, & corde confiteor, quia jam non agam ultra illud malum, sed abrenuncio omni iniquitati, & servio tibi amodò in conscientiâ mundâ: in hâc ergo suscipe pœnitentem interpellantem te, & renunciantem omni peccato. *In his promissionibus egressus sum de Ecclesiâ, statuens in animâ meâ, nihil mali ultrà agere coram oculis Domini; quod cùm audissent, omnes benedixerunt Dominum.* Hæc ibi.

4. Sanctificatur dies Dominica, abstinendo à peccatis. Verùm, proh dolor! hodiedum diem hunc multi peccatis suis plus inhonorant, quàm cæteros hebdomadæ dies: siquidem diebus profanis pleriq; operibus laboriosis, cæterisque licitis negotiis detinentur, adeoq; peccati materia eis non ita suggeritur. Verùm diebus Dominicis & festivis pleriq; genio & otio, multorum scelerum matri, vacant, sectantur societates pessimas, frequentant symposia, ducunt choreas, indulgent ebrietatibus, rixis & pugnis, juramentis execratoriis, ac præcipuè Veneri, aliisque infinitis propemodum sceleribus addicti sunt. Unde diebus istis infernum maximè patere diceres, & dæmones erumpere in perniciem animarum, ipsosq; festum agere in varia peccata Christianos suggestione suâ pellicendo. Hinc justa Dei exprobratio: (c) *Solemnitates vestras odivit anima mea*, q. d. Solemnitates vobis & vestris voluptatibus consecratis, nec mihi, nec cultui meo, ideò eas odi tanquam stercus, quia fœ-

(c) *Malach.* 2.

tore peccatorum eas conspurcatis. Munus itaq; Pastorum & Concionatorum est, has Domini quærelas (prævio tamen bono exemplo) inculcare, & contra scelera pernitiososq; mores in populo Christiano illis diebus invalescentes acri voce inclamare, *ne fortè requirat Dominus de manu eorum sanguinem pereuntium.* Imitentur exempla antiquorum Patrum & Pastorum.

Cùm S. Stephanus Diensis Episcopus multo zelo munus suum exercere cœpisset, concionando, exhortando, visitando plebem suam, invenit gentem illam execrabili consuetudine cæcam; non honorare diem Dominicam, sed contra Dei præceptum diabolo illum dedicare, quia eo die exercebantur nundinæ, tabernæ, choreæ, ludi, luxus, & pernitiosa spectacula. Quare ad populum concionatus, blandis verbis, apertisque rationibus peccati enormitatem & divinæ Majestatis contemptū eis ostendit. Sed gens cæca sermones ejus contemnebat. Dolens id servus Dei, huic rei planè insistendum existimavit, ut protervos illos mores corrigeret. Se ergo pastorem, non mercenarium considerans, opportunè importunè prædicationi cœpit incumbere, si fortè resipiscerent à diaboli laqueis, à quibus captivi tenebantur. Sed cùm surdi adhuc manerent, ipse Apostolatus sui signum evidenter ostendere volens, præcepit dæmonibus, qui illos in prædicta scelera incitabant, & quorum voluntati parebant, ut palam se videndos exhiberent, sine tamen illorum læsione. Parent dæmones, & horrenda spectra sese illis exhibent, fætores flammasq; spirantes. Ad quorum conspectum gens territa cœpit oculos aperire, vitam & mores corrigere. Sur. 7. Septembr.

LECTIO LII.

Quomodo prætereà sanctificatur dies Dominica?

Resp. SAcrosanctæ Eucharistiæ sumptione, quia hoc modo optimè impletur finis præcepti: ibi enim maximè quiescit, & Sabbathum celebrat anima in Deo suo, &c. Hanc sumebant olim fideles singulisDominicis.

Denique sanctificatur dies Dominica devotâ auscultatione verbi Dei, quod ideò nobis proponitur, ut vel meliores evadamus, vel in bono magis magisq; proficiamus, estq; hujus præcepti intentio maximè conveniens. Hinc nullus fidelis debet illud facilè negligere, quia cibus est animæ, quem abundantiùs illo die oportet sumere. Per septem dies pro cibo corporali laboramus, & unam horam spirituali cibo impendere plurimi detrectant, præsertim Nobiles & domicellæ suo quasi imperio Pastoribus mandantes,ut postMissæ sacrificium tumultuarie & perfectoriè celebratum tandem (ut ipsi se maturiùs domum recipiant) pro rudibus & plebeis concio servetur, utiq; tales palatum habent infectum, adeoq; non sapit illis animæ cibus: signum profectò animæ malesanæ,si non reprobæ;negligunt etenim quæ ad salutem scitu sunt necessaria. Ii etiam,qui ob proprium commodum nimis facilem & frequentem hujusmodi Nobilibus in his præbent assensum, non Pastores, sedMercenarii sunt appellandi: videant igitur, ut æquè Nobiles ac plebejos ad diligentem verbi Dei auscultationem inducant,

cant, utriſq; enim velut animæ cibus eſt omninò neceſſarius, ideoq; nunquam negligendus.

Tandem dies Dominica ſanctificatur exercitio piorum ac bonorum operum. Quid enim juvat à laboribus feriari, ſi piis boniſque operibus non vacemus? nam finis hujus præcepti non eſt otium, ſed quies in Domino, quæ via eſt ad æternam quietem; hinc malè faciunt, qui quidem ſympoſia non frequentant, poſt domeſticos tamen labores frequenter conveniunt proximis detrahentes, ac nociva miſcentes colloquia, quibus neceſſarium foret tempore pomeridiano per horulæ ſeu dimidiæ ſpatium viſitare Catechiſmum, quod Deo apprimè gratum, & inter Dominicæ diei bona opera facilè ſibi vendicat principatum.

Qui ergo peccant contra hoc præceptum?

℟. 1, Qui præter ordinaria opera vacant laboribus contra honorem feſti. 2. Qui Miſſam non audiunt, aut notabilem illius partem ſine cauſa rationabili negligunt, aut ſine neceſſitate urgente domeſticis eandem negligendi dant anſam. 3. Qui per totam Miſſam, aut per majorem ejus partem, mente divagantur curiosè ac libidinosè circumſpiciunt, aut fabulis intendũt. 4. Nobiles, qui Miſſâ neglectâ venationi dant operam, peccant mortaliter; vel Miſſâ quidem auditâ reliqvum diei eidem venationi impendunt, grave veniale peccatum committunt. 5. Peccant plebei homines, mechanici, & opifices his diebus non niſi commeſſationibus & ebrie-

taribus vacantes, suaq; prodigentes, quæ ad uxoris & familiæ sustentationem sunt necessaria; unde sæpè gravissimæ difficultates & pœnæ oriuntur.

Refert ex Joanne Benedicti libr. 3. Sum. cap. 7. in append. Marchantus de quodam ebrioso, *postquam dissipâsset substantiam ludo & poculis, cùm uxor conquæreretur, & ei necessitatem familiæ exponeret, non veritus est coram collusoribus eam gravissimè percutere. Ipsa ergo desperationi proxima domum repetens cùm parvuli peterent panem fame eos urgente*: Ecce, *inquit*, cùm pater vester totum expenderet, quid ultra faciam? à duobus diebus nihil cibi sumpsimus, an non præstat semel mori, quàm tantâ fame urgeri, & toties mortem quandam pati? *Inter hæc verba cultrum arripit, utrumq; jugulat. Redit maritus ebrius, illa ei dormienti caput obtruncat tam audacter, quàm Judith Holoferni*: Et tu, *inquit*, infelix peribis, qui totius es origo mali. *Comprehensa à judice facinus fatetur, mortemq; patienter tolerat, exhortans interim maritos, ne sic ebrietate omnia dissipent, suo ostendens exemplo, quomodo ebrietas morte infelici quatuor interemerit.*

Similes Tragœdiæ in historiis leguntur, quæ ferè festis diebus contigerunt. Quis enim homicidia, adulteria, fornicationes, aliaq; mala ex ebrietate provenientia, quæ diebus illis contigerunt, enumeret? vix in urbibus & civitatibus, præsertim populosis, extra domum pedem efferre licet vespertino tempore diebus Dominicis & festivis, quin in ebrium aliquem statim impingat, paratum ad rixas & sanguinis effusionem,

Peccant tandem juvenes & puellæ diebus istis, inhonestis ludis & choreis vacantes, quibus admodum diem festum inhonorant; plerumq; enim gravia choreis conjuncta sunt peccata, dum lubrica juventus absque Dei timore velut equi hinnientes & effrenes in omnem fertur libidinem, cujus incentivum & occasio sunt choreæ: *Præstaretq; sæpiùs* teste August. (a) *vel juvenes stivam aratri ducere, vel puellas lanam facere, & colum trahere, quàm in his ludis periculosè saltare.* B. Ephrem dicit: (b) *Unde suas didicêre choreas? quis talia Christianos edocuit? Non Petrus, non Joannes, non alius divino numine afflatus; verùm iste draco antiquus voluminibus suis docuit.* Igitur opera diaboli exercentes quomodo diem Dominicum sanctificabunt? quomodo Deum colent per opera, quæ ei tantum displicent? quales cumprimis sunt choreæ, quæ *circulus sunt Sathanæ, cujus ipse centrum est,* (ergo in medio est) *& circumferentia Angeli ejus.* Quòd verò tales choreæ Deo mirè displiceant, ex sequentibus patet exemplis.

In Mechliniâ oppido Brabantiæ puella quædam die Dominico cum juvenibus choreas duxit, fatigata domum rediit; quare cùm cubitum pergeret, à dæmone possessa est. Quâ clamante surgit familia ligant vinculis sævientem. Manè ad oratorium Virginis gloriosæ extra oppidum deportatur. Frequenter enim ibi Maria virtutum operatrix miracula plurima demonstravit. Quod ubi scholares pueri perceperunt, ad locum, ubi vexabatur puella, in oracorium cucurrerunt. Quarum

(a) *lib. de 10. cord.* (b) *in lib. interrog. & respons.*

rum unus annorum ferè duodecim audatior cæteris atq; sagacior cœpit compellere & adjurare dæmonem, ut corpus obsessum desereret & exiret. Nec mora, ubi dæmon circa umbilicum per tumorem se esse demonstraret, dictus puer cum pollice crucem in contrarium fixit, & sic paulatim per crucem versus os ascendere compulit, donec eum in specie hirsuti vermis intra hiatum oris hærentem vidit. Quo miro conatu ad inferiora redire volente, clamavit populus. Puer instanter signum crucis opposuit, & cum maximâ violentiâ dæmonem exire coëgit. Ejectum ergo in modum hirsuti vermis puer audacter dextrâ comprehendit, & in fossam parvulam, ubi aqua pluvialis consederat, mox projecit, qui statim ex oculis plebis totius disparens, lætitiæ ac laudis materiam dereliquit. Proinde manus pueri à contactu vermis nigredine infecta remansit, sed protinus aquæ benedictæ lavacro discessit. Cantipr. de apibus libr. 2. c. 6. p. 4.

Matrona quædam B. Virgini addicta filios instruebat, ut ipsam in suis necessitatibus invocarent recitando Ave Maria. *Hujus filia satis erat dissoluta, vagabunda, & saltatrix, & frustrà à matre sæpiùs est correpta; nam pater eam diligebat præ cæteris filiis, quia pulchra erat & mundana, emitq; ei vestes pompo-sas. Cui quandoq; quiescenti sub arbore apparuit dæmon dixitque:* Veni mecum, ego enim sum diabolus, cujus propositum conaris implere, arma & rete nostrum ad animas capiendas. Unde modò recipies pœnam pro peccatis tuis, *& conabatur eam violenter abripere; At illa ex institutione matris clamavit dicens:* Ave Maria, gratiâ plena, &c. *Re-*

spon-

spondit diabolus : Maledicta sit quæ te talem orationem docuit ; quam si non dixisses, ad inferni incendium te traxissem, ubi cum tuis æqualibus pœnam condignam cum omnibus, quos ad peccandum traxisti, invenisses ; *quæ posteà nunquam chorizavit, vestes pomposas deposuit, vitam & mores emendavit, & B. Virgini usque ad mortem servivit.* Spec. Exempl. d. 9. n. 107.

Notabile est quod in vitâ S. Eligii refert Surius 10. Decembr. *Cùm natalis B. Petri ageretur in quodam vico propè Noviomense oppidum, constanter ipse ibi prædicabat verbum Dei, ludos, saltationes & choreas prohibendo : interim multis ejus verbis & monitis nil deferentes non desistebant ab his nefandis saltationibus, & diabolicis ludis, quibus erant assueti. Ille nihil se proficere cernens, indignatione permotus Dominum oravit, ut permitteret eos in pœnam à dæmonibus obsideri, ut vel sic cognoscerent, quibus obsequerentur, cùm eorum operibus delectarentur. Ita confestim actum est ; nam homines quinquaginta arripiuntur à dæmonibus, choreis & ludicris addicti : & perterriti omnes alii ad pedes hominis Dei se prosternunt, ne similia paterentur, promittuntque se dictis ejus obtemperaturos. Ad quos Vir sanctus* : Ne timueritis, *inquit*, sed justum Dei judicium laudate ; dignum est enim, ut qui ejus jussa contemnunt, sentiant magistros illos, quos colant, ad tempus illis traditi. *Multis autem rogationibus, ut pro illis Dominum deprecaretur* : Sinite, *inquit*, illos experiri, quibus hactenus morem gesserunt ; *& ita illo anno usq; ad anniversarium diem manserunt obsessi à dæmonibus, in*

ipsa autem solemnitate annua aspergens aquâ benedictâ curavit, & jam instructos, & graviter objurgatos dimisit. Surius in vitâ S. Eligii l. 2. c. 20. 1. Decemb.

Mirabilem Historiam vide in Horto Pastor. Marchantii Tract. 3. de Charit. in fine Præcepti 3. ubi choreas ducentes, Sacerdotemq; in divinis interturbantes, maledicti in pœnam levitatis & temeritatis anno integro saltarunt, evoluto anno Heriberto Archiepiscopo Coloniensi à maledicto absoluti paulò post plures obeuntes, alii tremore membrorum quid passi sint, ostenderunt, ad longum vide ibi.

LECTIO LIII.
IV. PRÆCEPTUM.
Honora patrem & matrem, &c.

Cur reliqua omnia præceptum de honorandis parentibus antecedit?

Resp. QUia illis præ cæteris proximis plurimum debemus, utpote qui secundùm Deum nostrum sunt principium, & multis aliis nominibus.

Quid virtute hujus præcepti filii tenentur exhibere parentibus?

℟. Tenentur exhibere amorem, reverentiam, obedientiam, sustentationem: nec mirum quòd hæc omnia parentibus debeamus, cùm etiam juxta Philosophos, Diis, parentibus, magistris æquivalens reddere non possimus.

Primò

Primò igitur debemus *amorem*. Et hîc naturaliter cordibus nostris insitus est erga parentes, qui tanto nos amore sunt prosecuti, ut indicibili labore ab infantia ad ætatem usq; maturam perduxerint, cujus memoriam nunquam proles deponere debent. Hinc inter cætera, quæ senior Tobias filio suo suggerebat monita, illud facilè principem tenet locum, quo parentes, & præcipuè matrem honorandam & diligendam graphicè commemorat (a) dicens: *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus; memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo,* &c.

Qualem amorem debent filii parentibus?

R. Debent parentibus duplicem amorem, interiorem scilicet & exteriorem; nec sufficit parentes interiùs amare, sed oportet illum amorem signo exteriori exhibere. Contra hunc amorem peccant (1.) non solùm qui odio habent parentes; sed etiam qui eorum optant mortem, ut adire possint hæreditatem; quod est peccatum mortale, si ex voluntate deliberata fiat. (2.) peccant proles, licet corde odium non gerant, vix tamen aliquod signum amicitiæ parentibus exhibent, vix verbum bonum, sed asperè & imperiosè agunt & loqvuntur, torveq; aspiciunt. Licet ergo hæ proles necessitatibus parentum subveniant, nihilominus sic asperè se gerentes, & eos contristantes, peccato mortali conscientiam possunt onerare, ut docet Sylvester, maximè

(a) *Tob.* 4.

quan-

quando id frequenter fit, & gravis tristitiæ dant ansam, quia illis solatium & signa amoris exhibere tenentur. Multò gravius peccant, qui contumeliosis verbis eos exasperant; *si enim reus gehennæ dicitur qui dixerit fratri suo fatue*: (b) quantò magis reus erit, qui parentes exasperant, vetulos, edentulos, fatuos appellat, aliaque contumeliosa verba improperat: *Maledictus à Deo, qui exasperat matrem suam.* (c) Gravissimè peccant qui parentes percutiunt, licet levis esset percussio. Item qui iis maledicunt, aut injuriosè comminantur.

Secundò debent filii parentibus *reverentiam* interiorem & exteriorem, quæ non solùm consistit in capitis denudatione, sed etiam in humili animi submissione, non solùm deferendo eis primũ locum in consessibus, sed etiam reverenter eos audiendo in colloquiis, supportando eorum defectus & infirmitates. Hujus reverentiæ exemplum habemus in Salomone, qui tantus Rex, venienti nihilominus matri assurrexit, & in solio juxta se collocavit. Hinc monet Sapiens: (d) *Fili suscipe senectam patris tui, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tuâ.* Contra hanc reverentiam parentibus debitam peccant liberi, qui parentes despiciunt, eorum dicta subsannant, & rident actiones; qui evecti ad aliquam dignitatem parentes non agnoscunt, aut præ pudore eos nôssę dissimulant, &c. Non sic fecit Benedictus XI. Papa, *qui ad summum Pontificatum*

(b) *Matth.* 5. (c) *Eccl.* 3. (d) *Eccl.* 3.

ficatum ex Ordine S. Dominici evectus fuit, cùm mater adhuc superstes, pauper omninò ac tenuis, gratulandi causâ elegantiori cultu, quem amici largè suppeditârant, introducta esset, ille per dissimulationem, quasi eam non nôsset, quæsivit quænam illa esset adeò nobilis mulier? Cùm responsum esset, ejus esse matrem: Nequaquam, *inquit*, nam matrem meam scio admodum pauperem esse, nec ad tales vestes sumptum habere. *Quibus illa verbis icta, & rubore perfusa discessit; sed cùm paulò post cum propriis vestibus reducta esset, surgens à sede Benedictus, hanc verò dixit suam esse matrem, non illam priorem; inter quæ verba eam amanter amplexatus est.*

Tertiò filii debent parentibus *obedientiam* in iis, quæ ad regimen domus, vel ad bonos mores spectant, atq; animæ salutem. Unde Sapiens: (e) *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Itaq; graviter censentur peccare filii, qui parentibus non obediunt in his, quæ gubernationem domus & rei familiaris concernunt, dum res gravis præcipitur, maximè quandò quædam obstinata voluntas intercurrit. Item quando non obediunt parentibus in his, à quib9 morum disciplina multum dependet: v. g. dum præcipiunt, ut noctu domo non egrediantur filii ad nocturnas grassatiooes, ut fugiant sodalium aliquorum consortium, quod ipsis noxium esse norunt; ut certas domus suspectas ob luxuriæ occasionem, vel ludos prohibitos evitent, ut concioni, aliisque divinis exercitiis intersint, &c. Tenentur ergo in omnibus obedire parentibus

(e) *Prov.* 1.

filii,

filii, ad quæ jus parentum se extendit; nullâ ratione autem debent obedire iis, si præcipiant contraria saluti; unde debent dicere cum Apostolo: (f) *Oportet obedire Deo magis quàm hominibꝰ.*

Quartò debent filii parentibus *sustentationem*, & obsequium in sublevandâ eorum necessitate corporali; quando enim sunt senes, egentes, & miseri, proles tenentur eis subvenire; illud verò omittentes non solùm graviter peccant, verùm gravissimè sæpè etiam in hac puniuntur.

S. Bonaventura narrat de quodam locuplete matrimonio felice, qui patrem pauperculum parum benignis oculis aspiciebat. Nimirum die quodam satis lautè prandente filio venerat pater, fortasse ut unà pranderet. Filius ut adesse patrem audit, assum caponem, quem in mensa habebat, seponi jubet tantisper, dum senex isthic hæreret; non diu hæsit ingratus hospes. Illo igitur domo abeunte, reponi imperat caponem suum filius, ecce tibi mutatus in horridum bufonem. Capo ex lance in impii vultum insiliens, totum à mento in frontem occupavit, nec ante miserandi hominis mortem arte ullâ avelli potuit; quin & si quâ arte bofoni molestiæ aliquid afferebatur, eandem iste simili corporis parte percipiebat. Atq; hoc tandem spectaculo liberos omnes etiam mutus docebat, quàm cœlo ingrata res sit in parentes ingratum esse. S. Bonaventura l. de 10. præcept. serm. 5. de præcepto.

(f) *Act.* 5.

LECTIO

LECTIO LIV.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.

Nunquid filii benedicuntur, qui parentes honorant?

Resp. QUinimò: promittitur siquidem eis benedictio in Decalogo.

Quænam illa?

℟. 1. Est longævitas vitæ. Hæc promissio æqua & congrua est, quia justum est, ut filii, quia parentibus grati sunt de acceptâ vitâ illos honorando, longæ vitæ ab eis acceptæ conservationē obtineant. Hoc meretur honor & gratitudo, quod hâc similitudine docet S. Thomas Opusc. 4. *Filii obtinent vitam à parentibus, sicut milites obtinent feudum à Rege. Sicut ergo merentur hi ejus conservationem, quamdiu homagium Regi præstant & fideles sunt: ita & filii merentur vitæ conservationem, quamdiu parentes honorant. E contrà sicut rebelles spoliantur feudo, ita & filii rebelles vitâ.*

Hinc contingit, quòd filii impii non dimidient dies suos, sed ante tempus exscindantur.

Absolon rebellis patri, ejusq; regno insidians, morte infelici in ipso juventutis flore periit. 2. Reg. 18.

S. Bernardinus Ordinis S. Francisci verbi divini præco disertissimus Tom. 2. Serm. 17. Dom. 1. Quadrages. *narrat de adolescente in Hispaniæ citerioris oppido, cui nomen Sui, non ita procul à Valentiâ,*

quò

qui per parentum inobedientiam eò devenerat, ut decimo octavo ætatis anno præter latrocinia & publica facinora in vincula conjectus, & suspendio damnatus sit. Erat enim tum prorsus imberbis; pendenti verò jam atq; exanimi subitò prorumpit barba, spectante populo comæ capitis planè canescunt, ut ætatem referret hominis nonagenarii. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus: omnes in genua prostrati expectant dum ostendat Deus, quid monstrum hoc sibi velit. Atque ecce tibi Episcopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait: voluisse Deum ostendere, quantum de vitâ eorum detrahant, qui de parentum obedientiâ & honore detraxerunt: victurum etiam hunc juvenem ad eam ætatem fuisse, quæ jam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientiâ detraxisset.

Secunda benedictio, quæ promittitur honorantibus parentes Ecclesiast. 3. est, *quòd jucundabuntur in filiis*, hoc est, qui seipsos exhibent parentibus, liberos etiam in se pios experientur. Ideò non mirentur parentes, si frequenter liberos habeant inobedientes, immorigeros, sibi maledicentes, ac mortem optantes, ut adire possint hæreditatem, &c. Sed rememorent annos juventutis suæ, in quibus & ipsi rebelles fuêre, & sciant justo Dei judicio sibi evenire.

Qualia tu contuleris in parentes, talia prorsus à tuis liberis expecta, ut benè vel malè habearis.

Ephraim & Manasses filii Joseph humanissimè patrem tractârunt, quia ipse summo honore patrem suum Jacob affecerat.

Mirum

Mirum certè Dei judicium zelantis honorem parentibus debitum, adeoq; disponentis, ut tales experiantur liberos, quales se parentibus exhibuerunt ipsi.

Audivisse se à viris fide dignis, scribit Delrio, *in Frisiâ non ita pridem contigisse, ut quidam, qui patri suo sæpè injurius fuerat, adeò ut illum pugnis contundere, & crinibus raptare prostratum sustinuerit, à filio suo eodem modo per domum raptatus, cùm ad limen perventum foret, & nefandi istius rabies etiam ulteriùs progressura videretur, miser iste parens intelligens justo Dei judicio hæc se perpeti, exclamavit: Husque fili mi, nec enim parentem meum, avum tuum ultra domûs limen crinibus traxi.* Metuendum sanè omnibus immorigeris exemplum, Ex Delrio Pædag. Christ. c. 6. §. 3.

Tertia benedictio promissa honorantibus parentes, est in opibus tam temporalibus, quàm spiritualibus: (a) *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam.* Item: (b) *Qui honorat patrem suum, in die orationis suæ exaudietur.* Promittitur quoq; stabilis familia & prosperitas, quia (c) *benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta,* quod sequenti exemplo demonstratur.

Contigit Valentiæ, quòd falsum crimen cuidam juveni imponeretur, idq; gravissimum, ut patibulum novum ei erectum fuerit. Sed cùm è carcere abstractus ad suspendium duceretur, ubi se juvenis illic vidit, obstupefactus clamavit: Verè juste morior, non pro falso crimine,

(a) *Eccl.* 3. (b) 56. (c) 11.

mine, quod mihi imponitur; sed quia in hoc ipso loco in matrem meam violentas manus intuli, & tunc illa tanto scelere & impietate indignata, hanc mihi maledictionem injecit: ô utinam in hoc ipso loco suspensus aspiciaris. Hoc ergo illi contigit, ut verum esse videamus, quomodo maledictio matris vitã etiam filio eripere sit potens, ut etiam videamus quàm verum sit quod Salomon dixit: [d] *Oculum, qui subsannat patrem suum, effodiant illum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.*

Quartò promittitur benedictio novissima, hoc est, in fine vitæ, dum dicitur Eccl. 3. [e] *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in novissimo maneat,* q. d. Honora patrem, ut Dei favor usq; ad finem vitæ tuæ te prosequatur, imò benedictio perseveret, & conservetur usq; ad illam horam, quæ tantum timorem incutit, horam scilicet mortis & examinis; quando summi beneficio loco erit à Deo benedici. In mediis tunc tenebris lucerna tua accendetur. paternæ divinæq; benedictionis lumine perseverante, quia è contrario [f] *qui rebellis fuerit, & maledixerit patri vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Non ergo parvi pendenda est benedictio parentum, quæ à Deo confirmatur. Nam olim qui benedicebatur à patre, benedictus erat; & qui maledicebatur, maledictus erat.

Refert Thomas Cantip. libr. 2. c. 14. p. 7. *Juvenem quendam fuisse in partibus Galliæ, qui ab ineunte*

[d] *Prov.* 30. [e] *Eccl.* 3. *v.* 10. [f] *Prov.* 20. *v.* 10.

ente ætate pervicacissimæ vitæ fuit, ita ut illud, quod de Ismaële scriptum est: Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, *in eo ita videretur impletum, ut nec parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vitæ finem perduceret. Post quos & ipse mirabiliter infirmatus, & in agone positus, sumptis Ecclesiasticis Sacramentis subitò inter manus assistentium clamans horribiliter exilivit dicens:* Surgite omnes, arma arripite, juvate me contra proprium parentem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus est, & me conatur occidere. *Hæc dicens quasi contra ingredientem ad ostium conabatur. Nec mora; cadens eversis terribiliter oculis clamavit expirans:* Heu me! pater meus modò validissimo lapide frontem meam percutiendo contrivit. *Hi autem, qui assistebant, neminem quidem videbant, sed quasi turmas se comprimentium & ingredientium audiebant.* Spec. Exempl. tit. Mors & Mori, exempl. 15.

Honora igitur patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

LECTIO LV.

De Obligatione parentum erga proles.

Quid filiis debent parentes?

℞. UT à filiis honor debetur parentibus, ita parentes filiis præstare debent; unde coram DEO hunc honorem & me-

mereantur, & tueantur. Unde cùm dixisset Apostolus a) *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*, subjecit *Et vos patres nolite provocare ad iracundiam filios vestros, sed educate illos in disciplinâ & correptione Domini.* Debent ergo parentes liberis præstare *amorem, sustentationem, & disciplinam.* Nota est Navarri sententia, (b) mortaliter peccare patrem, qui negligit notabiliter providere illa, quæ ad filii necessitatem spiritualem aut corporalem spectant, cùm nulla ei est excusatio paupertatis, aut alia rationabilis causa. Adeoq; strictam omninò rationem exiget Deus à parentibus, qui parvam adeò curam habent prolium suarum, qui sæpè magis de saginandis porcis, quàm prolibus benè educandi soliciti; magis anxii, ut eas locupletent, quàm ut post se relinquant virtuosas, sicque sibi prolibusq; sunt causa damnationis æternæ.

Terribile hujus rei habemus exemplum ex Pinello cap. 5. de alterâ vitâ: *Parentem scilicet damnatum, filium itidem damnatum in mediis inferni flammis hisce verbis allocutum: Maledicta hora, in quâ natus es; Nam propter te in his crucior tormentis, injustis sæpè artibus neglectâ conscientiâ usus sum, ut te multarum opum haberem successorem. Cui ex adverso filius: Quin imò multò magis maledicta sit hora, in quâ natus sum; maledicta sit injustitia tua, opesque malè partæ, quarum me fecisti hæredem, interim diabolo ac inferni pœnis æternum me proscripsisti: huc me tua indulgentia, huc me tui nimius amor, huc me tua supina negli-*

(a) *Ephes.* 6. (b) *Man.* c. 14. n. 17.

negligentia in docendis ad salutem necessariis præcipitavit. Væ tibi detestande parens, væ mihi, væ omnibus perversis parentibus in æternum. Pinellus de alterâ vitâ c. 5.

Quomodo parentes suæ satisfacient obligationi, probosq; educabunt filios?

R. 1. Quamprimum editi sunt in hanc lucem, tenentur eorum habere curam. Tunc enim sæpè eos Deo offerre convenit. Quemadmodum fecit materS. Elzearii Comitis, *quem cùm edidisset in hanc lucem, statim devota mulier ambabus prehensum manibus elevans in altum dicebat:* Da mihi, Deus, famulæ tuæ gratiam piè educandi hunc fructum ventris mei, juxta beneplacitum & voluntatem tuam; si verò tibi futurus esset inobediens, continuò à suscepto baptismate eum ad te recipe. Ex Surio Tom. 3. Voglerus.

2. Sæpè eos, præsertim mane & vespere, vivificæ Crucis signo communiant contra incursus spirituum malignorum, eorumq. asseclarum, ne eis nocumentum inferant. *Unde legimus, sagam quandam confessam, se noctu sæpiùs quinquaginta vicibus domum cujusdam vicini subiisse, ut noceret in cunis infantulo, sed semper irrito conatu, quia signo Crucis munitum invenit infantem.* Vide suprà Lect. 1. de Signo Crucis.

3. Quamprimùm verba formare incipiunt, doceant eos formare Crucem, recitare orationem Dominicam, exprimere dulcissima nomina: JESUS MARIA. *Id feliciter admodum tentavit mater S. Francisci Borgiæ, quæ pannis infantilibus involutum*

lutum instruxit, ut prima ejus verba essent JESU MARIA. Ribad. in vita ejus.

Quid facient dum pueri incipiunt adolescere?

R. Non nimium illis indulgeant, sed quam primùm in bono eos erudiant, malumq; quod in eis advertunt, virgâ studiosè extirpare curent.

Dices: Expectabo donec perfectum rationis usum consequantur, tunc virgâ eos emendabo, nondum correctionis sunt capaces?

R. Gravis hic error est; audi consilium Sapientis, qui ait: (c) *Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Proh quot talis decepit cogitatio, dum stulto amore nimium indulgent filiis in ætate tenerâ, postea quando malum in ipsis est radicatum, illud evellere non valent. Alludit Syrach ad ramusculos arborum dum teneri sunt, qui quaqua versus flecti, & in varias figuras efformari queunt, non item inveterati; sic puerorum pravitas facilè emendari potest, non item adultorũ. Hinc idem ait: (d) *Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos à pueritiâ illorum.*

Malo suo didicerunt duo isti infortunati parentes, qui filios à primâ ætate ad bonum non allicientes tandem videre coacti sunt eos agi in malam crucem, quorum alter parenti nares, alter auriculam mordicus abstulit cum hâc increpatione: eò se illorum indulgentiâ adductos, castigatos se ab illis primâ ætate oportuisse, ut ne tam turpiter occumberent. S. Bernardinus Senensis Serm. 17. de Evang. ætern.

(c) *Eccles.* 30. (d) *Eccl.* 7.

Quid facient parentes, dum proles ad usum rationis pervenerint?

℟. Ante omnia (præterquam quòd eos docuerint pietatem, formare crucem, orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, decem præcepta, &c.) inculcent illis timorem Dei, odium peccati, sæpè sermonem instruant de inferno malorum supplicio, de beatitudine præmio bonorum; illa enim tenella ætas facilè confusè concipere potest, atq; eorum recordatione peccata cavere. Exemplum omni exceptione majus omnibus parentibus exhibuit probatus ille senex Tobias, qui filium suum Tobiam juniorem hisce instruebat: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe,* &c. Post pauca: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec avertatur à te facies Domini,* &c. In fine concludit: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Hasce verò monitiones laudabilis & sancta filii vita est subsecuta.

Sic fecit Blancha mater S. Ludovici Regis, *quem non docuit ambitiosa sequi, non equos calcaribus subigere, aut armis alienum sanguinem appetere; sed tanquam fundamentum futuræ sanctitatis timorem Dei in ejus corde construxit. Sæpè enim dicebat ei:* Cave peccata, mallem te videre mortuum, quàm con-

consentientem peccato mortifero. *Quæ monitio tantùm valuit, ut licet fuerit tantus Rex, nunquam suâ vitâ se peccato mortifero senserit inquinatum.* Surius 25. Augusti.

Mater S. Edmundi, cùm hunc filiolum suum Parisios mitteret studiorum gratiâ, timens teneræ ejus ætati, monebat sanctissimis verbis, ut puritatem & castitatem, pietatemque, quam cum lacte suxerat, conservaret. Monebat lascivam societatem tanquam pestem vitare. Monebat Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ purè & diligenter frequentare. Cùm verò indusia & alia linea ei mitteret, ciliciolum interserebat, quo carnis petulantiam coërceret. Quantos verò matris monitis in virtute progressus fecerit, ejus vita satis eloquitur, per illam enim ita in timore Dei fuit eruditus, ut ordinariè in ore gereret illud ex Anselmo desumptum : Si unâ parte peccatum viderem, ex alterâ parte infernum cum pœnis suis ; libentiùs me inferni pœnis immergerem, quàm vel unum peccatum in Deum admitterem. Surius 16. Nov. Hæc attendant Nobiles, qui ad exteras nationes mittunt filios, quos tandem mirè recipiunt depravatos, &c.

Dion. ad Alexandrum Orat. 32. refert, *Athenienses sedulò quæsivisse ab oraculo, quâ ratione optimis legibus & institutis firmarent civitatem. Ad quod respondit Numen : Beatam fore Rempubl. si liberorum auribus, quod omnium pretiosissimum est, appenderent. At illi puerorum aures pertundebant, auro & gemmis onerabant, hoc rati inaures rerum omnium pretiosissimas esse. At toto cœlo ab ore Oraculi aberrârunt; nam in aures*

in aures mysticas, salutaria monita, virtutum præcepta appendi volebat. Engelgr. Dom. 60. in Exord.

LECTIO LVI.

Ad quid præterea obligantur parentes?

℟. 1. POstquam jam ad usum rationis pervenerint proles, tenentur eas docere mandata Dei & usum Sacramentorum, vel per se, vel per alios, studiosè mittendo ad Catechismum, ubi facilius doctrinam Christianam addiscent; nec permittant eas vagari tempore illo, quo ea traditur, ne ad salutem scitu necessaria negligant.

2. Debent eas bonis imbuere moribus.

3. Curent eas liberalibus artibus instrui, vel si omninò ad hoc media non suppetunt, de honesto eis provideant opificio, ut totâ subsequentâ vitâ sibi ipsis ac Reipublicæ sint utiles.

4. Nequaquam proles ad loca hæretica mittant, ut ibidem operas suas elocent: quia præsentissimum perversionis adeunt periculum, uti quotidiana docet experientia.

5. Ad hoc summo allaborent opere, ne unquã filii aut filiæ domi forisq; otio divagentur. (a) *quia multam malitiam docuit otiositas.*

6. Procurent ne pravæ societati se adjungant, aut diebus præsertim festivis symposia frequentent; quanta enim ibi morum corruptela & salutis periculum in propatulo est: & licet ab his congressibus omni diligentiâ honesti parentes

(a) *Eccl.* 33.

filios abstrahere teneantur, maximè tamen debent prohibere filiabus, ne hujusmodi se ingerant, quia frequentissimè pudoris patiuntur naufragium, quod utinam non foret quotidianum.

7. Parentes non vanè, nec ultra statum vestiant proles suas, ne in superbiam elatæ miseræ decipiantur, & pereant, ut multis contigit.

8. Amore eas ordinato prosequantur, nunquã suam prolibus manifestent dilectionem, quam si advertant, evadent protervæ, procaces, malitiosæ. Hinc Sapiens: (b) *Lacta filium, & paventem te faciet; lude cum eo,* (scilicet per inordinatum amorem) *& contristabit te. Non corrideas ei, ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui.* Sed si videris peccantes, severè juxta delicti qualitatem eas corripe, si verè diligis. Idem Sapiens ait: (c) *Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.*

S. Greg. lib. 4. Dial. c. 18. refert, *puerum quinquennem à dæmone è patris sinu cum eo ludentis ob blasphemiam abreptum.*

Alterum duodennem cum patre aleâ ludentem, & S. Hieronymum blasphemantem item à dæmone abductum scribit S. Cyrillus in Epist. de miracul. S. Hieronymi.

Videte ergo parentes, ne stulto amore prosequamini liberos, & cum iisdem pereatis.

9. Præbeant liberis suis bonum exemplum; nam malum parentum exemplum plus valet ad depravandos liberos, quàm quævis disciplina ad

beaè

(b) *Eccl. 30.* (c) *Prov. 23.*

benè instituendos. Multos sapientissimos libros scripsit Salomon, sed filius ejus Roboam non tam ad patris libros, quàm ad quotidiana ejus vitia aspexit, ideoq; reprobus factus est. Marcus Aurelius magnâ diligentiâ curavit educari filium accitis undiq; Rhetorum & Philosophorum clarissimis Magistris; sed parum id profuit: filius enim non disciplinam sibi traditam, sed parentis vitia est imitatus. Quare non mirentur ejusmodi parentes, si videant filios suos fallere, mentiri, jurare, execrari, inebriari, ludere chartis & aleis, impudicè loqui, rixari, alios devovere, &c. hoc enim illos suo docuerunt exemplo.

Tandem caveant parentes, ne irâ correpti filiis maledicant, ac diris devoveant; quod, proh dolor! nunc frequentissimum est: si quid delinqvunt filii, continuò jurantes diabolum, patibulum, mille mortes, & alia hujusmodi imprecantur. Unde non mirum, si quandoq; tot maledictis divinam vim iictam in se & filios accersant. Audiant quæ seqvuntur parentes, & ab hujusmodi maledictis abstineant.

S. Augustinus refert, *matrem quandam Cæsareæ per iracundiam decem filiis maledixisse, maternam verò imprecationem statim efficax vindicta subsecuta est. Nam omnes corporis tremore correpti fuere & præ verecundiâ patriam relinquentes vagi per orbem exemplo suo omnibus ostenderunt, quàm pernitiosus sit maternæ execrationis effectus. Mater verò filiorum miseriam & opprobrium conspiciens, etiam desperatione funesto laqueo luctuosam vitam finivit. Post illius*

mortem, dum illi diversa quærerent remedia, quidam eorum liberati sunt, & quidem duo in præsentiâ S. Augustini ad Reliquias S. Stephani. S. Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 2.

Civis quidam Mediolanensis cùm filium rebus ludicris addictum præter consvetudinem increpâsset, & filius indignè ferens insolita patris monita obtemperare renuisset, pater his eum maledictis cœpit onerare: Egredere nequam domo meâ, nunquam te videant oculi mei, nisi fodiendum & terrâ tumulandum. *Abit filius furiis quibusdam instar Cain agitatus, fugiens paternam domum & consortium. Paulò post obvium habuit quendam debitorem, à quo cùm importunè pecuniam exigeret, à verbis ventum est ad verbera, & gravi excitatâ irâ occisus est, & in domum patris illatus mortuus. Quid pater infelix ageret? Meminit maledicti, quo filium onerârat & exasperârat. Itaque dolore ac pœnitentiâ cor paternum lancinante barbam sibi evellit, quibusdam se furiis flebiliter agitat, infelicitatem suam ita deplorat, ut vix remedio locus foret.* Hort. Past. cand. Myst. Tract. 8. lect. 12.

Narrat Surius in vitâ S. Zenobii Martyris, matrem filio febri æstuanti, & jam quadragies unâ nocte potum petenti, sic tandem impatienti irâ, cùm scyphum præberet, dixisse: Accipe, & unà diabolum bibe. *Eoque momento miserum puerum à dæmone correptum esse. Idem habet de aliâ matre, quæ à liberis malè mulctata, cùm illis diras omnes & dæmones imprecata esset, sensit non vanam fuisse imprecationem; omnes quippe statim à dæmonibus invasi in se mutuò involârunt, unguibusq; ac dentibus conscidêrunt, donec facti*

pæni-

pœnitens mater miserandos liberos ad S. Zenobium adduxit liberandos, quos Vir Dei Crucis signo liberavit, & baptismate simul cum matre omnes (nondum enim erant Christiani) abluit. Pædagog. Christ. p. 1. c. 5. §. 3.

Recens est quod sequitur, & nostrâ memoriâ, haud procul Episcopio (quod oppidum est ad Tuberim in Franconiâ Archiepiscopatus Moguntinensis) contigit, funestum sanè ab omnibus parentibus metuendum exemplum. *Anno 1655. adolescens quidam ex Kœnigheim (honestis parentibus oriundus opificio vietor) Episcopium contendit, qui in sylvâ quiescens ab alio quodam viro superveniente ipsiq; prorsus ignoto perquam humaniter salutatur, cœptumq; cum eo iter prosequitur; sed eundem vix trecentorum passuum itinere simul confecto, absq; præviâ rixâ, parvâ securi, quam fortè gerebat, crudeliter necat, eâque abjectâ Episcopium ingreditur. Propalato homicidio unâ cum cæteris cadaver lustraturus egreditur; sed occasione inventæ securis in suspicionem patrati homicidii venit, quod trepidante conscientiâ haud difficilè confessus est. Carceri igitur mancipatus à Franciscano quodam, viro admodum religioso, Conventus Episcopiensis Vicario, Superiore ordinante invisitur, à quo cùm tanti facinoris causam interrogaretur, nullam nec iræ, nec odii, nec contentionis, nec lucri allegare potuit. Tandem voluntariâ confessione admissi homicidii præmissâ, pro mortis sententiâ mittitur Herbipolim, ubi juxta delicti qualitatem parentibus, amicis, vicinisq; omnibus, ac præcipuè Capitularibus intuitu vitæ superioris innocenter laudabiliterq; transactæ*

 frustrà

frustrà intercedentibus, mitioremq́; mortem effugitantibus, durissimo rotæ supplicio justè adjudicatur, quo & tandem peremptus est, quod durum supplicii genus omnibus admirationem ingessit, quam tamen postmodum sustulit dicti homicidæ infelix mater, dum gratiarum reddendarum causâ ob spiritualia filio impensa beneficia Episcopium ad Conventum Franciscanorum accessit, quem magno replevit ploratu, siq́; tam crudelis filii mortis multis lacrymarum imbribus reum pronuntiavit. Cujus rei cùm causam interrogaretur, dicam, *respondebat,* quod res est: Ego, heu! infelix mulier ex irâ præcipite haud infrequenter, ô quoties filio meo rotam sum imprecata, sed heu me miseram! parum cogitavi illam, illam, inquam, crudelem carnificis rotam, adeoque me hisce meis imprecationibus tantum malum in filii mei caput adduxisse nullatenus dubito. Hæc ex ore Confessarii, qui testis oculatus reo ad ultimum vitæ halitum astitit, accepta fideliter transcripsi.

LECTIO LVII.

Quid præterea hoc præcepto mandatur?

R. COmprehenditur hoc præcepto honor, qui debetur Pastoribus, Sacerdotibus, & Ecclesiasticis personis. Non enim hîc solùm intelligitur pater corporalis, sed etiã spiritualis, cui honor & obedientia debetur æquè ac parenti carnis nostræ. Si enim parentibus carnis nostræ debetur honor, eo quòd ab illis habeamus vitam & alimentum corporale: quantò magis debemus illis, à quibus habemus vitam &

alimentum spirituale. *Honora Deum, ait Eccl. (a) ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.*

Cur maximè honorandi Sacerdotes?

R. Potissimùm propter officium quod exercent; gerunt enim vices & personam Christi, remittendo peccata, & conficiendo Corpus Christi. Hoc officium præstantius est officiis Imperatorum ac Regum, teste S. Ignatio Martyre, qui ait: (b) *Sacerdotium summa est omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt.* Et teste S. Ambrosio: (c) *Quantò aurum plumbo præstat, tantò Regibus dignitate præcellunt Sacerdotes.*

Cur prætereà honorandi?

Resp. Quia curam habent nostræ salutis, tanquam de eâ rationem reddituri.

S. Franciscus ita honorabat Sacerdotes, ut soleret dicere, se, si duobus Angelo & Sacerdoti occurret, priùs ad osculandas Sacerdotis manus accessurum esse, quàm ad salutandum Angelum. Pædag. Christ. p. 1. c. 6. §. 4.

Nunquid etiam malæ vitæ Sacerdotes honorandi?

Resp. Sunt utique, non tam propter se, quàm propter eum, cujus officium gerunt.

Legitur in vitis PP. lib. 5. de tem. jud. n. 1. venisse ad quendam solitarium Presbyterū cujusdam Ecclesiæ, ut consecraret ei oblationem ad communicandum; veniens autem quidam ad ipsum solitarium, graviter accusavit Presbyterum. Qui cùm ex consuetudine iterum venisset celebraturus, scandalizatus est ille solitarius, non aperuit ei. Presbyter autem hoc viso discessit. Ec-

(a) Eccl. 7. (b) Ignat. epist. ad Smirn. 10.
(c) Ambr. libr. de dignit. Sacerd. c. 2.

ecce vox facta est ad ipsum solitarium dicens: Tulerũt sibi homines judicium meum. *Et factus est veluti in extasi, & vidit puteum aureum, & situlam auream, & funem aureum, & aquam valdè bonam. Videbat & leprosum quendam haurientem, & refundentem in vas, & cupiebat bibere, & non bibebat, eò quòd leprosus ille erat qui hauriebat. Et ecce vox iterum ad eum dicens:* Cur non bibis ex aquâ hâc? quam causam habet qui implet? implet enim solummodò, & infundit in vas. *In se autem reversus, & considerans mysterium visionis, vocavit Presbyterum, & fecit eum celebrare sicut priùs.*

Quomodo potissimùm honorabo Sacerdotes?

℞. Optima praxis honorandi Sacerdotes est, petere ab eis benedictionem; talis siquidem benedictio admodum efficax est, si plenâ fide & cum devotione expetatur & suscipiatur. Hanc etiam Christiani Principes olim magnâ religione, imò & sancti viri postulârunt.

Refert in vitâ S. Antonii S. Athanasius, toties beatum Antonium licet miraculis clarum in terram solitum se prosternere, & benedictionem petere, quoties Sacerdotem ei contingebat occurrere; per eam utiq; gratiæ cœlestis in se experiebatur incrementum.

Si enim in veteri lege Sacerdotalis benedictio multiplicem fructum pariebat: quantò magis in novâ, quæ gratiâ cœlesti est uberior.

Legimus quoq; in vitis PP. Laicum quendam cùm certò nôsset Sacerdotem quendam in adulterio comprehensum, adiisse tamen confidenter eum, cùm posterâ die sacrificârit, ut ex manibus ejus Synaxin perciperet: cùmque

quo eam percepisset, petiit, ut frontem leprâ infectam cruce signaret: quod ubi Sacerdos fecisset, lepra tanquã piscis squamæ excidit, & restitutus est sanitati.

Quinam peccant contra reverentiam Sacerdotibus debitam?

℞. 1. Graviter peccant, qui Pastorum & Sacerdotum non solùm monita contemnunt; verùm etiam illis obloqvuntur, eorum vitia evulgant, amplificant, mendaciis etiam confirmant, imò scurriles cantilenas de illis in tabernis conficiunt & cantant. Hi imitantur impietatem maledicti Cham, qui ut patris nuditatem vidit, cœpit ridere, ac aliis eam ostentare. Verùm pii filii Sem & Japhet incedentes retrorsum facie aversâ operuerunt verenda patris sui. Sic faciunt mali, qui ubi vident vitia suorum spiritualium parentum, scilicet Pastorum & Sacerdotum, gaudent, rident, evulgant, aliisq; ea ostentant; sed pii & boni filii vitia eorum conantur tegere pallio charitatis, eaq; excusare. Hoc raro exemplo docuit Constantinus Magnus in Concilio Nicæno, cùm chartas accusationum contra aliquos Episcopos, sibi oblatas statim combussit, nec perlegit, adjiciens hæc verba: *Si Episcopi alicujus stuprum viderem, facinus illud imperatorio meo paludamento obtegerem, ne talis flagitii aspectus eos, qui ipsum cernerent, ullâ ex parte læderet.* Theodoretus libr. 1. hist.

2. Graviter peccant qui eis detrahunt, & lingvâ venenatâ sagittas detractionis in eos, qui uncti sunt à Domino, jaculantur, eorumque famam

mam dilacerant. David nunquam mittere voluit manum in Saulem, quem à Domino reprobatum sciebat, *quia unctus Domini est*, inquit ipse (d) *Quantò magis*, ait D. Gregorius, (e) *cavendum est, ne manum detractionis in eos, qui uncti sunt & consecrati à Christo, sacrilegè mittamus: cùm detractio talis ad Christum ipsum, quem repræsentant, pertineat Ideò dicit: (f) Qui vos spernit, me spernit.* Ideò graviter sæpè sunt puniti, qui contra Sacerdotes impiè egerunt. Miriam soror Moysis, quia murmuravit contra Moysen, (g) statim percussa fuit leprâ. Chore, Dathan & Abyron contemnentes & murmurantes contra Aaron, (h) terrâ dehiscente cum suis familiis sunt absorpti.

(d) 1. *Reg.* 24 (e) *lib.* 31. *c.* 31. *& lib.* 25. *Moral.* c. 22. (f) *Luc.* 10. (g) *Num.* 12. (h) *Num.* 16.

LECTIO LVIII.

Quid ulteriùs hoc præcepto comprehenditur?

℟. COmprehenditur etiam honor, quem debent juniores senibus, servi heris. De senibus quidem habetur Levit. 19. *Honora personam senis, & coram cano capite consurge*, quia in senibus præter excellentiam ætatis, cui honor debetur, est etiam excellentia experientiæ & prudentiæ ex ætate longiori. Contra hoc peccatum graviter peccant, qui eos irrident, contumeliis appetunt, ac subsannant, qui fortè ubi in mulierem seniculam, incurvatam, & paupegem inciderint, aut minimam molestiam ab eâ acceperint, statim verbis ejus ætatem aggredi-

untur, vociferantes illam antiquam sagam, meretricem, &c. Tales considerent quid 4. Reg. 2. contigerit quadraginta duobus pueris, qui calumniis & irrisionibus Elisæum Prophetam invaserunt, acclamantes ei: Ascende calve; & ab urso è nemore egredienti devorati sunt.

Ad quid obligantur servi & ancillæ erga heros?

R. Debent heris honorem & reverentiam. Unde Paulus: (a) *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Contra hunc honorem peccant, qui non obseqvuntur Dominis suis. 2. Qui secreta domus statim propalant, ac Dominis suis detrahunt, contemptim de iis loqvuntur, eosq; irrident. 3. Qui opera sibi imposita non fideliter exeqvuntur, otiando, dormitando, mandata negligendo; ad hoc enim solvitur eis merces, ideo tenentur fideles esse Dominis suis.

Qualis meritò servus erga Dominum sit oportet?

R. Præclare id emblemate expresserunt Veteres. Pingebant enim servum pileatum rubro pileo, eleganti interulâ vestitum, aures habentē asininas, cervinos pedes, dexteram tenentem erectam, & in palmam explicantem. Pileus significat, libero & liberali eum debere esse ingenio. Interula significat, eum continuò operi intentum esse debere. Auriculæ asininæ significant, eum multa patienter & dura debere sustinere. Cervini pedes notant celeritatem in exequendis mandatis. Dextera erecta significat fidelitatem in tractandis rebus & negotiis heri,

(a) *ad Ephes. cap. 6.*

fideli-

fidelitas enim præcipuum est donum servorum & ancillarum, hanc solent honesti parentes liberis suis sæpè inculcare, dum operas suas aliis elocare volunt, dicentes: Esto probus & fidelis. Ein reine Hand durchwandert alle Land. Item: Frommigkeit ist ein schönes Kleid / wie mans länger trägt / wie es besser steht. Unde apud Plutarchum laudatur quædam ancilla, quæ cùm se offerret ad serviendum, interrogata quid sciret, respondit: *Fidelis esse.*

In quibus famuli & famulæ debent esse fideles heris, & in quibus non?

℟. 1. In omnibus, quæ spectant ad ipsorum famulatum, ad quem conducti sunt, & cujus intuitu recipiunt mercedem. 2. Nullo verò modo debent obtemperare Dominis mandantibus aliquid, quod sit contra Deum & animæ salutem, ne ipsorum peccatis participent. In hoc delinqvunt servi & ancillæ, qui dum heri inimicitias fovent contra proximum, ipsi fideliter juvant eos in detrahendo ipsorum famæ, falsum testimonium dicendo in gratiam Dominorum. Item, qui mandanti Domino obtemperant, ut innocens patiatur. Item, qui promovent peccata Dominorum aut Dominarum, suo auxilio & interpositione. Denique, qui chartulas provocatorias ad duellum scientes ad provocatum deferunt.

Quod est Dominorum erga servos officium?

℟. Sicut servorum est, obedientiam, honorem & fidelitatem exhibere Dominis; ita hi vicissim illis prudentiâ, exemplo & mansuetudine

præ-

præesse debent. Sic illos hortatur Apostolus ad Ephesios 6. *Et vos Domini eadem facite illis, emittentes minas.* Contra hoc peccant, qui familiam inordinatis minis & rixis, imperiosisq; clamoribus, nec non verbis aut verberibus divexant potiùs, quàm emendant. 2. Qui ex odio & inviadiâ famulos & ancillas (dum aliis servire intendunt) falsis rumoribus, seu aliis modis diffamant, ut operas suas commodè aliis elocare non possint. 3. Qui nullam gerunt curam salutis subditorum, dum vident famulos & ancillas luxuriæ, mendaciis, blasphemiis, compotationibus, nocturnis grassationibus, aliisq; peccatis addictos, nullo modo eos corrigere student, hoc solo contenti, si præscriptum perficiant laborem.

Teneturne heri emendare malum, quod in familiâ grassatur?

℟. Si spes emendationis affulgeat, illud utique emendare tenentur etiam verberibus; si verò spes emendationis non sit, & excessus sit gravis & damnosus, ejicere debent talem famulum aut ancillam è domo, ne alii ejus exemplo scandalizentur, ipsiq; eorum peccatis participent.

S. Mariæ Ogniacensi sub Missæ sacrificio pro matre defunctâ oranti apparuit illa, seq; æternis addictam flammis dixit, quòd domesticos liberiùs peccantes non corripuisset. Ex Jacobo Vitriac. Card. in vitâ S. Mariæ Ogn. lib. 3.

Quid tandem tenemur Principibus & Magistratui?

℟. Debemus quoq; illis debitum honorem & obedientiam. (b) *Qui resistit potestati, Dei ordina-*

(b) *Rom.* 12.

dinationi resistit. 1. ergo tenentur subditi eos honorare, omnia felicia eis precari, pro eis orare ut benè regant. 2. Benè de eis loqui, eorum actiones in melius interpretari. 3. Tenentur eis tributa & justa vectigalia sine fraude persolvere, quia sine talibus communibus subsidiis Rempublicam perfectè administrare nequeunt.

Qui ergo peccant contra eos?

R. 1. Qui rebelliones & conspirationes verbo vel exemplo suscitant. 2. Qui eos temerè judicant, malè de eis loqvuntur, aut eis detrahunt. 3. Qui non solvunt quod justè eis debent, &c.

Deniq; mandatur honor debitus Præceptoribus, quos Studiosi revereri, amare & honorare tenentur, eorumq; monitis obtemperare. Contra eos peccant, dum eos irrident, obloqvuntur, subsannant, detrahunt, contumeliis afficiunt, iisdem se opponunt, &c. Peccant item parentes, qui Præceptores objurgant, dum liberos suos virgis exceperunt, adeoque ab ipsorum disciplinâ eos abstrahentes tandem carnificibus sæpè plectendos tradunt.

Hoc benè advertant parentes, dum pueri se castigatos sine causa conquæruntur, ut iis non condoleant exteriùs, ne, dum id advertant pueri, vitæ licentiori se tradant, & paulatim per hoc jugum excutiant disciplinæ; sed si liberorum profectum desiderant, vulneribus, quæ virga Præceptoris inflixit, emplastrum divinum ex betulis confectum & ipsi superimponant, sicque ad Scholas remittant, perfectè curabuntur. Probatum est.

LECTIO

LECTIO LIX.

V. PRÆCEPTUM.

Non occides.

Prohibeturne hoc præcepto omnis occisio?

R. NEquaquam, sed solùm injusta, quia justa licita est: imò præcepta, quia malefactores, & ii, qui Reipublicæ sunt pernitiosi, jubentur occidi. Item in bello justo licet occidere hostes suos. Deniq; licitum est occidere invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, si non possim aliter tueri vitam, nisi injustum invasorem occidendo, sine peccato possum occidere. Si tamen fugiendo, vel aliâ viâ possim me salvare, non debeo occidere, &c.

Quæ ergo occisio hoc Præcepto prohibetur?

R. Solùm prohibetur injusta & voluntaria occisio, quæ gravissimum est peccatum inter ea, quæ in proximum committuntur; hinc vindictam in cœlum clamare dicitur, as Deus illius vindex est.

I. Quia Deus illud propalat. 1. Per naturale illud miraculum, quod experientiâ compertum dicitur, quòd scilicet si occisor venerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem sudent; idq; non tantùm fieri animadversum est, cùm recenter quis occisus est, sed etiam cùm à multis diebus. Ita videtur Deus providentiâ particulari voluisse

se indicare, sanguinem effusum vindictam ab homicidâ petere. 2. Propalat illud etiam per animalia irrationabilia. Duo exempla refert Plutarchus, quæ subjicio.

Pyrrhus Rex in itinere canem offendit, qui Domini sui jugulati corpus servabat; auditoq́ quòd triduo sine pastu illic perdurâsset, cadaver humari, & canem secum abduci & curam ejus haberi mandavit. Paucis post diebus Rex lustrabat copias suas, militesq́ coram Rege transibant, aderat canis quietus, qui ut Domini percussores conspexit prætereuntes, cum latratu & irâ procurrit in illos, subinde se circumagens ad Regem. Itaq́ comprehensi extemplò, & quæstione examinati, cùm indicia aliunde accesissent, cædem confessi puniti sunt. Plutarch. de Solert. Anim.

Idem refert, *cùm in latrones Ibicus quidam Poëta incidisset, & ab illis occideretur, grues fortuitò supervolantes obtestatus est sceleris testes. Aliquanto post tempore cùm latrones illi in foro sederent, rursumq́ grues supervolârent, ridebant illi, & per jocum susurrabant inter se in aurem:* Ecce ibi sunt grues, Ibici ultores. *Audientes aliqui astantium hunc sermonem, in suspicionem inducti sunt alicujus latentis sceleris, quia jam pridem Ibicus quæsitus non reperiebatur. Rogati ergo quid sibi vellent sermones isti, hæsitanter & inconstanter primùm responderunt, subjecti tormentis scelus confessi sunt, atq́ ita gruum indicio pœnas dederunt.*

Frequenter specialibus miraculis scelestos homicidas Deus detexit, uti notissimum est ex Ecclesiasticis historiis.

Admirabile est, quod in vitâ S. Walburgæ refertur

fertur apud Surium 1. Maji. *Accidit nuper res mira & propè incredibilis, nisi multorum testimoniis fulciretur. Anno, quo dira fames multos pressit, duo inopes ejus vitandæ causa peregrè profecti sunt, illis autem quidam ex longinquâ regione comitem se adjunxit; interrogatus ab illis quò tenderet? respondit ad S. Walburgam religionis gratia se proficisci. Dicunt & illi se illuc pergere. Cùm ergo in itinere paululum quievissent, illi hominem innoxium crudelissimè jugulant. Sed cùm anxii essent quid de cadavere facerent, tandem alter in suos sustulit humeros, in aliquem locum invium projecturus. Ecce autem dum conatur à suis deponere humeris, tam tenaciter sibi adhæsit, ut nullâ vi potuerit avellere. Mirè ergo cruciatus infelix, videns se facinus suum celare non posse. Interim fit ei amicus quidam obvius, qui viso cadavere admirans sciscitatur quid hoc esset? ille rem aperit, & orat, ut suæ calamitati velit misereri, non cunctatur ipse, districtoq; ense brachia cadaveris hominem fortiter amplectentis nititur dissicare; sed novo miraculo, dum cadaver attingit, etiam ipse tenacissimè adjunctus est cadaveri, & homini illud ferenti, ita ut se ab illis abstrahere non posset. Ductus ergo pœnitentiâ cum lacrymis, Deo & S. Walburgæ vota nuncupat. Unde absolutus est ab horribili nexu. Non tamen deseruit illum miserum, sed ad Rheni littus usque comitatus est. Quò cùm ventum esset, non ferens alter tum cadaveris pondus, tum intolerabile dedecus, in Rhenum se præcipitem dedit, sed tam immanem homicidam Rhenus non sustinens, illum cum cadavere in littus evomit. Terrefactus alter, ad S. Walburgæ monasterium celeriter advenit, gesta nar-*

rat, paratus jurejurando confirmare. Viderunt multi hunc tali sarcinâ cadaveris onustum, ut ambigi non possit falsum & commentitium id esse. Surius Tom. 3. 1. Maji.

Licetne sibi inferre mortem?

℞. Nequaquam, gravissimum quoq; peccatum est, contra naturam, ac tales ex hâc vitâ in mortem æternam se cum Juda præcipitant.

Dices: legimus tamen quasdam sanctas virgines, quas Ecclesia colit, sibi ipsis mortis causam fuisse.

℞. Hoc fecerunt vel per ignorantiam inculpabilem. quia id quibusdam casibus licitum putarunt; vel ex speciali Dei inspiratione, ut docet S. Augustinus, (a) qui & refert pium strategema, quo usa est virgo Euphrasia, de quâ Nicephorus: *Hæc Nicomediæ degebat tempore Diocletiani, eamq; à fide avertere moliebantur persecutores; illa verò mori potiùs eligebat, quàm à fide deficere. Putârunt illi, si libidini semel indulsisset, faciliùs vincendam, ideoq; in lupanar detruditur. At illa impudico adolescente ingrediente orabat Deum pro castitatis tutelâ, simulque optabat martyrii gloriâ potiri; excogitavit ergo piam fraudem, cùm Christiani veneficiis & magiæ dediti haberentur, dixit huic adolescenti: Si mihi parcas, & intactam relinquas, docebo te pharmacũ, quo perunctus in prælio nullo telo vel ferro lædi poterũ; quod si dubites, in meipsa id experiri poteris. Ille promisit, si ejus rei fidem faceret: illa ergo ceram oleo infusam manibus subigit, & collum ungit. Nunc ergo ense collam*

(a) *lib. 1. de Civit. Dei cap. 22.*

collum toto conatu feri, & effectum videbis; ille validissimè ensem intorquens caput ei praescindit, & sic ipsa & virgo & martyr permansit. Niceph. lib. 7. hist. c. 13.

Licetne sibi mortem optare?

Resp. Non licet sibi optare mortem ex impatientia, desperatione, aut alia passione inordinata; sed licet ob desiderium vitae beatae, aut ad finiendas miserias corporales, quae multa creant pericula animae.

Quinam peccant contra hoc praeceptum?

℞. 1. Qui aliis deliberatâ voluntate optant mortem ex irâ & odio, &c. 2. Qui consilium dant, ut proximus occidatur, & ad hoc impellunt, homicidii rei sunt. 3. Qui procurant abortum per herbas aliasq; medicinas, & ad hoc consilium & auxilium dant. 4. Viri, qui enormiter uxores percutiunt. 5. Mulieres, quae sunt causa abortus ex gravi negligentia, seu per intemperantiam, gravem iram, tripudia, & gravia onera, quae omnia cavere debent, aliaque, ex quibus periculum foetui imminere potest. 6. Qui per negligentiam infantes in eodem lecto secum dormientes suffocant, estque hîc gravitas juxta gravitatem negligentiae metienda, nec excusationes hîc facilè admittantur, cùm res sit plena periculo, adeòque nunquam infantes ex stulto amore ad suum lectum matres admittant, quia facillimè vel ad ubera materna haerentes, vel stragulo, aut brachiis dormitantium opprimuntur. 7. Qui graviter alios percutiunt. 8.

Qui odium mortale gerunt in corde, & voluntate n nocendi proximo.

Suntne licita duella inter nobiles & milites?

Resp. Nullo modo sunt licita, sed omnibus maximè Christianis abominanda: quia sunt fabricante diabolo introducta, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, id Concil. Trid. Seff. 25. c. 19.

Licetne comparere provocato in duello?

Resp. Non licet: peccat enim uterq; gravissimè, tam provocans, quàm provocatus, si compareat; uterque etiam est excommunicatus, & quicunq; in duello occiditur, recta ad inferos æternùm cruciandus tendit, nec in loco sacro sepeliri potest.

Dices: Aliter honorem meum tueri nequeo nisi comparendo.

R. Alii sunt modi tuendi honorem, quos vide apud Casuistas. Sæpè tamen inter homines mundanos imaginarium hoc punctum honoris pluris æstimatur, quàm æterna salus. Certè magna dementia & fatuitas & cæcitas est, pro puncto honoris se vitâ privare, & æternis tormentis æternoq; opprobrio se subjicere voluntariè.

Licetne spectare duella?

Resp. Nequaquam: quia dum adsunt spectatores, plerumq; magis ad mutuam cædem incitantur duellantes, ideoq; etiam hi sunt excommunicati: cui etiam censuræ subjacent omnes fautores, consiliarii, patroni, scienter deferentes literas provocatorias, & quocunq; modo ad illud

concurrentes, aut in suis dominiis & terris illud permittentes, &c.

LECTIO LX.

VI. PRÆCEPTUM.

Non mœchaberis.

Quid sexto præcepto prohibetur?

R. NOminatim vetatur adulterium. Implicitè autem omnis illicitus concubitus extra matrimonium, & omnis illicitus & inordinatus, sive etiam innaturalis usus vel contactus membrorum, qui fit ad provocationem illicitæ voluptatis, & causâ experiendæ venereæ delectationis. Ubi contingit sæpè peccata fieri gravissima, à quibus maximè cavendum est: propter quæ Sodoma & Gomorrha cum omnibus incolis, & regione circumjacente in abyssum corruerunt. Vitia propria Idololatrarum, *quibus*, ut S. Hieronymus inquit, *Græci & Romani gravissimè laborârunt, donec Christi Evangelio coruscante & infidelitas universarum gentium & turpitudo sublata est.*

Estne adulterium grave peccatum?

Resp. Est sanè, nam 1. Adulter injuriam facit Sacramento. 2. Frangit fidem ac juramentum, quod dedit conjugi in facie Ecclesiæ. 3. Quia adulteri faciunt injuriam prolibus legitimis, dum illegitimi ex adulterio nati legitimis succedunt, eorumq; hæreditati participant: quæ

injuria gravis est, ad quam injuriam compensandam tenentur tum adultera, tum adulter.

Secundò patet ejus gravitas ex pœnis, quæ adulteris decretæ sunt, præsertim ex parte DEI, quales sunt gehennæ ignis, & exclusio à regno cœlorum. *Fornicatores & adulteros judicabit Dominus,* (a) q. d. licet illi judicium humanum possint effugere, tamen judicium Dei non effugient. S. Apostolus ait: (b) *Neq; adulteri regnum Dei possidebunt.*

Solet etiam quandoq; gravissimè Deus punire adulteros in hâc vitâ; ut patet ex pluribus historiis, unam subjicio.

Metuendum omnibus adulteris exemplum Deus statuit in viro scelerato, qui conscendens equum rogatus fuit ab uxore honestâ matrona, quònam iret? Rectâ, *inquit,* ad lupanar, *& eò tendebat; expletâ libidine eodem equo domum versus revertitur, sed non diu: siquidem efferatus furensq; equus hominem primùm ephippio excutit, dein stapide frænisq; loris altero hærentem implexum pede, tanto rapit per stratam lapidibus viam impetu, ut frequenti fortiq; capitis illusione difflueret cerebrum, nec à cursu abstinuit furens bestia, quàm lacerum cadaver infami, unde paulò ante libidine conspurcatum acceperat, loco stiterit.* Pædag. Christ.

Horrendum magis quod sequitur, & contigit nostrâ memoriâ. *Siculus quidam Dynasta honoribus, opibus, uxore etiam dives, omnia à Deo accepit, quæ sensum mulcere possent. Sed enim ut dicitur:* Aliud homini satis est, aliud humanitati. *His ille superbus*

(a) *Hebr.* 13. (b) 1. *Cor.* 6.

perbus tantùm non satur, uxori pellicem superinduxit, cum quâ adulterium tot annis obstinavit. Sed patientia Dei quàm laboraret in ferendâ hujus hirci lasciviâ, gravissimo morbo admonuit eum officii. Quum ergo miser vicem voluptatum redderet, & laboraret ferendo, uxor quanquam aliàs exulcerata viri perfidiâ, sed immemor injuriæ, memor pristini convictûs, Fratrem Innocentium à Clusis Laicum Franciscanum, qui in Conventu S. Petri Montis Aurei ad Janiculum nostri Ordinis, strictæ observantiæ fatis concessit Anno 1631. quem Deus pluribus miraculis illustravit, accedens supplicibus votis oravit, ut conaretur divinam iram, id est, morbum à marito avertere: posse enim hoc, quando vellet, prece impetrare. Innocentius suam operam pollicitus, præstitit, & infirmum ipsum invisens seriò admonuit, ut si postliminium optaret sanitati animæ, iret consultum per exomologesin scelerum, Eucharistiæ esum atq; imprimis pellici repudium daret. Ille expugnatus dolore sanitatem omnibus votis exposcens omnia spopondit, atq; ipsâ re effecit. Sed paulò post lubricante animo, & invitante voluptate, post aliquot menses ipse ad vomitum, pellex ad ipsum rediuit. Quod cùm didicisset Dei servus, huic Dynastæ aliquando obvius, traxit eum in partem, & acer increpavit, quòd accepto beneficio ingratus vomitum resorbuerit, addiditque, ni quantocius resipiscat, imminere horrendam vindictam: sed enim: Perversi difficilè corriguntur; (c) omnia ei aures, non animum imbuerunt; quin toties consulentem ludibrio, pellicem in delitiis habuit. O factum malè! nempe apud Deum patientiæ locum ita occupavit,

(c) Eccl. 1.

quæ hunc furenter invadens lecto ægerrimum affixi Non multa: conclamatus erat, adeoq; à medicis fata lem sententiam accepit, & nihilominus uxor melio viro digna Fratrem Innocentium rursus suppetias p stulavit. Sed responsum tulit ægri pervicaciâ dignum præjudicatum esse remediis, neq; superesse ei gratiam cœlo expectandam. Ipse autem Innocentius cùm dein pro more excubias in Ecclesia ageret, excepit strepitum quasi turmæ equitum, quæ sonoro tumultu nescius qu propearabat; ibat autem trans Ecclesiam, in quâ ille o rabat, qui supremo lumine edoctus equites infernales es se, fecit reserari Ecclesiæ fores, unde exactè prospiciens aciem dæmoniorum, adjuravit animosè eam ex parte Dei omnipotentis, ut [illegible] qui essent? Et illi: Dæmones, inquiunt, sumus. Et Frater Innocentius: Quid jam acturi? Imus, ajunt, vectum hunc Dynastam, qui jam animam agit. Et Innocentius: In regressu huc divertite; quod & fecerunt. Sed interim irruerunt in aulam Principis, tum etiam in cubile ubi ipse accumbebat, atq; inde tumultuariè elevantes eum velut saccum frumento gravem imposuerunt ipsorum uni, quem huic oneri ferentarium equum reddiderunt. Remensi autem iter ad Fratrem Innocentium redierunt: quem cùm ille infelix sarcina aspexisset, stridens & ejulans advocavit inquiens: Adjuva Frater Innocenti; sed hic: I, inquit, maledicte, Deus te diris devovit, quas ego etiam ex ipsius parte augeo. Quæ verba vix explevit, cùm protinus terra subtus hiavit, & adulterum sorbuit, animam ac corpus complexa. Neque tamen hic deferbuit Dei ira, quin posthumum honorem ejus depasta vetuit funus illius ex

more nedum apparuit ullo efferri. Nempe uxor & amici, infamiæ avertendæ statuerunt sarcophagum ruderibus, aut aliâ suburrâ repletum, tanquam cadaver ejus includeret, honorificè efferre. Sed olfecit astum Innocentius, qui viduam accedens : Cave, *inquit,* hoc tentes, certè enim non impunè tentabis ; vult enim Deus tam pertinax scelus non morte modò, sed infamiâ etiam mulctari. *Quibus territa illa incepto destitit, & universam insulam occupavit damnati Principis pœna, quæ etiam post busta in ipsum nomen & auram ejus sæviret.* Ex vitâ ejusdem F. Innocentii R. P. Bonaventura Baro, Ordinis S. Francisci Reformatorum Philosophiæ & Theologiæ Generalis & Emeritus Professor, Eminentissimi Cardin. Ludovisii Theologus Hybernus.

Attendant hoc conjugati, & intelligant quàm periculosè mutuum Sacramentum rescindant. Adulteri in lege veteri ex Dei mandato lapidibus obruebantur. (d) Quæ verò adulteros post hanc vitam sequatur pœna, pluribus id revelationibus Deus demonstravit.

Legitur in libro de septem donis, quòd quidam valdè bonus homo, sanctæ vitæ, & bonæ conscientiæ, cùm per quindecim annos de sorore suâ mortuâ multum solicitus esset, eleemosynis & orationibus insistens scire cupiebat in quonam statu esset. Illa ei apparens dixit : Sequere me. *Et dum ille sequeretur eam, videbatur subitò mulier mutari in serpentem horribilem. Cùm autem ipse timens fugeret, ait mulier :* Noli timere, jam videbis quid factum sit de me ; *ducens autem eum in domum* *teter-*

(d) *Levit.* 20.

teterrimam, in quâ vidit perhorrescendos dæmones, apportantes sartaginem igneam, in quam projecerunt animam cujusdam concivis benè noti, & animam uxoris cujusdam alterius etiam sibi noti, & ibi versabantur, & comburebantur sine intermissione, & sine fine in bullienti metallo. Et ait mulier : Cum istis, quos vides, & benè novisti dum viverent, ego torquerer modò, nisi à peccato meo me divina misericordia per pœnitentiam revocâsset; ipsi enim legitimo thoro relicto amore adulterino sibi invicem adhæserunt, sed illis in peccato suo morientibus Christus pœnitentiam meam suscepit, *& hæc dicens evanuit.* Spec. Exempl. d. 9. exempl. 5.

Refertur in vitâ S. Dominici mulierem quandam de viro suo adultero se vindicare, ac consimili luxuriâ polluere statuisse, nocte insequenti hanc habuit visionem: pœnas namq; inferni conspexit, in quibus adulteri igne & sulphure circumdati, dæmonibusq; cincti cruciabantur, & cùm ardenti metallo perfunderentur, gravissimè ejulabant, ac furiis agebantur, eò quòd mors ab eis recederet. Similiter ardentem conspexit fornacem suo præparatam marito. Cùmque evigilâsset, sanctum adit Dominicum, eiq; per ordinem visa narravit, à quo acceptum Rosarium ex mandato viri sui pulvinari supposuit. Quo facto Viro Dei orante, maritus eandem, quam uxor visionem conspexit, ad quam adeò exhorruit, ut abjurato prioris vitæ instituto deinceps suæ adhærens uxori post hæc castè vixerit. In histor. S. Domin.

Patet quoq; ejus gravitas ex pœnis civilibus adulteris decretis; nam variæ nationes varias adulteris statuerunt pœnas: apud multas capitali sen-

sententiâ plectebantur. Judæi adulterum lapidatione puniebant. Aurelianus adulterum duarum arborum inflexis capitibus, & ad pedes relegatis, moxq; dimissis, ut intervulsus utrimq; propenderet. Saxones adhuc Pagani adulteram se strangulare cogebant, & super bustum illius incensæ adulterum suspendebant. *S. Bonif. in Epist. ad Ethib.* Ægyptii adulteros virgis cædebant ad mille plagas, adulteras naso truncabant ad perenne dedecus. *Siculus l. 1. c. 6.* Germani adulteram in foro omnibus ridendam exponebant, deinde asino per totam urbem circumvehebant, ut totâ vitâ esset infamis, *teste Plutarcho.* Mahumetes adulterum publicè castigari ad centum ictus sanxit. Brasilienses verò adulteras vel occidunt, vel tanquam servas vendunt, *teste Osorio.* Quàm severè Otto III. Imperator in uxore propriâ adulterii crimen castigârit, sequens docet historia. *Comitem Murinensem perditè amabat ejus conjux Maria Regis Aragoniæ filia, & jam aliquoties ad turpe facinus sollicitaverat procax, sed semper conatu irrito. Igitur verso in furorem amore impurissima mulier ipsum tentatum in se à castissimo viro flagitium per summam calumniam comminiscitur, ad Imperatorem defert, & capitis sententiam extorquet. Bonus Comes nullum iniquæ mortis videns effugium, conjugi suæ lectissimæ fœminæ suam testatus innocentiam obsecrat, ut spectantibus omnibus cum amputato mariti capite nudis pedibus ardenti in ipsa rogum futura testis innocentiæ, animi fidens subiret. Subiit, hæsitâq; mediis in flammis illæso ab igne ma-*

viti capite, ipsa intacta fidelis conjux. Quo spectaculo commotus Imperator, impiam conjugem in accensum rogum vivam projici jubet. Lib. 2. Chron. Imp.

LECTIO LXI.

Quid præter adulterium hoc præcepto prohibetur?

℟. NOmine mœchiæ omnis luxuria prohibetur, quæ est appetitus inordinatus impuræ ac libidinosæ voluptatis, cujus variæ sunt species: ut fornicatio, incestus, sacrilegium, sodomia, &c. quæ omnia gravissima sunt peccata contra hoc præceptum, hominemque æternæ damnationis reum constituunt, teste Scripturâ: (a) *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Magnum sanè periculosumque homini, præsertim Christiano malum luxuria, & præ omnibus studiosè fugiendum, gignens ex se mentis cæcitatem, inconsiderationem, inconstantiam, præcipitationem, amorem sui, odium Dei, desiderium hujus vitæ nimium, mortis, futuriq; judicii horrorem, ac felicitatis æternæ desperationem, reddens hominem Deo & Angelis abominabilem, commutans animam ad Dei similitudinem formatam in formam dæmonis absurdissimi. Quantum verò malum sit luxuria, & quàm deforme sit coram Deo, in quodam milite divinitùs est demonstratum, *qui de latere conjugis de nocte consurgens, completo cum alienâ flagitio domum lunâ lucente redibat, cujus faciem per fenestram uxor contemplata horrificè clamat: ad cujus clamorem ancilla domûs & famuli concurrentes, mox ad contuitum*

(a) 1. Cor. 6.

Domini pariter clamaverunt, quasi à conspectu dæmonis deturpati. *Quod ut miles vidit, animadvertis faciem suam a propriâ formâ recessisse, & divino judicio secundùm vilitatem peccati confusionis ignominiam induisse.* *Ergo ubi delituit usq; mane, properat versus Ecclesiam, ut confessus Sacerdoti formam propriam recipere mereretur.* *Cui cùm vaccæ & pecudes villæ procedentes ad pascua longius obviarent, mox diros dedêre mugitus, & conterritæ quò possunt diffugiunt, idem pastores & obvii quiq; fecerunt.* *Sacerdos autem in ostio Ecclesiæ ad divinas horas residens, mox ut illum vidit, signavit se, & intrans Ecclesiam ostium post se clausit.* *Tunc miles prosternens se ante fores Ecclesiæ:* Miserere, *inquit,* Pater sancte, miserere miserrimi peccatoris, non enim sum ille qui videor, sed hoc mihi peccatis meis exigentibus accidit, ut in me larvalis hæc facies videatur, sed pœnitenti injunge quod vis, & sic de me, quod Deus voluerit, expectabo. *Nec mora, ubi miles cum mirâ contritione & lacrymis est confessus, continuò larvalis illa facies est detersa, & propriam faciem cum suâ integritate recepit.* Ex lib. 2. apum Cantiprat. cap. 39. p. 40.

Denique, luxuria hominem privat beatitudine, obnoxium facit æternæ damnationi, Deum reddit iratum, &c. *Fornicatoribus* &c. *pars erit in stagno, ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* (b) Hinc omnes luxuriosi benè considerent dictum S. Gregorii: *Momentaneum, quod delectat, æternum quod cruciat.* Verè momentanea voluptas

(b) *Apoc. 21.*

ptas fu ...osum est, post quam manet cruciatus qui non morietur; ideò quisq; fugiat luxuriam, aut si eâ inquinatus est, dignos faciat pœnitentiæ fructus, ne ob eam igne inextinguibili pro cantillâ voluptate æternùm crucietur.

In Indiæ Orientalis urbe Itata circa annum 1590. puella quædam Catharina nomine clandestinis libidinibus assueta, de illis verbum nullum ad Confessarium referebat. Igitur cùm in periculosum morbum incidisset, & à Sacerdote Societatis Jesu visitata, deq; accuratâ confessione instituendâ commonita fuisses, instituit eam quidem novies, sed semper sacrilegè id agente, ut uni ancillarum ipsa retulit, diabolo (qui ad levam adstabat decumbenti) ut libidines suas tanquam nullius momenti res occultaret, de vulgaribus se accusaret, licet eodem tempore S. Maria Magdalena ex dextero latere contrarium suaderet. Quâ de re monitus Pater cùm ad moribundam rediisset, & graviter admonuisset, nihil tamen ageret, extincta est puella, quæ paulò post uni è domo, spectaculo flammis horribili visa, narravit se ob tela luxuriæ peccata æternis addictam suppliciis, & jussu Dei missam, ut ejus exemplo saperent alii. Quod idem confirmavit De Angelis, jussitq; ad aliorum exemplum evulgari. Pædag. Christ. de Conf. c. 13. §. 4.

LECTIO LXII.

Quæ sunt luxuriæ species?

Resp. VAriæ sunt ejus species, de quibus valdè cautè agendum est coram juventute, ne scandalizetur, & ea quæ ignorat, addiscat, quod plerumq; fit, dum nimi-

cum ad particularia descenditur; hinc quivis secundùm rei exigentiam providè & discretè in hâc materiâ explicandâ procedet. Sunt autem *Fornicatio*, quæ est concubitus soluti cum solutâ ex mutuo consensu. *Incestus*, qui est congressus cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum. *Sacrilegium*, est actus venereus personæ Deo sacræ, vel personæ non sacræ circa personam sacram opus turpe. *Sodomia*, quæ est congressus duorum ejusdem sexûs. *Bestialitas* est coitus hominis cum bestia, &c. Et hæc est gravissimum inter omnes luxurias peccatum, & utinam non admodum frequens foret, sicut & Sodomia, & cætera enumerata, quæ omnia sunt peccata mortalia excludentia à regno cœlorum, teste Apostolo: (a) *Nolite errare: neq; fornicarii, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt.* Inter gravissimas tamen luxurias, quæ passim committuntur, haud infimum locum obtinet *pollutio voluntaria*, quæ proh dolor! inter homines frequentissima est, gravissimumq; peccatum, de quo loquens Apostolus: *Molles* (sic huic vitio turpissimo addictos vocat, sive nupti illi sint, sive non sint; sive mares, sive fœminæ) *regnum Dei non possidebunt.* Gravis est de hoc peccato Doctorum censura & sententia.

Cardinalis Toletus lib. 5. Instruct. Sacerd. cap. 13. ait, esse omnium peccatorum emendatu difficillimum, quia coram semper est in promptu peccati materia & occasio. Tam autem esse uni-

(a) 1. Cor. 6.

versale, ut nulla alia ex causa plures ad inferos devolvi arbitretur.

Ejusdem sententiæ fuit olim Thomas Cantipratanus, additq; Joannes Benedicti in sextum Decalogi præceptum, post eundem Cantipratanum, & Conradum Clingium (incertum experientiâ ne, an relatione cognitum) nullum, qui 33. annos in execrandi hujus vitii habitu, & quâdam velut possessione vixerit, (nî mira, rara, & extraordinaria Dei gratia ei succurrat) ad frugem redire posse. Hæc Pædagogus Christ. c. 7. de luxur. §. 4.

Vidit S. Christina aliquando in spiritu mundum hoc peccato pollutionis plenum & obrutum, ideoque Deum toti mundo gravissimas intentare plagas. quas ut averteret ipsa, miris & horrendis modis & pœnis se excruciavit. Cornel. à Lap. in c. 38. Gen.

Refert Cantipratanus lib. 8. Apum. cap. 3. §. 8. habuisse se sodalem pudicum & bonum, sed postea à Magistro suo per hoc vitium depravatum; quem cùm sæpiùs admonuisset, cur ipse tantæ nobilitatis vir talis turpitudinis infamiam pateretur? Cessavit ipse pluries, sed semper iterum in pristina labebatur. Ad hunc igitur eventum res pervenit. Venerunt ad eum in civitatem, in quâ erat Canonicus, viri nobiles ejus consanguinei, & apud eum hospitati sunt cum multo servientium comitatu; factâ autem cœnâ cùm se locatis hospitibus juvenis sopori dedisset, vix clientibus soporatis terribiliter clamare cœpit, & auxilium fortiter invocare. Ad Domini ergo clamores turbati clientes surgunt, & vacationem nullam ejus in clamoribus advertentes, Canonicos

& De-

& Decanum accersunt. Concitus ille venit, & ad lectum accedit clamantis, confiteri peccata juvenem hortatur, & divinum non humanum auxilium invocare. Hæc cùm Decanus magnis ei vocibus inclamaret, tandem post diutinam Decani clamantis vocem eum terribilibus oculis inspexit dicens : Væ illi qui seduxit me! ad quid divinum super me auxilium invocabo? ecce jam video patulum infernum, præsentes dæmones, & ad rapiendum me terribiliter inhiantes. *Cumq; omnes ut se potiùs signaret, cum lacrymis inclamarent, ille quasi nihil advertens clausis oculis faciem avertit, & cum diris clamoribus animam exhalavit.* Ex Pædagog. Christ.

Igitur quisquis huic vitio assuevisti, hujus & aliorum exemplo sape, quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

LECTIO LXIII.

Quid prætereà hoc præcepto vetatur?

℞. PRohibentur quoq; tactus, oscula, & aspectus libidinosi, suntq; peccata mortifera, si causâ libidinis fiant.

Quid de turpiloquio sentiendum?

℞. Turpiloquium, si fiat animo se vel alium excitandi ad libidinem, itemq; ejus auditio conjuncta cum periculo consensûs, est peccatum mortale: quale periculum frequenter adest, si turpiloquium proferatur coram juventute, quæ postmodum ex vitio naturæ in libidinem proclivis dicta ruminat, & sæpè in gravia luxuriæ peccata prolabitur, è quibus totâ vitâ subsequen-

ci nunquam emerget. Hoc unicè advertant verbis assueti impudicis, & Dei super se judicium expavescant; gravissimum etenim pusillis dant scandalum, adeoq; *expediret, ut suspenderetur mola asinaria in collo eorum, & demergerentur in profundum maris*, ut ipsemet Salvator (a) testatur. Ob hanc causam haud dubiè Apostolus (b) præcipit: *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Quia, sicut idem alio in loco: (c) *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

Idem S. Bernardinus Senensis adhuc penè puer ita turpe verbum abhorrebat, ut si quod fortè ad castissimas aures accidisset, subitò virgineas genas virgineus pudor obtegeret, dixisses inflicto colapho erubescere; ex quo illud inter sodales consecutum est, ut eo præsente nemo ne hiscere quidem auderet turpiter, atq; si cœpto turpiculo aliquo sermone coronæ improvisus adesset, hæc esset abrumpendo sermoni velut data tessera: Tacete, Bernardinus adest. Surius 20. Maji in ejus vitâ.

Quàm verò Deo verba impudica displiceant, patet ex sequenti historia. *S. Udalricus Abbas hyemali tempore ad Cœnobium suum peregrè rediens, diverterat cum suis ad Sacerdotem quendam, ut se calefaceret. Aderat tum Sacerdoti loci Prætor, & foco assidentes salacibus inter se verbis joculabantur; cùmque nullâ sancti viri neq; reverentiâ, neq; commonitione à turpibus jocis abstinerent, surgit Abbas, & domo egressus pedum pulveres in scurras excussit. Nec Dei vindicta defuit: mox enim & Sacerdos cæcitate, & alter in secretioribus corporis partibus infami lue percussus crimi-*

nis

(a) Matth. 18. (b) Ephes. 5. (c) 1. Cor. 15.

minis sui pœnam tulerunt; quod quamprimùm in flagitii sui vindictam à Deo immitti animadvertentes, ad S. Præsulem supplices procurrerunt, & delicti veniam poposcerunt, atq; ut ad hospitium redire dignaretur, contenderunt; sed frustrà omnia: illi enim dum vixit adhæsit cæcitas, alteri tabes secretiora corporis sensim depasta est, ac uterq; tandem miserè interiit. Surius 2. Aprilis.

Quid de cantu impuro?

℞. Idem sentiendum de cantu lascivo, quod de turpiloquio, præsertim dum aliis est occasio ruinæ, ac sibi ipsi luxuriæ irritamentum, peccatum utiq; mortale, eò gravius, dum cantans proximum ad libidinem provocare conatur. Peccant igitur gravissimè, qui cantus amatorios & lascivos componunt, evulgant, in tabernis & aliis locis cantant, iisq; se oblectant. Peccant item tibicines, ludiones, & alii, qui cantionibus ac modulis impuris juventuti impudicè saltanti præcinunt, quibus concupiscentiæ ignem veluti flabro in iis accendunt. Hi habeant divinæ ultionis in hujusmodi homines exemplum.

Vicus est in Brabantiâ tribus passuum millibus Bruxellâ distans, vulgò Merchten, hic tibicen quidam sæpè impuris modulis & gesticulationibus solitus utriusque sexûs adolescentium choreis incentor præire, tactus inexpectato fulmine exanimis corruit, adfueruntq; duo atri canes, qui hominis brachium ictu fulminis à reliquo corpore avulsum, mordicus asportârunt: ipsum adeò cadaver è sepulchro erutum, & nusquam comparens dæmonibus in prædam cessisse creditum est. Thom. Cant. l. 2. Apum. c. 57. §. 4.

LECTIO LXIV.

IX. PRÆCEPTUM.

Non concupisces uxorem proximi tui.

SExto nonum subnecto præceptum, propter affinitatem, quam habet cum illo; sicut enim in sexto actus ipse prohibetur, sic in hoc ejus desiderium vetatur, & concupiscentia cum voluntate conjuncta.

Cur speciali præcepto vetatur uxoris alienæ concupiscentia?

℟. Quia multi putare poterant prava desideria, & concupiscentiam uxoris alienæ non prohiberi, ideò Deus hanc speciali vetat præcepto, quia radix est & origo omnis mali & peccatorū luxuriæ. Multi enim corpore casti sunt, qui voluntate adulterium commiserunt.

Qualis concupiscentia vetatur?

℟. Non præcipitur, ut non sentiamus concupiscentiæ motus, sed tantùm ne ullis consentiamus: quia in potestate nostrâ non est carere omni concupiscentiæ motu, aut cogitatione ad malum alliciente; sed tamen in potestate nostrâ est resistere, aut non consentire. Prohibetur ergo ne voluntariè concupiscamus uxorem proximi.

Quid prætereà hoc præcepto prohibetur?

℟. Sicut sexto præcepto nomine mœchiæ omnis luxuria prohibetur, ita etiam hoc præcepto concu-

concupiſcentia omnis actûs impuræ & libidinoſæ, illicitæq; voluptatis vetatur.

Quinam ergo peccant contra hoc præceptum?

℟. 1. Qui concupiſcit uxorem proximi, aut mulier, quæ maritum alterius deſiderat. 2. Peccant etiam conjugati, qui concupiſcunt perſonam liberam. 3. Peccant perſonæ liberæ, quæ dum vident ſive ligatam ſive liberam, continuò in ejus amore exardeſcunt, & cum eâ peccare deſiderant. Hæc peccata ſunt ſanè graviſſima, & in confeſſione minimè negligenda, uti plerumque fit inter vulgus, quod peccatum vix cenſet, niſi quod opere externo completum eſt, ne per haſce concupiſcentias reos ſe ſtatuant damnationis æternæ, ut multis contigit, ut ex hiſt. conſtat ſeq.

Comis in Italiâ civis concubinarius, jam à Medicis depoſitus, ac morti proximus monitus eſt à quodam è Societate Jeſu Sacerdote, qui viri extremam Exomologeſin excepturus venerat, ut jam tandem lupam, quam domi ſuæ tamdiu ſuſtentâſſet, abs ſe ablegaret; ille primò negavit fidis ancillæ ſe obſequiis, eo rerum ſuarum ſtatu carere poſſe: deinde ad placandum Numen domi apud ſocios precibus indictis cùm inſtaret acriùs Pater, flexiſq; adeò genibus, & cum lacrymis obſecraret, ſuæ ut ille ſalutis hoc ſaltem poſtremo vitæ tempore memor eſſet, benè monentem audivit, meretricem domo ejecit, & gravi peccatorum ſarcinâ cum doloris ſenſu apud Sacerdotem depoſitâ eodem die è vitâ migravit. Sequenti mane Pater, qui confitentis peccata pridie acceperat, pro viro Sacris operaturus, è cubiculo egreſſus ſenſit ſubitò

velut

velut impacto corpore repelli sese, simulque vocem hanc audit : Quò vadis? *Pater ad Sacrarium nihilominus progreditur, inq; ipso aditu retrò ad duos passus agitur ingenti impetu. Superat tamen, & indutus sacris vestibus ad aram procedit. Ibi cùm jam Minister* Confiteor *inciperet, apparuit ad cornu Epistolæ super altari horridum monstrum, quod Patrem intuens :* Ne, inquit, pro me ora, cavesis ne facias. *Eccur non! subdit Pater, non tu is es, cujus heri apud me peccata Pœnitentiæ Sacramento cum lacrymis, & vero pœnitudinis sensu expiata sunt? nonne & à Deo dimissa? aut novi quid intercurrit? Heu me! exclamat triste spectrum, & legitimè confessus eram, & peccatis veniam dederat Deus; sed miserum me; cùm post discessum tuum perdita illa domum rediisset, & officii causâ ad lectum accessisset propiùs, ego, ego infelix recurrentibus præteritis meis cum illâ peccatis in illicitam delectationem consensi, eoq; penè momento extinctus in æternas præceps flammas rui.* Pædagog. Christ. c. 4. de peccatis cogitationis.

Audi aliud non minùs tragicum exemplum, quod de domicellâ viduâ scribit Joannes Raulin vir doctus & gravis; *Illa pietati admodum & misericordiæ operibus dedita magni erat apud ejus loci Episcopum, quo etiam conscientiæ directore utebatur. Misera vel semel unum è famulis suis fixiùs intuita, solâ voluntate in turpem consensit voluptatem; quam tamen, quoniam opere ipso non complêsset, etsi sæpè animo occursantem negligendam putavit. Neglexit ergo, & ne instante quidem morte (cùm tamen maximè remorderet facti conscientia) præ pudore ausa crimen fateri, ex-*

tincta est, & in ipso Episcopi Sacello pro virtutis opinione & dignitate honorificè sepulta. Sed ô mira Dei judicia! Cùm proximâ nocte pius Præsul matutinas preces dicturus Sacellum ingreditur, ecce illic ardere videntur omnia. Quid agat? hæret & horret, sed brevi ipse se colligens, & fidens Deo progreditur, videtque, horrendum dictu! in mulieris sepulchro corpus ferreæ crati impositum subjicientibus ignem dæmonibus, huc atque illuc ingentibus furiis corpus versantibus. Episcopus cùm cognovisset hanc domicellam, quam pridie istic condidisset, quî tandem cum eâ ageretur, quo statu esset, rogavit? respondit miseranda mulier: Hoc solo se æternis addictam pœnis, quòd peccatum unâ voluntate & consensu designatum non ausa esset præ pudore Sacerdoti pro sacro conscientiæ tribunali aperire. Ex Joanne Raulin Ord. Clunic. in Itinerario Paradisi, serm. 11. de Pœnit. Pædagog. Christ. ibid.

Magnus itaq; rudium multorum est error, qui aliam nullam agnoscunt culpam, quàm quæ aut opere aut verbo designatur. Ex quo fit, ut multi, præsertim sexûs fœminei, neq; turpes solâ mente conceptas voluptates, seu adulteria solâ voluntate constitutâ ad Sacerdotē sui accusatores deferant, atq; ideò æternùm pereant. Hæc si peccata non forent, Salvator (a) minimè dixisset: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem, de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,* &c.

Quid præterea vetatur?

Resp. Vetantur etiam cogitationes & delectationes morosæ, licet opus quis non velit, quæ

Matth. 5.

delectationes etiam, si sint voluntariæ, peccata sunt mortalia, quia de re illicitâ sunt. Itaque quisquis salutem desiderat, has concupiscentias ac delectationes morosas excludat necesse est, aut admissas pro sacro conscientiæ tribunali cum dolore deponat, ne beatitudinis naufragium patiatur.

LECTIO LXV.

VII. & X. PRÆCEPTUM.

Non furtum facies; *&*: Non concupisces rem proximi tui.

Quid septimum prohibet?

℟. NE vi, fraude, aut quomodocunq; præter jus fasq; rem alienam, aut alienæ rei usum Domino invito usurpemus, aut quovis modo in temporalibus damnum adferamus, quod erit peccatum mortale, nisi parvitas materiæ excuset, ut patet ex Apostolo: (a) *Neq; fures regnum Dei possidebunt.*

Quæ inducunt hominem ad furtum?

℟. Potissimùm quatuor sunt. Primum est: *Pessima naturæ ad furtum inclinatio*, quæ quantum in quibusdam valeat, plus satis experientiâ constat. Novi enim complures ita furto addictos, ut quibuscunq; propositis pœnis ab eo minimè noxias cohibuerint manus, quos tandem velut Reipublicæ pestes è medio tollere necesse fuit. An verò talis inclinatio ab astrorum planetarumque

(a) 1. Cor. 6.

influxu proveniat, (ut multi volunt) quod cùm hujus fori non sit, aliis judicandum relinquo. *Licet autem* juxta tritum sermone proverbium *astra inclinant, minimè tamen necessitant.* Unde tales hujusmodi inclinationi ac pravæ voluntati forti conatu cum auxilio gratiæ resistere, & à furto abstinere possunt.

Miram sanè ac notatu dignissimam memini me legisse historiam *de quodam Doctore Medico artis suæ usque adeò perito, ut vel ex solâ urinæ inspectione non corporis duntaxat morbos, verùm & animi inclinationes potuerit dignoscere. Hujus cùm periculum quidam facere gestirent, propriam ipsiusmet Medici urinam clanculum surreptam velut alterius, eidem inspiciendam dederunt; quam cùm penitùs perlustrâsset, hanc audacter protulit sententiam:* Fur est iste, & talis ex utero prodiit matris, cujus hæc est urina. *Ad hæc subriserunt universi. Cùm verò risus causam rogâsset Medicus, ajunt:* En tua est urina quam inspexisti, miram de te protulisti sententiam, anne talis es, quem nunc pronuntiâsti? Venite mecum, *ait Medicus,* verba mea non inania, nec risu digna fuisse, factis demonstrabo. *Duxit igitur eos ad quoddam conclave, in quo scrinium omnis generis carnificum instrumentis refertum demonstrat, quo aperto his eos affatur verbis:* Ecce speculum quod indies contemplor, sanè usq; eò naturam meam ad furta propensam agnosco, ut ni forti conatu ac horum contemplatione inclinationi pravæ restitissem, vix à furto me cohibere potuissem. Nunc verò cum auxilio gratiæ divinæ manus à

furto

furto innoxias servavi. *Quibus auditis benè ædificati recesserunt.*

2. Est *prava societas.* Per hanc ad furta se devenisse fatetur S. Augustinus lib. 2. confess. c. 8. In tali enim societate exercentur ludi, in quibus dum adolescentes pecuniarum depositarum jacturam fecerunt, novas inquirunt, quas si justo titulo habere nequeunt, parentibus aut aliis surripiunt. Deinde commessationibus indulgent, iterum furandi occasio; dum enim consociis similes esse gestiunt, eâdem viâ pecunias acquirunt.

3. *Socordia parentum in corripiendis liberis,* dum rem furtivam domum asportant. Hæc sanè socordia multis funem interitûs fabricavit; ut patet in historiâ, quam narrat S. Bernardinus Senensis de adolescente, *qui cùm ad patibulum duceretur, patrem advocans quasi secreti aliquid ei indicaturus, & osculo valedicturus, atroci dente faciem ejus momordit, ei improperans & adscribens omnia sua flagitia ob neglectam in tenerâ ætate correctionem.* Quapropter sedulò invigilare debent parentes, ne in tenerâ ætate furto assuescant filii, & dum vident eos quædam, etiam minutissima, semper asportantes, semper suspicentur ea furto sustulisse, severè interrogent, undenam habeant; & si falsitatem deprehendant, virgâ eos corripiant, ne ipsorum indulgentiâ in carnificum tandem manus severiùs puniendi labantur. Nec allegent puerorum tenellam ætatem, in quâ malitiam peccati nondum sufficienter apprehendant, frivola

vola est hujusmodi excusatio, dictante naturâ se malè agere cognoscunt, ideò virgæ non parcant; si enim semel impunè furtum commiserint, audebunt iterum, donec tandem in consuetudinem veniant, à quâ desvescere vix possit inveterata natura.

4. *Malorum parentum exemplum.* Multi enim parentes non solùm à furtis filiolos non absterrent, sed etiam eis exemplo & consilio præeunt, & ad majora flagitia per hoc viam sternunt, ideòque filiorum exitium in caput eorum retorquetur.

Inducitne furtum obligationem restitutionis?

R. Quinimò; talis est enim obligatio ista, ut dicat S. Augustinus: (b) *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum,* voluntate saltem, & firmo proposito, si statim non possit. Defectus verò hujus restitutionis multis causa est damnationis æternæ.

Refert Guilielmus Peraldus hoc exemplum: *Usurarius quidam ad extrema gravi infirmitate deductus à Pastore visitatur, cui peccatum suum non negavit, à quo ablata omnia restituenda intellexit, aliàs salvari & absolvi non posse. Cumq; filii etiam ad hoc eum hortarentur, respondit miser:* Ego non possum, quia si superstes forem, non esset quod ederem, mihi ostiatim mendicandum foret; si verò è vivis excederem, ad xenodochium vobis confugiendum esset, nihil enim superest, omnia fœnore comparata. *Cui illi:* Ne sis solicitus, pater, de nobis

(b) S. Aug. Ep. 54.

nobis, prospice saluti tuæ. Tacete, *inquit ipse*, potiùs mihi standum ad Dei misericordiam, quàm ad hominum mercedem, illi enim inhumani & immisericordes sunt, Deus autem clementissimus. *Sicq́ sententiæ tenax emigravit. Quod audiens alter filiorum hortatus est fratrem ad restitutionem, ne patris pœnâ involveretur. At ille:* Si pater meus usuras fecit, ego eas non feci, volo portione meâ frui dum vivo, de futuro quid fiet, nescio. *Firmus itaq́ mansit in illâ mente, alius verò cuiq́ suum restituit, & incerta pauperibus erogavit. Cùm verò prior ille in bonis duceret dies suos ex substantiâ paternâ, in puncto ad inferna descendit moriens. Alter verò qui restitutione factâ Religionis statum assumpserat, cùm aliquando oraret, dehiscente terrâ vidit in ejus imo ignem maximas flammas emittentem, ibiq́ inter alios patrem cum filio sibi mutuò imprecantes. Pater filio dicebat:* Maledictus sis, quia propter te, ut te ditarem, huc deveni; *& filius:* Imò maledictus sis, quia propter te huc lapsus sum; si enim non reliquisses mihi malè parta, ego ab aliis vitiis abstinuissem. *Sic stabant in perpetuâ altercatione. Quod Religiosus ille attendens, Dominum laudabat de restitutione factâ.*

Aliud exemplum habes in Speculo Exempl. verb. *Restitutio*, ubi refertur, *quòd cùm quidam dæmoniacus cuidam viro sancto oblatus fuisset, præcepit vir sanctus dæmoni, ut nomen suum diceret; & dæmon: Nos sumus tres, qui habitamus in homine hoc; ego vocor:* Claudens cor; *& officium meum est, cor peccatoris claudere, ut non possit habere contritionem; si autem*

si autem contritionem habuerit, tunc frater meus, qui hîc moratur, vocatur : Claudens os ; *qui laborat ad hoc, ut non possit confiteri, sed si confiteatur & convertitur, tunc tertius frater meus, qui hîc moratur, vocatur :* Claudens bursam ; *qui laborat ad hoc, ut non satisfaciat restituendo ablata, & injustè acquisita. Et ille plures nobis omnibus acquirit, quia licet conterantur quandoq; & confiteantur, tamen rarò, vel nunquam omnia planè restituunt, & sic seipsos damnant : quia peccatum non dimittitur, nisi res ablata restituatur.*

Terribile est, quod ex R. P. Lorino, magni nominis in Societate JESU Theologo, acceptũ refert Pædagogus Christianus : *Vir quidam nobilis ortu in Italiâ iniquissimo assuetus fœnori, & obstinatè inhærens, eoq; nomine infamis : cùm diu neq; à suo Curione, neq; à Societatis Jesu Patribus, neq; ab aliis pluribusq; Religiosis absolutionem à peccatis impetrare potuisset, invenit tandem è quâdam Religiosâ familiâ unum aliquem, qui alios nimia religionis incusans, quoties ille vellet, toties confitenti aures daret & absolveret. Fuit hic impio fœneratori conscientiæ acceptus arbiter, quem ut eò etiam habeat benigniorem, sæpè ad familiarem mensam invitat, & habet liberaliter. Dum ergo ita vivitur, noctè quâdam Nobilis ille, cùm paulò ante cum egregio suo Confessario cœnâsset, subitò extinguitur. Sub idem autem tempus dæmones duo famulorum habitu Monasterium adeunt, pulsatisq; foribus Religiosum evocant astiturum agenti, ut ajebant, animam. Non est ille tergiversatus, sequitur cum socio non segniter. Ventum erat ad forum, & ecce cernitur Nobilis in herili togâ ambulare, cumq; Religiosus jam in famu-*

los, quòd ab eis delusum se crederet, bilem acueret, adest tristis umbra, atq; inter mortuos se esse, & jam æternis pœnis inferorum ignibus, quòd & tam turpi in vitâ deditus lucro, restitutionem nullam facere proposuisset, & nihilominus sacra toties profanare ausus esset, & te quidem, Sacerdos perditissime, à quo ex officio corripiendus essem, connivente: quapropter eris mihi merito tuo pœnæ socius, qui sceleris fuisti approbator. *Hoc dicto duo illi sicto habitu famuli singuli singulos, Nobilem ac Sacerdotem secum ad inferos abripiunt, Sacerdotis socio præ terrore penè exanimato, qui deinde revocato animo solus ad monasterium rediit, & funestum Sacerdotis exitum, remq; etiam ut gesta erat, enarravit.* Pædag. Christ. p. cap. 15. §. 2.

LECTIO LXVI.

Quibus debet fieri restitutio?

℟. NOn sufficit injustè ablata restituere pauperibus, vel in pias causas erogare, sed illis, quibus ablata sunt, debent restitui, si sciantur, & possibilitas adsit. Si verò restitutio absq; læsione honoris fieri nequit, fieri potest per Confessarium, aut alio occulto modo.

Quando fieri debet restitutio?

Resp. Debet fieri statim si commodè potest, neque tunc differenda est ad mortem, & hæredibus committenda.

At dices: Ad incitas redigar, si injustè acquisita restituam.

℟. Si fideliter cuncta restituas, suâ Deus benedictione subveniet, ne ad inopiam redigaris.

Nunquid bona injusta ditant hominem?

R. Minimè: imò propter injustè acquisita speciali Dei permissu etiam justè possessa perduntur, juxta illud Job. 20. *Divitias quas devoravit, evomet.* Ubi fit allusio ad illum, qui noxium cibum sumpsit, & cum noxio cibo evomit & cibos bonos; sic etiam qui iniquè aliquid congerit, non solùm hoc quod injustè acquisivit, verùm etiam quod priùs justè possidebat: plerumque emittit justâ Dei vindictâ. Verum igitur est commune illud adagium: *Malè parta malè dilabuntur.* Et: *De malè quæsitis non gaudet tertius hæres,* &c. Quòd verò bona aliena propriis commixta hominem deducant ad paupertatem, insigni probatur exemplo.

In monasterio S. Pantaleonis Coloniæ Abbas quidam fuit, fratrem habens ejusdem civitatis concivem, quem carnaliter diligens sæpè pecuniam monasterii occultè ei largiebatur, quam propriæ substantiæ admiscens, & in ea negotians, quocunque perrexit, semper cum damno rediit, factaque est ei (licet non adverteret) pecunia monasterii tanquam ignis, & cùm esset in mercationibus satis gnarus, atque circumspectior cæteris suis sodalibus, illorum prosperitatem summumque dispendium mirari non sufficiebat. Tandem ad paupertatem devenit; cui Abbas: Quid est, frater, quid agis, quare ita omnia consumis ad confusionem tuam & meam? *Respondet ille:* Valdè parcè vivo, diligentissimè mea custodio, & quid sit, quod circa me agitur, penitus ignoro. *In se reversus venit ad Sacerdotem, & omnia circa se gesta aperiens per confessionem, cui di-*

xit Sacerdos: Utere consiliis meis, & benè tibi cedet, pecunia fratris tui furtum est, & ipsa substantiam tuam devoravit, de cætero nil recipias ab eo, & de modico, quod tibi adhuc superest, negotiare, videbisque manum Domini super te bonum, quidquid autem lucratus fueris, medietatem fratri tuo reddes, de reliquo tu vives, & hoc tamdiu facies, donec pecuniam monasterii tibi datam illi restituas. *Mira clementia Dei! obediens homo Confessarii sui consilio, in brevi adeò ditatus est, ut ipse abundaret, & fratri recepta restitueret. Cui cùm Abbas diceret:* Unde tibi istæ divitiæ? *respondit:* Quamdiu substantiam Fratrum tuorum recepi, semper pauper & miser fui, & tu graviter peccâsti non tua mihi largiendo, & ego aliena recipiendo; ex quo enim de his pœnitui, & furtum abhorrui, benedicente Domino abundavi. Cæsarius lib. 3. cap. 36.

Quid faciendum de inventis?

℟. Inventa, si sciantur cujus sunt, restituenda æquè sunt atq; ablata; si enim invenisti, & non restituisti, abstulisti; si autem ignorentur cujus sint, post diligentem inquisitionem si non compareat dominus, retineri possunt, si inventor indigeat; secus danda sunt pauperibus. Peccant igitur graviter, & furti rei sunt, (1.) qui rem inventam Domino suo (quem sciunt) non restituunt; hi æquè damnationem sibi conquirunt ac fures & raptores. (2.) Qui rem inventam conantur abscondere, ne repetatur. Item qui insufficientem faciunt inquisitionem, ut Dominus

scia-

sciatur, graviter peccant: similes hi sunt cuidam, qui cùm crumenam pecuniis refertam invenisset, inquisitionem facturus plateas obambulando clamavit altâ voce: Wer hat verlohren? reliqua autem, scilicet: einen Beutel mit Geld/ submissa voce pronuncians, ne Dominus compareret. (3.) Peccant, qui videntes alicui rem decidere, nec possessorem monent, ut ipsi eam tollant, & reservent, qui æquè ac fures ad restitutionem obligantur.

Quænam furta sunt gravissima?

Resp. Sacrilegia; est autem Sacrilegium acceptio rei sacræ de loco sacro vel non sacro; aut rei non sacræ de loco sacro: & hoc speciale est peccatum, specialiterq; illa circumstantia confitenda. Hoc peccatum specialiter punit Deus, ut multis Scripturæ exemplis probari potest: Nam Balthasari Regi, qui vasis sacris cum Principibus & concubinis abutebatur, manus apparuit scribens in pariete aulæ regiæ horrendam illam sententiam: *Mane, Techel, Phares*; (a) & paulò post interneccioni datur. Rex Antiochus ob spoliatum templum Hierosolymitanum variis primùm doloribus cruciatur, inclamans: (b) *Reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem.* Heliodorus à Rege Seleucio missus, ut diriperet thesauros templi, ab Angelis fœdissimè flagellatur. (c)

Inter historias sacras notabile est, quod ex Petro Damiano refert Baronius Tom. 11. ad annum 1055. de Comite quodam ob prædia Ecclesiastica

(a) *Dan.* 5. (b) 1. *Mach.* 6. (c) 2. *Mach.* 3.

occupata apud inferos cum hæredibus condemnato: *In Teutonicis partibus,* inquit, *Comes quidam dives & præpotens, bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum erat de ejus æstimatione judicium, ante decennium ferè defunctus est. Post cujus obitum Religiosus quidam per spiritum ad inferiora descendens præfatum Comitem in supremo gradu cujusdam scalæ positum vidit. Ajebat namque, quia scala illa inter stridentes & crepitantes incendii flammas videbatur erecta, atq; ad suscipiendos omnes, qui ex eâdem Comitum genealogiâ descenderunt, constituta. Erat autem tetrum chaos, immane barathrum infinitè patens, atq; in profunda demersum, unde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibi series texebatur, ut cùm quis eorum novus succederet, primum interim scalæ gradum teneret; is autem, qui illic repertus erat, aliiq; omnes ad proximum sibi gradum in ima descenderent. Cumq; alii atq; alii ex eodem genere homines post carnis obitum ad præfatam scalam per temporum intervallum confluerent, alii protinus ineffabilis judicis necessitate ad inferiora mergebantur. Planè dum vir, qui hæc contemplabatur, causam hujus horrendæ visionis inquireret, & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam justè, tam decenter, tam honestè vixisset? Audivit, quia propter quandam Metensis Ecclesiæ possessionem, quam B. Stephano proavus ejus abstulerat, cui videlicet iste jam decimus in hæreditate successisset, omnes isti non diverso supplicio deputati sunt. Et sicut eos ad peccandum non dispar avaritiæ culpa conjunxit, ita ad perferendas atrocis incendii pœnas commune supplicium copulavit.*

Hoc

Hoc benè perpendant omnes, qui Ecclesiæ bona surripiunt, aut injusto titulo possident, &c. ne simili pœnâ involvantur.

LECTIO LXVII.

Quinam peccant contra hoc præceptum?

R. VArii status peccant contra hoc præceptum, quos omnes recensere nimis longum foret, solùm potiores recensebo.

1. Igitur peccant, qui Rempubl. administrantes ejus bona in propriam utilitatem convertũt.

2. Procuratores & Advocati causam injustam defendentes.

3. Parentes, qui unam prolem præ aliam sine justâ causâ notabiliter ditant; nam præter injustitiam, quæ hîc committitur, etiam litium & discordiarum materiam implexam eis exhibent.

4. Peccant filii familias, qui dum vident parentes morti vicinos, ad arcas currunt, quæ possunt, subtrahunt, ac parentum testamenta non adimplent, litibus omnia miscent, defraudant fratres & sorores, præsertim juniores.

5. Peccant famuli & ancillæ, dum esculenta & poculenta in notabili quantitate subtrahunt heris, & amicis suis largiuntur, vel in proprios usus convertunt.

6. Peccant artifices & mercenarii &c. Artifices quidem, dum taliter rem perficiunt, ut citò corrumpatur. Mercenarii autem, dum non fideliter laborant, & nihilominus magnum stipendium exigunt.

7. Qui terminos agrorum transferunt.

8. Qui decimas non solvunt, aut fraudulenter circa eas se gerunt, cùm ad earum solutionem jure divino & humano teneantur.

9. Molitores, qui ultra assignatam quotam aliquid furantur, & licet exiguum sit, quod unâ vice surripiunt, tamen habentes intentionem continuandi gravissimè peccant, & densum sibi lutum congregant, ex quo in fine vitæ emergere vix possint.

10. Peccant graviter qui vendunt rem inutilem & corruptam pro bona: v. g. eqvum, vaccam, &c. habentes defectus occultos, & eos emptori non aperiunt.

11. Peccant, qui monetam adulterinam dant aliis, & licet per fraudem alienam talem nacti sint, non ideò, ut se servent indemnes, per eas alios defraudare debent. Rectè igitur amantes justitiæ, ut primùm tales deprehenderint, clavis configunt, ne alii atq; alii damnum patiantur.

12. Peccant gravissimè, qui faciunt fraudem circa mensuras & pondera, & dum res emptione sibi acquirunt, magnâ mensurâ & gravi pondere utuntur; dum verò divendunt, parvam mensuram & exiguum pondus substituunt. Hoc est abominabile peccatum coram Deo: (a) *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Item: (b) *Non habebis diversa pondera, nec erit in domo tuâ modius major, & modius minor.*

13. Peccant etiam qui emunt rem furtivam scienter, nisi emant, ut domino suo restituant.

(a) *Prov.* 11. (b) *Deut.* 25.

14. Peccant qui alienis sylvis damnum notabile inferunt, ut stirpes notabiles exscindendo.

15. Peccant graviter, qui non solvunt debita cùm possint; aut qui debita contrahunt quæ non solvere cogitant.

16. Peccant qui fraudibus & injustitiis in emptione & venditione utuntur in præjudicium proximi, quas diligenter quivis Christianus cavere debet, ne detrimentum animæ suæ patiatur.

Hinc omnes injustitiis dediti benè perpendant historiam de quodam mercatore, qui morti vicinus vocavit Notarium, ut testamentum suum conderet. Parato autem ad scribendum: Scribe, *inquit,* corpus meum terræ detur, ex quâ sumptum est; anima dæmonibus tradatur, quia ipsorum est. *Obstupescunt pa-rentes ad hæc verba, læsum dicunt febre ejus judicium, & ægritudine cerebrum debilitatum talia pronuntiare. Ipse verò tertiò idem repetit, & se integro judicio pollere asserit, adjiciens:* Vultis ut pleniùs mentem meam vobis aperiam? Anima mea dæmonibus detur, insuper anima uxoris meæ, & animæ filiorum meorum, anima quoque Confessarii mei, quia usurpavi aliena injustè: uxoris, quia ad hoc me sollicitavit: filiorum, quia ut eos ditarem, injustitiæ fui obnoxius: Confessarii denique, quia me impœnitentem absolvit. In libr. de Vigis illustr. Ord. Cisterc.

Quid decimum præceptum vetat?

R. Septimo præcepto vetita est actio furandi, & damnum proximo & bonis suis inferendis;

nec non voluntas, ex quâ oritur actus exterior injustè sibi usurpandi rem proximi sui. At ne existimaret, solam concupiscentiam interiorem sine exteriore actione peccatum non esse, idcirco hoc præcepto nominatim vetatur interior illa voluntatis concupiscentis deliberata furandi, & alienam rem sibi quovis jure, quaque injuria vendicandi, si esset opportunitas & facultas, aut nisi obstaret timor & verecundia.

Estne solùm in his duobus præceptis voluntatis consensus prohibitus?

℟. Non solùm in his duobus, sed in omnibus etiam aliis generibus peccatorum certissimum est, esse quoq; peccata ipsos voluntatis consensus in opera peccatorum perpetranda. Nam ita Dominus ait: (c) *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Posita verò sunt hæc præcepta tantum de his duobus, & quia proniores sumus ad concupiscendum, & ut per illa cætera quoque intelligantur.

Benè igitur instruendi sunt rudiores, qui peccatum vix censent, nisi quod opere externo completum est; concupiscentias autem internas & malas voluntates in sacro conscientiæ tribunali cum certo salutis periculo non deponunt.

(c) *Matth. 6.*

LECTIO

LECTIO LXVIII.

PRÆCEPTUM VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Estne grave peccatum dare falsum testimonium?

R. EST sanè, & unum inter ea, quæ Deus maximè detestatur. Testatur Sapiens: (a) *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima illius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.*

Quid est loqui falsum testimonium?

Resp. Ille falsum loquitur testimonium, qui contra aliquem sciens & volens falsum dicit, negando quod scit esse factum, vel asserendo quod scit non esse factum: & hoc potissimùm in judicio juridicè interrogatus. Hoc sanè gravissimum est peccatum; nam testis falsus peccat (1.) in Deum, quia pejurando eum contemnit. (2.) In judicem, quia eum mentiendo fallit. (3.) In reum, qui suo mendacio vel famam. vel bona aut vitam ei eripit. Vel si nocens est, peccat in Rempubl. dum testatur innoxium esse, & sic nocet Reipubl. dum noxia membra non resecat.

Quibus de causis moventur testes ad dicendum falsum testimonium?

(a) Prov. 6.

Resp. 1. Alii corrumpuntur pecuniâ, ne in judicio dicant verum. 2. Alii moventur amore; v. g. ratione consanguinitatis, vel ratione beneficii à reo aliquando suscepti aut accipiendi. 3. Aliqui corrumpuntur timore alicujus altioris potestatis magis, quàm Deum timent, & ideò veritatem loqui pertimescunt. 4. Alii denique corrumpuntur odio ob antiquas rixas & inimicitias. Sic odio contra Joseph mulier, (b) quòd ejus impuris amoribus non acquiesceret, falso testimonio eum necare conata est.

Hoc peccatum adeò grave est, ut non solùm Deus, verùm etiam jus Ecclesiasticum illud severè puniat. In jure Ecclesiastico falsi testes perpetuò sunt infames. Quod pœnas â Deo inflictas attinet, diversæ illæ sunt juxta sapientiam & justam providentiam, cui nihil manet inultum: unde in historiis passim invenies gravissimas vindictas falsis testibus inflictas in perpetuam illorum infamiam, & aliorum terrorem.

In vitâ S. Gregorii Agrigentini Episcopi apud Surium 23. Novemb. legimus, ipsum à Sabino & Crescentio falsò accusatum coram Synodo Romanâ centum & quinquaginta Patrum de stupro cum Eudoxiâ puellâ, adductis centum & decem testibus, Psalmum altâ voce ingeminâsse: (c) Insurrexerunt in me testes iniqui, quæ ignorabam objecerunt mihi, mala mihi pro bonis rependebant. *Statim igitur puella à dæmone correpta ad pedes ejus concidit; Gregorius Sathanam è puellâ egredi, & verum fateri jussit, ac manu eam comprehensam erexit. Illa jussa est se à Sabino*

(b) *Gen.* 39. (c) *Ps.* 26.

& Crescentio muneribus corruptam Gregorium falsò accusâsse. Gregorius verò coram Synodo pro testibus & actoribus intercessit, & pacem illis impetravit. Quâ concessâ statim tenebræ magnæ obortæ sunt, & actorum alii utrâque, alii alterâ genâ nigri apparuerunt. Sabino verò & Crescentio labia atro colore infecta sunt, quæ nunquam posteà elui potuit.

In vitâ S. Narcissi Episcopi Hierosolymitani scribit Eusebius, cùm quidam perditi severam rationem, quâ in vitiis eorum corrigendis uti consueverat, ferre non possent, cæperũt contra illum conspirare, & turpem quandam criminis calumniam juramento confirmare. Primus juravit, nisi verum esset crimen, optare se ut *Deus igne ipsum perderet. Secundus, morbo regio corriperetur. Tertius, ut oculis orbaretur. Licet verò nemo ex fidelibus ob testatam castimoniam & sanctitatem fidem etiam jurantibus haberet, ipse tamen præ gravitate falsæ hujus criminationis parum præ amore solitudinis, ut ibi spiritui & sapientiæ vacaret, discessit, & in locis desertis annis pluribus vitam transegit ignotus. Verùm ultio divina non est passa impios inultos. Primus enim illorum cùm noctu scintilla ignis in ejus ædes incidisset, cum totâ familiâ flammis extinctus est. Alter morbo, quem sibi precatus fuerat, ab extremis pedum digitis usq; ad capitis verticem contabuit. Tertius videns hanc ultionem Dei, & illam in se reformidans, palam maleficium & fraudem confessus est: tam acerbis verò lamentis se afflixit, ut lacrymarum diuturnâ profusione visum sibi extinxerit. Euseb. lib. 6. cap. 6. Baronius tom. 2. ann. 116.

Civis quidam Parisiensis dum Præposito cuidam vine-

vineam suam vendere vellet, quòd bona essent hæreditaria, contigit paulò post mortuo cive Præposito hoc astu usum fuisse: duos Scabinos pecuniâ corruptos noctu secum ducit ad sepulchrum, terrâ egestâ summam pecuniæ cadaveri in manus dedit, quam pro vineâ olim obtulerat, ac tum ad Scabinos conversus: Vos, *inquit,* Domini Scabini testes estis, quòd ille talem summam pro vinea à me acceperit, quam ille manu tenet, nec contradicit, *dicentibus illis:* Testes sumus, pecuniam recepit, *& manè iis testibus adhibitis vineam sibi vindicavit. Sed Deus, qui olim per Moysen dixit:* Maledictus qui accepit munera, *(Deuter. 27.) non sivit impunè; quare uxor defuncti asseverans nil simile subesse, pecuniam nec se, nec maritum unquam vidisse, recurrit ad Philippum Regem Galliarum, ille negotium committit quibusdam, qui auditis testibus Præposito vineam adjudicârunt; hîc illa desperabunda ad Regem convolat, de injuriâ expostulat. Rex ut prudentiâ valebat, testes citari jussit, ac quemque seorsim examinat. Primum interrogat, num calleat orationem Dominicam, quam ipsum recitare jubet. Hoc in vicinum cubiculum dimisso, alterum seriò aggreditur dicens: Socium ita veritatem confessum esse, quantæ sunt veritatis verba sacræ Scripturæ, quod si ab eo dissentiat actum esse. Hic in genua provolutus totam rem exposuit. Rex vineam viduæ restituit, & Præpositum vivum sepeliri jussit, ut qui mortuum effoderat, vivus defoderetur.* Engelgr. Dom. 1. Quadr. §. 3.

De Judicibus iniquis & Advocatis tracta pro ratione loci & temporis.

LECTIO

LECTIO LXIX.

De Temerario Judicio.

Quid prætereà hoc præcepto prohibetur?

℟. PRohibetur etiam judicium temerarium, quia falsum testimonium sibi homo reddit de proximo, estque grave peccatum, dum firmiter quis judicat absque sufficienti ratione.

Quando est peccatum mortale?

Resp. Est peccatum mortale, si sit judicium de re gravi ex levibus indiciis: ad tale verò peccatum requiritur firmitas in judicio, per quam distinguitur à suspicione, quæ ordinariè peccatum mortale non est.

Quid est judicium temerarium?

℟. Illud est temerarium judicium, dum quis firmiter judicat proximum, v. g. esse furem, adulterum, meretricem, &c, hoc vel illud peccatum grave perpetrâsse; estq; peccatum mortale, si firmiter absq; indiciis sufficientibus hoc ipsum judicet. Hoc sanè peccatum inter homines adeò commune est, ut Sanctissimi quiq; temeraria aliorum judicia non evadant, nec Joannes Baptista, nec Salvator ipse Judæorum judicia effugerunt: (a) *Venit enim Joannes neq; bibens, neq; manducans, & dicunt: dæmonium habet! Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: vorax est & potator vini.* Ita homines temerarii pro affectu suo judicant, & quod virtutis est, vitio deputant; & quod vitii est, virtuti.

(a) *Matth.* 11.

Cur non debemus ita judicare proximum?

℞. Quia Salvator id severè prohibet: (b) *Nolite judicare, & non judicabimini,* &c. Fallimur enim plerumq; in nostro judicio, dum pro affectu nostro judicamus, & quem reputamus bonum, sæpè est perversus, & contrà. Hoc judicium sibi reservavit Deus, qui cor hominis intuetur.

Cùm Rex Totila Narniis esset, occurrit ei vir venerabilis Cassius, ejus urbis Episcopus, cui, quia ex conspersione semper facies rubere consueverat, Rex hoc signum judicavit perpetuæ potationis, eumq; ob id despexit. Sed omnipotens Deus, ut quantus vir esset qui despiciebatur, ostenderet, in Narniensi campo Regis Spatarium coram toto exercitu malignus spiritus invasit, eumq; vexare crudeliter cœpit. Qui cùm ante Regis oculos ad venerandum Cassium fuisset adductus, hunc ab eo vir Dei oratione factâ signo Crucis expulit, sicq; factum est, ut barbarus servum Dei ab illo die jam ex corde veneraretur, quem despectum judicavit ex facie. Greg. lib. 3. Dial. cap. 6.

Quinam in hoc judicio gravissimè delinquunt?

℞. Ii vel maximè, qui cùm opus reprehendere non possint, intentionem damnant, & judicant, quod planè diabolicum est. Sic diabolus judicavit S. Job, cùm laudaretur tanquam timens Deum, & recedens à malo, intentionem judicabat dicens: Job id facere non ex amore Dei, sed amore sui. (c) *Si enim abstuleris,* inquit, *ab eo bona, maledicet tibi,* &c.

Sanctus Franciscus cùm fortè obvium habuisset mendicum nudum & miserum, ejus indigentiæ compatiens

(b) *Matth. 7.* (c) *Job. 1.*

cœpit cum Fratre itineris sui comite agere verbis valdè teneris magna compassionis indiciis de hominis istius magnâ paupertate; at ille cœpit dicere: Pater, licet in rebus pauper est, fortè desiderio & concupiscentiâ dives esse cuperet supra cæteros etiam divites. *Hoc audito Franciscus graviter eum reprehendit suspicionis, seu temerarii judicii, & pro satisfactione ei præcepit, ut ad pauperem illum regrediens tunicâ sese exueret, & se prosternens ad ejus pedes nudum, culpamq; suam agnosceret murmurationis ac judicii de illo pravi, quam satisfactionem ille compunctus statim adimplevit.* S.Bonavent. in vitâ S. Francisci c.8.

Sed dices: Signa mihi sunt manifesta, ex quibus judico proximum.

℟. Et in his falleris frequenter: sæpè enim non sunt talia quæ videntur manifesta. Quis Josephum (d) non suspicaretur adulterum à dominâ suâ accusatum fœminâ nobili, dum illa pallium demonstrat velut signum manifestum? Quis idem non suspicaretur de Susanna, (e) dum accusaretur à duobus senioribus populi & judicibus? Quis deniq; de ipsa Virgine non suspicaretur, aut quomodo Joseph eam non judicaret adulteram, dum gravidam (f) intueretur? Sed tamen nec judicat ipse, sed suspendit judicium. Sic te oportet facere, & dicere: Judicet qui judex est, ad me non spectat alios judicare.

Quis Vitalium monachum non judicaret, qui frequenter prostibula ingrediebatur, ob libidinem illuc divertere? Hoc judicavit quidam, qui illi è prostibulo egre-

[d] *Gen.* 39. [e] *Dan.* 13. [f] *Matth.* 1.

egredienti colaphum impegit, & dixit: Usquequo pessime illusor Christi non emendas te ab his nequitiis? *Videbatur habere aperta signa, & tamen temerè judicavit: unde illicò à dæmone obsessus fuit. Adibat enim Vitalius prostibula, ut meretrices à turpi corporis quæstu avocaret, pecuniaque paciscebatur velut unius noctis continentiam: quæ res planè patuit, cùm percussorem suum à dæmone liberavit, ubi ille culpam agnovit. Unde in cellulâ Viri Sancti inventa est scriptura dicens:* Viri Alexandrini, nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus. In vit. PP. l. 1. c. 35.

LECTIO LXX.

De origine & remediis judicii temerarii.

℟. PRima origo est *odium & invidia*, quâ proximum prosequimur. Sic Pharisæi frequenter in temeraria judicia de Christo lapsi sunt, excæcante eos invidiâ, dum eum vocant Samaritanum, judicant potatorem, accusant dæmoniacum. Nempe qui aversionem ab aliquo habet, facilè sinistrè interpretatur omnes illius actiones, & erroneè de iis judicat, quia unusquisq; faciliter credit quod appetit: sicut è contrario, cùm aliquis alteri afficitur, omnia ejus gesta in bonam partem interpretatur, quia charitas non cogitat malum, sed pallium etiam invenit, quo aliorum delicta operit. Itaque defectus est charitatis, dum aliorum actiones judica-

mus,

mus, & sinistrè interpretamur, & ibi culpam esse contendimus, ubi culpa non est; aut si quæ culpa levis est, illam exaggeramus, proh dolor!

Secunda origo judicii temerarii est, *Cor malitiâ infectum,* quod alios judicat sibi similes, de quo dixit Sapiens: (a) *Sed & in viâ stultus ambulat, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Sic solemus dicere: Qui fur est, omnes alios fures putat. Qui superbus est, proximi sermones omnes superbiæ accusat. Qui incontinens est, alios incontinentiæ obnoxios judicat, & ita adolescentem, si Ecclesiasticum, si Religiosum cum virgine aliquâ colloquentem videt, de rebus impudicis tractare judicat, & omnes sibi similes judicat.

Tertia origo judicii temerarii est *superbia,* quia aliorum reprehensione immunes videri volumus, alisq; justiores: sic Pharisæi arguebant discipulos, quòd Sabbatho vellerent spicas, manibus non lotis manducarent, ut se illis præferrent. Econtra vera humilitas in judicia temeraria prona non est, sed quod in proximo videt committi peccatum, se in brevi commissurum verus humilis formidat. Hinc cùm quidam Anachoreta audivisset fratrem peccâsse, suspirans dixit: *Heu mihi! hodie ille, cras ego.* Nec hoc satis fuit, sed etiam semetipsum humiliavit, & subjecit: *Ipse pœnitentiam egit, ego autem nullam pœnitentiam ago, nec prævenio, ut possim pœnitere.*

Quænam sunt remedia temerarii judicii?

℞. Primum remediũ est, inspicere seipsum, &

(a) Eccl. 10.

& propria vitia judicare; si enim peccatis es obnoxius, cur te relicto alterum judicas & condemnas? *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat*, ait Christus. (b) Item S. Ambrosius sup. Ps. 110. *Judicet ille de alterius errore, qui non habet quod condemnet in se.*

Hinc senex quidam [ut refertur in Prato Spirituali] interrogatus à Fratre, quid causæ esset, cur assiduè judicaret Fratres suos? Respondit: Quia necdum teipsum nosti; nam qui seipsum novit, Fratrum vitia non aspicit.

Cùm quidam percunctatus esset Abbatum pastorem, quâ ratione quietem in hoc seculo obtinere posset? respondit: Hanc obtinebis, si in omni casu dicas: Quid sum ego? & ne judices quemquam.

Poëtæ finxerunt de quadam muliere Lamia dicta, quòd quoties volebat domo egredi, oculos accipiebat, & capiti inserebat; cùm verò esset domi, in arca illos recludebat, sic cæca domi erat, foris videns. Huic mulieri multi similes sunt, qui cùm foras egrediuntur, ferunt secum centum oculos, ad scrutanda aliorum negotia & vitia; apud se verò cæci sunt, nec sua vident: Ideò festucam in alieno oculo, trabem non vident in suo.

Secundum remedium judicii temerarii est, aliorum facta dubia & incerta in meliorem partem interpretari. Ita S. Augustin. in illa Matth. 7. *Nolite judicare.* Imò juxta D. Bernardum: (c) *Si opus excusare non possumus, saltem excusemus intentionem, &c.* *Sic*

[b] *Joann. 8.* [c] *Serm. 56. in Cant.*

Sic fecit S. Bernardus de Quinta Valle primogenitus S. Francisci socius, è cujus oculis emicare vidit radios miri splendoris quasi à lucidissimis stellis F. Leo; cùmque id miraretur, divinitùs intellexit, ideò esse oculos ejus adeò radiantes, quòd quicquid videret, semper in meliorem partem interpretabatur, & neminem aspiceret, quem se meliorem non putaret; si quem enim vili habitu tectum videret, solitum dicere sibimet: Hic patientiùs tolerat paupertatem quàm tu Bernarde. *Si pretiosis indutum vestibus videret, dicebat:* Hic fortè sub veste delicatâ melior est, quàm tu sub tunicâ rudi Bernarde. Marvius libr. 5.

LECTIO LXXI.

De Detractione.

Quid præterea hoc præcepto vetatur?

℟. PRohibetur quoq; detractio, quæ est famæ alienæ injusta violatio.

Quinam peccant detractione?

℟. 1. Qui famam alterius præsertim absentis denigrant, voluntate famam lædendi, sive fiat dicendo verum, sive falsum; sive asserendo, sive referendo; sive addendo, sive minuendo, sive interpretando, sive aliquo alio modo. 2. Qui ex loquacitate, licet animo non detrahendi, aliena peccata gravia & occulta commemorant.

Estne grave peccatum detractio?

℟. Est sanè: quia 1. lædit famam proximi, quæ maximum bonum est; ideò majus est furto, quia bonum altioris ordinis aufert. Hinc benè

nè Sapiens: [a] *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Et alibi: [b] *Melius est bonum nomen quàm divitiæ multæ.* 2. Patet ejus gravitas inde, quia Deus illud summè detestatur: [c] *Detractores Deo odibiles sunt.* 3. Patet hujus peccati gravitas, quia multa generat mala, & simul pluribus nocet. [1.] enim nocet detrahenti: quia animam suam peccato mortali obstringit. [2.] Cui detrahitur, nocet: quia in vindictam & iram mortalem facilè impellitur. [3.] Nocet audienti detractionem cum delectatione: quia peccant mortaliter. [4.] Patet hujus peccati gravitas ex vindictâ, quâ sæpè detractores à Deo tam in hâc quàm in alterâ vitâ gravissimè puniuntur.

Refert Cantipratanus, novisse Sacerdotem, qui in tantum huic vitio deditus erat, ut aliis etiam per mendacia pessima detraheret: hic ante mortem raptus in furiam tantâ in se debacchatus est cæde, ut vel propriis dentibus linguam maliloquam laniaret, & palàm cunctis ostenderet, quod quia linguâ suâ dolosè egerat, & venenum sub labiis ejus quasi sepulchrum patens guttur illius fœtor in teterrimum exhalaret, & per quæ peccaverat, per eadem torqueretur. Cantiprat. libr. 2. Apum c. 27.

Non absimile refert Collector Speculi Exemplor. de quodam in Angliâ Religioso: hic detractionibus cùm deditus esset, in extremis existens monitus est, ut confiteretur, & de salute animæ suæ solicitè cogitaret. Qui respondit, se non posse. Multis autem verbis & persuasio-

[a] *Eccl.* 41. [b] *Prov.* 22. [c] *Rom.* 1.

suasionibus urgetur, ut ad divinam misericordiam re-currerct. At ipse linguam extrahens, & digito eam tangens : Ista, *inquit,* lingua pessima me damnavit. *Quo dicto lingua sic intumuit, ut eam amplius in os reponere non valuerit. Et sic horribiliter expirans, omnibus detractoribus exemplum suæ damnationis proposuit.* Spec. Exempl. verbo *Detractio* exempl. 7.

Refert Joannes Ædeus Ordinis nostri Seraphici in Fasciculo Virtutum & Vitiorum de quodam detractionibus assueto, hic mente præventus est sine confessione, neq; enim merebatur, ut eâ linguâ peccati venenum evomeret, quâ tam frequenter aliorum innocentiam laceràrat. Apparuit autem non longè post mortem cuidam, vitæ suæ præmia condigna ostendens. Habebat autem linguam quasi igneam, ab ore usq; ad terram dependentem, quam crebris morsibus corradebat, & expuebat. Cumq; particulatim eam conscidisset, rursus ad priorem quantitatem reformabatur denuò corrodenda. Quæsivit is, cui apparetat, quidnam hoc designaret? respondit : Quia dum vixi, per maledictum hoc membrum omnes sum persecutus, ideò ab hoc tormento in æternum non liberabor.

LECTIO LXXII.

Estne detractio, dum vera crimina de proximo quis refert?

℞. EST sanè, modò sint occulta, & famam lædere possint. Magnus in hoc error est; putant enim plerique, si crimina vera sunt, quæ de proximo referunt, se non detrahere : perinde enim est, sive peccatum sit fal-

sum, sive verum, modò proximi fama lædatur, detractio est, licet si falsa referantur peccatum sit gravius, de quo benè instruendi sunt rudes.

Dices : Quomodo peccat audiens detractionem?

℟. Peccat audiens detractionem mortaliter. 1. Qui ita audit, ut inducere vel excitare censeatur ad detrahendum, vel ad detractionis continuationem, non minus peccat quàm detractor: imò gravius, quia est alteri causa mali, & sic sui & alterius peccati author censetur. Sic frequenter contingit, quòd aliquis obscurè indicet se aliquid vidisse & audivisse, nolit tamen prodere; interim alii multis instant, ut propalet alterius peccatum, eliciunt tandem, & inducunt ad detractionis crimen. Hinc verum est illud Bernardi : (a) *Detrahere, aut detrahentem audire, quod horum damnabilius non facilè dixerim.* 2. Peccat mortaliter, qui licet non inducat ad detrahendum, lætatur tamen de alterius detractione vel ex odio aliave de causa. 3. Peccat, qui cùm resistere possit detrahenti, non resistit, si læsio famæ sit notabilis.

Quid igitur faciendum, dum audio detractionem, ne detrahentis peccato involvar?

℟. 1. Oportet reprehendere detrahentem, maximè si sis Superior, vel authoritate pollens, v. g. herus aut magister. 2. Si authoritatem non habes, signo exteriori ostende detractionem tibi displicere. Vel si detractio sit atrox, debes excussâ verecundiâ innocuum defendere, si speras emendationem. 3. Cùm reprehensio locum non

(a) *Serm. 2. de Consid.*

non habet, oportet constabilire, & non credere dictis detrahentium; aut si vera referuntur, oportet compati illi, cui detrahitur. Dic ergo detrahenti: Noli judicare, & non judicaberis. Item: Non facilè credendum rumoribus, qui frequenter licet certi putentur, falso nituntur fundamento. Quis Susannam putâsset innocentem, cùm duo judices grandævi & spectabiles contra eam dicerent testimonium? & nihilominus innocens erat. Quis non putasset Joseph facinus attentasse contra dominam, cùm illa testis videretur omni exceptione major?

Marina virgo (ut habetur in Vitis Patrum) in habitu virili incognita Deo purè serviebat in monasterio, infamata verò quòd imprægnâsset juvenculam quandam, ita ut propterea usq; ad mortem pœnitentiæ subjecta fuerit: quis putâsset eam innoxiam? sed dum Fratres eam sepelire volunt, fœminam inveniunt, tunc eam fuisse sine culpa agnoscunt. Vide Spec. Exemplor. verb. *Diffamare.*

Ad quid obligat peccatum detractionis?

℟. Ultra culpam mortiferam obligat detractorem ad restitutionem famæ ablatæ; nam si pecunia ablata restituenda est, quantò magis fama, quæ bonum altioris ordinis est. Ideo locum quoq; habet hìc dictum S. Augustini: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quia verò plurimi sunt, qui detrahunt, pauci verò, qui famam ablatam restituunt, ideò tot æternùm damnantur.

Quomodo fama est restituenda?

Resp. Non sufficit detractionis peccatum confiteri, sed insuper fama per detractionem ablata est restituenda, quod fiet sequentibus modis. 1. Si verum crimen occultum quis narravit, debet opinionem conceptam, quantum potest, apud audientes abolere, dicendo v.g. se malè dixisse, injuriam intulisse, deceptum esse, &c. vel si hâc ratione parum proficiatur, eum laudare debet in aliis rebus, crimen extenuando, honorem ejus in re aliâ procurando, &c. Sic enim sensim tantundem fama ejus illustrabitur ex unâ parte, quantum ex alterâ obscurata fuit. Quod si autem crimen falsum impegisti, teneris id apertè retractare (adhibito etiam, si opus est, juramento) apud eos quibus dixisti, & (per se loquendo) ad quos infamia pervenit, sive apud auditores mediatos: quia totum damnum famæ, cujus causa es, teneris reparare, licet aliquando sufficiat dicere, te penitus deceptum, rem aliter se habere, malè te informatum esse. Hoc igitur benè considerent imprimis subditi, de Principibus cantilenas & libellos diffamatorios spargentes. 2. Servi & ancillæ dominis, quibus ante servierunt, detrahentes. 3. Heri servos & ancillas diffamantes. 4. Subditi & discipuli de suis Prælatis & Magistris plurima falsa comminiscentes, ut peccata sua excusent. Denique omnes proximo ex irâ, odio, loquacitate, &c. detrahentes, attendant, inquam, quanto se periculo exponant, quamque gravem sibi obligationem imponant,

ac detractionis vitium abominentur, ne salutis detrimentum patiantur.

Memorabile, ac omnibus detractoribus metuendum, quod refert Reverendissimus P. Hieronymus de Lanuza Hom. 23. §. 11. *Dum, inquit, studiis vacarem Salamancæ, à senioribus Patribus intellexi historiam, quæ duobus illis eximiis Doctoribus P. Francisco de Victoria Ordinis Prædicatorum, & P. Alphonso à Castro FF. Minorum de Observantiâ contigit. Morabatur hic Ascalæ, suâ hanc exornans doctrinâ Universitatem, & inter totius Hispaniæ doctissimos celebris. Ad hunc Nobilis quidam accessit, postulans remedium peccato, in quo jam pridem corruerat, nempe cùm inter primarios aulæ Nobiles versaretur, jactârit si pro libitu puellâ quâdam usum nobiliori, at mentitum fuisse, idq; tantummodo dixisse ad propriæ laudis aucupationem. Respondet illi Doctor Alphonsus à Castro:* Domine peccatum hoc nullum capit remedium, sed illo privatus æternùm damnaberis. *Exhorruit Nobilis responsum, & mœrore confici videbatur. Profectus est igitur Salamantam, aditiq; Doctorem P. Franciscum de Victoria, causam aperuit.* Pater mi adsum vobis, quo tristior nullus in mundo, casus mihi contigit infaustus, cujus quærens remedium consului P. Alphonsum à Castro, qui me hoc perculit responso: Actum est de te, desperata salus animæ, rectà currit ad infernum. *Expavit ille, talemque miratus resolutionem respondet:* Domine mi, nullum peccatum adeò grave, quod cum debitâ satisfactione & pœnitentiæ lacrymis careat remedio. Dic mihi precor

quis ille casus? *Respondet Nobilis:* Coram Curiæ Primatibus famam puellæ læsi nobilioris. *Cui ille:* Grave peccatum; at illi superest remedium. *Exiliit præ gaudio Nobilis hoc audito aitque:* Pater mi, videntur mihi in hoc tuo responso cœli dilatari, dicito mihi quid agam Domine? *Respondet Pater:* Hoc tibi necessariò agendum: ad omnes illos redi, coram quibus puellæ detraxisti, dic, te in hoc, quod de illâ sparsisti, fuisse mentitum ut Nobilem impostorem & falsarium; ut verò pateat omnibus, te hoc non dicere quâdam commotum urbanitate, juramento confirma, ex merâ malitiâ te de illâ dixisse, quæ falsò sparsisti. Heu Pater mi! quis ego ut hoc perficiam? quàm per hoc personæ meæ, honori, ac dignitati derogabitur! absit ut hoc faciam. Nunc, *ait P. Franciscus de Victoria,* tibi dico, quòd optimè responderit P. Alphonsus à Castro, nullam tibi salutis spem effulgere, te manet æterna damnatio.

Igitur sequere consilium Spiritus Sancti: *Attende ne fortè labaris in linguâ,* &c. *& sit casus tuus insanabilis in mortem.* Eccl. 28.

LECTIO LXXIII.

De Contumelia.

Quid prætereà vetatur hoc præcepto?

℟. VEtatur omnis contumelia in proximũ prolata, quæ differt à detractione in hoc, quòd detractio utplurimùm instar furti occultè fit contra absentem; contumelia verò instar rapinæ fit contra præsentem. *Quid*

Quid est contumelia?

℟. Contumelia est nominis grave aliquod sive corporis sive animi vitium significantis impositio & objectio, ut si quem coram mendacem. stultum, gibbosum, cæcum, spurium, furem, ebriosum, adulterum, &c. probri loco, ac per contemptum appelles. Peccatum est ex genere suo mortale, & colligitur ex his verbis Christi: (a) *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ratio est, quia proximum grandi afficiunt dedecore, tolluntq; quod cuivis omni auro argentoque est pretiosius, quo tandem homini nihil potest gravius evenire. Videant igitur quanto se periculo exponant, qui in quasvis contumelias proni sunt, & proximo, quicquid in buccam venit, in faciem objiciunt animo irrisorio, exprobratorio, & vindicativo, non sine gravi culpa. Considerent quid quadraginta duobus pueris Elisæo cum illusione inclamantibus: *Ascende calve, ascende calve*, acciderit, qui à duobus ursis ex sylvâ prodeuntibus discerpti sunt. (b)

Quid ulterius hoc præcepto prohibetur?

℟. Prohibetur quoq; susurratio, quæ quodam etiam testimonium falsum continet.

Quid est susurratio?

℟. Est sublatio amicitiæ per oblocutiones, aut relationes dicaces inter aliquos initæ, aut inter aliquos consanguineos vel affines: quod est grave peccatum, & unum inter ea, quæ Deus maximè detestatur: (c) *Sex sunt quæ odit Dominus*

(a) *Matth.* 5. (b) 4. *Reg.* 2. (c) *Prov.* 6.

nus, & septimum detestatur anima illius, &c. & eum qui seminat inter fratres discordias. Hoc attendant illi perversi homines, qui statim referunt quæ alibi audiverunt, & de domo in domum transeuntes occulta jurgia seminant, & sæpè leviter dicta exaggerant, mendaciis amplificant, & inimicitias sæpè sæpiùs causant nunquam intermorituras. Dicunt enim linguâ suâ venenatâ: *Heus charissime, magni æstimas hunc tuum, ut putas amicũ, sed, proh dolor! talis non est erga te quem existimas; coram amicus est, absens verò pessimus tuus inimicus; hæc & hæc contra te dixit & fecit,* &c. Quid inde sequatur prudens quivis perpendat, & quotidiana docet experientia. Hi similes sunt dæmoni, qui primas discordias seminavit in cœlo inter Deum & Angelos, in paradiso inter Deum & homines, in mundo inter fratrem & fratrem Cain & Abel, Jacob & Esau. Illi ergo membra ejus sunt, & instrumenta illius, qui primus discordias seminavit. Hujusmodi ergo susurrones sicut gravissimè peccant, sic à Deo gravissimè sæpè puniti sunt.

Si optas exempla aliquorum, quibus susurratio in perniciem propriam versa fuit, lege historiam Danielis, (d) *ubi reperies, quomodo illi susurrones, qui apud Regem ejus perniciem moliebantur, eâdem, quam ipsi meditabantur, pœnâ affecti fuerunt, leonibus prædæ facti.*

Lege & de Aman (e) *qui cùm Mardochæo exitium pararet, & de populo Judæorum multa apud Regem pessimâ susurratione calumniaretur, totam cupiens succi-*

(d) *Dan.* 14. (e) *Esth.* 5.

succidere gentem, in trabem contigit ipsummet agi, quam pararat.

Habes etiam in vitâ S. Elisabethæ, quomodo susurratio pessima famuli cujusdam alterum de adulterio falsò accusantis apud Lusitaniæ Regem in caput ejus reciderit, dum in fornacem missus fuit altero sacrum audiente. Hanc hist. vide ad longum infrà de audit. Missæ Lect. 91.

Videant igitur qui tales sunt, quot peccatis conscientiam gravent, dum susurratione pessimâ multos commovent non solùm ad odium & discordiam; sed & quandoq; ad homicidia, aliaq; gravissima crimina impellant. Attendant quid de iis dicat Ecclesiasticus: (f) *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes.* Ne igitur, si quod verbum asperius contra proximū prolatum audierint, continuo propalent, ne pacem turbent, & propriam lædant conscientiam.

(f) *Eccl.* 28.

LECTIO LXXIV.

De mendacio.

Quid tandem hoc præcepto prohibetur?

Resp. Omne mendacium, quia est quoddam falsum testimonium, ideoq; hîc reprobatur.

Quid est mendacium?

Resp. Est locutio contra mentem, aut dictio contra id, quod sentias in animo.

Quotuplex est mendacium?

Resp. Est triplex: Jocosum, Officiosum, & Perniciosum. *Jocosum* est, cùm quis recreationis gratiâ, sine tamen præjudicio alterius, mendacium profert. *Officiosum* est, cùm quis in gratiam alterius, ut rixæ dissidiaq; vitentur, aut aliud quodvis malum avertatur, mentitur. *Perniciosum* est, quod in nocumentum alterius vergit.

Estne omne mendacium peccatum?

℟. Omne mendacium est peccatum, sive jocosum, sive officiosum, quæ sunt peccata saltem venialia, ideoq; nullo casu licita, quia sunt intrinsecè mala. Hinc nemini licent, neq; ut rixæ dissidiaq; vitentur, neq; ut urbs aliqua, aut etiã mundus universus conservetur. Hæc est S. Augustini (a) aliorumq; omnium SS. Patrum & Doctorum sententia.

Quale peccatum est mendacium perneciosum?

℟. Mendacium perniciosum pro ratione materiæ, quæ si gravis sit, & notabiliter vergat in nocumentum alterius, mortale est.

Unde mendacium traxit originem?

℟. A Lucifero, qui pater est mendacii; (b) ipse enim primus mendacio tentavit primos parentes de esu ligni vetiti dicens: (c) *Nequaquam moriemini*, &c. Exinde mendacium tanquam pessimum semen serpentis venenata germina parturivit in omnes hominum status & conditiones, ita ut justè conqueratur Oseas: (d) *Non est*

veritas

(a) *Aug. libr. de Mendacio ad Consent. cap.3.* (b) *Joann. 8.* (c) *Gen. 3.* (d) *Osea 4.*

veritas in terris, sed maledictum & mendacium inundaverunt. Hinc benè considerandum quod ait S. Ambrosius: (c) *Fratres cavete mendacium, quia omnes, qui loqvuntur & faciunt mendacium, filii sunt diaboli, non carnis successione, sed crimine.* Hæc verba sæpè inculcanda sunt pueris, & frequenti admonitione hoc vitium propulsandum est, ne ei assuescant, & in ætate maturiori adhærescat indelebiliter.

Ad quid obligatur perniciosè in damnum alterius mentitus?

Resp. Sicut fur ad restitutionem ablatorum, detractor ad reparationem famæ, susurro ad amicitiæ dissolutæ colligationem; ita perniciosè mentitus ad damnorum inde provenientium obligatur reparationem. Videant igitur huic vitio assueti, quanto se periculo exponant, & illud angue caneq; pejus detestentur, ne in mortem se præcipitent sempiternam, attendant quantum illud exhorruerint viri sancti, qui vitæ etiam jacturam, quàm levissimum proferre mendacium maluerunt.

Mirum quod profertur de Anthimo Nicomediæ Episcopo, qui grassante in Christianos Maximiano Imperatore, cùm immissos ad vincula conjicienda satellites humanissimè excepisset, habuissetq; lautissimè: En me, *inquit,* quem quæritis. *Milites, qui S. Præsulem non noverant, viri charitatem obstupescentes:* Ignosce domine, *ajunt,* te non vinciemus: negabimus te à nobis usquam invenire potuisse. Absit, *respondit ille,* Christianis fas non est, vel mendacio

(c) *l. 4. in Luc.*

vitam redimere. *Itaq; se ipse in manus militum tradit, & post multos cruciatus gloriosam pro Christo mortem oppetit.* Surius 27. April. ex Metaphraste.

LECTIO LXXV.

De Præceptis Ecclesiæ.

Suntne præter decalogum alia præcepta fidelibus observanda?

Resp. PRæter Decalogum sunt etiam præcepta Ecclesiæ, quæ omnes Christifideles necessariò observare tenentur, quia ipsa veluti sanctissima Mater ea præscripsit, & observanda præcepit. [a]

Quot sunt præcepta Ecclesiæ?

Resp. Præcipuè quinque numerantur.

Quod est primum?

Resp. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrare.

Quid exigit hoc præceptum?

Resp. Ut religiosè observemus ferias indictas. Sicut enim in veteri Testamento non solùm præcipiebatur Sabbathi observantia, sed etiã aliarum solemnitatum: haud secus in novo Testamento non solùm diei Dominicæ præcipitur sanctificatio, sed etiam aliarum solennitatum. De quo benè instruendi sunt rudes, qui minorum plerumq; obligationem circa obligationem festorum, quam diei Dominicæ confingunt. Qualiter autem festa celebranda sint, & quinam contra festorum cultum delinquant, abundè habes in præcepto tertio Decalogi. Notandum autem bre-

[a] *Matth. 18, v. 17.*

breviter, quando celebrantur festa Christo sacra, tunc melior modus est ea celebrandi, si excitemus fidem, spem, & charitatem, v. g. In festo Corporis Christi excitanda est fides, quâ credamus firmiter Salvatorem nostrum Jesum Christum verum Dei & Virginis Mariæ Filium verissimè contineri in Eucharistiâ, sub speciebus panis & vini. Excitanda est spes, quâ speremus cibo illo cœlesti nos æternùm fruituros. Excitanda deniq; est charitas, quâ Salvatori nostro pro divino hoc amore gratias immortales referamus, &c. & sic de cæteris ejus festivitatibus.

Quâ ratione cum fructu Sanctorum festivitates celebrantur?

Respondet D. Bernardus: *Tria sunt, quæ in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus: scilicet auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram, &c.* Vide Catech. Trevirensem hîc.

Quid secundò præcipitur?

R. Ut diebus festis Sacrosanctæ Missæ sacrificio integro intersimus corpore & mente, hoc est, animo eo tempore Deo vacandi. Peccant igitur contra hoc præceptum, qui Missam integram ex supina negligentia, aut nimia cunctatione negligunt, & quidem mortaliter, si medium partem suâ culpâ non audiant. Satisfacere autem eum multi Doctores asserunt, qui ab Evangelio vel Offertorio usq; ad finem, vel ab initio usq; ad Communionem Sacro interest.

Tenemurne sub mortali audire concionem diebus Dominicis & festivis?

Resp. Etsi vi hujus præcepti ad concionem audiendam obligemur sub mortali, tamen qui necessaria ad salutem ignorat, ad eam, vel potiùs ad Catechesin frequentandam sub gravi peccato obligatur. Quænam autem ab auditione Missæ excusant, vide Casuistas.

Quid continet tertium Ecclesiæ præceptum?

Resp. Observantiam jejunii Quadragesimalis. quatuor Temporum, pervigilii festorum, quando Ecclesia præcepit. Item abstinentiæ à carnibus diebus Veneris, Sabbathi, & feriis Rogationum, &c.

Quinam obligantur servare jejunia Ecclesiæ?

Resp. Omnes illi, quos ætas, labor, aut impotentia non excusat. Excusantur autem 1. qui annum vigesimum primum necdum expleverũt. Item sexegenarii debiles, infirmi, convalescentes, prægnantes, lactentes, &c. 2. Ratione laborum excusantur omnes illi, qui tales perficiunt labores, cum quibus jejunium consistere non potest, ut sunt agricolæ, fabri, pistores, sutores, &c. Item, qui iter per magnam diei partem pedibus conficiunt.

Quid requiritur ad jejunium Ecclesiasticum, & quænam ejus obligatio?

Resp. Jejunium Ecclesiasticum obligat sub mortali: requirit verò illud tres conditiones. 1. Conditio est, unica tantùm comestio in die, quæ ita est necessaria conditio, ut secundâ comestione peccet mortaliter. 2. Est abstinentia ab esu carnium. 3. Conditio est, certa hora refectionis,

quæ est circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat. Per vespertinam autem collatiunculam jejunium non solvitur, in quâ quintam vel quartam partem integræ cœnæ sumere licet. Ita Casuistæ passim.

Quid quartum præscribit?

Resp. Ut minimùm semel in anno Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate peccata confiteamur.

Quando aliàs confiteri tenemur?

Resp. Quoties SS. Eucharistiam suscipere volumus, si modo nobis simus conscii peccati mortalis. Obligamur præterea in mortis articulo confiteri peccatum mortale, quod ante non confessi fuerimus, idq; jure divino. Quia verò periculosum est confessionem diu differre propter oblivionem multorum peccatorum, peccandi consuetudinem, mortis incertitudinem, ideò consultum est sæpè confiteri; quia ex frequenti confessione homo avocatur à multis peccatis, fit timidior ad Dei offensionem. Peccatum autem, quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit peccatum, & lumen rationis excæcat.

Quid præcipit quintum?

Resp. Ut SS. Eucharistiam ut minimùm semel in anno, idq; circa festum Paschæ sumamus. Obligatur igitur quivis Christianꝰ Ecclesiæ subditus tempore Paschali (quod hisce in partibus inchoatur à Dominicâ Palmarum, terminatur verò in Dominicâ in Albis) sub peccato mortali

com-

communicare; absq; causa verò rationabili communionem omittens præter peccatum mortale, vivens ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus ab Ecclesiasticâ sepulturâ arceri potest, ita decernit Canon. *Omnis utriusq; sexûs.* Quâ autem ætate fideles obligari incipiant, vide Marchantium candel. Mist. Tract. 4. cap. 3. qu. 3. Plura de Confessione & Communione vide capite sequenti.

Estne præterea aliquid observandum?

℟. Præter hæc præcepta prohibito tempore nuptias celebrare non licet. Est autem prohibitum tempus à Dominicâ primâ Adventûs usque in diem Epiphaniæ, & à feriâ quartâ Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè.

CAPUT QVARTUM.

DE SACRAMENTIS.

LECTIO LXXVI.

Quid est Sacramentum?

℟. SAcramentum est invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem divinitùs institutum. Ita Catech. Conc. Trid.

Sive: *Est res sensibilis, quæ ex Christi institutione vim habet sanctitatis, sive gratiæ justificantis efficienda & significanda.*

Quis instituit Sacramenta?

℟. Salvator ac Dominus noster Jesus Christus.

Cur instituit Sacramenta?

Resp. Varias ob causas. 1. Ut essent volun-

tatis

tatis divinæ erga nos benevolæ & beneficæ certa testimonia, ac fœderis ejus nobiscum, promissionumq; quædam sigilla. Promisit nobis Deus peccatorum veniam, cœlestem gratiam, æternam salutem, &c. hanc promissionem Sacramentis, quasi visibilibus signis, voluit nobis esse confirmatam. 2. Ut essent quædam notæ ac symbola, quibus se filii Ecclesiæ mutuò agnoscant, & ab infidelibus distinguantur. 3. Ut essent medicinæ, & nostræ salutis remedia. Ex quibus admiranda Dei erga nos terræ vermiculos bonitas elucet, qui tam facilia & efficacia salutis remedia nobis dare dignatus est. Quid est pauculum aquæ cum levi aspersione? quid pauca verba: *Ego te baptizo*, à quolibet homine pronunciata? Hæc tamen conjuncta adeò salutifera sunt, ut in momento innumera possint abluere, & sanare peccata. Iterum quàm pauca sunt verba: *Ego te absolvo*, & tamen peccata delent, gratiam perditam restituunt, spem gloriæ in animâ pœnitente producunt.

Quot sunt Sacramenta?

Resp. Ecclesia Catholica contra quosvis hæreticos nec plura nec pauciora agnoscit quàm septem. Sunt autem: *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.*

Quis est principalis effectus Sacramentorum?

Resp. Est gratia Dei, quam in animâ producunt quæ hominem sanctificat; secundarius verò effectus est character impressus in animâ.

Quid

Quid est character?

Resp. Est signum indelebile animæ per Sacramenti susceptionem impressum, quod in eâ manebit in æternum, quodque Sathan in sagis & maleficis per quascunque cæremonias expungere non potest.

Julianus Imperator post viginti annos à baptismo factus apostata, Christianam fidem tali odio est persecutus, ut indicto publico victimarum sacrificio, illarum sanguine impuro lævari voluerit, & baptizari, putãs sic delere signaculum sacrum characteris, quod ei in baptismo impressum fuerat, imò & in sanguine illo manus suas abluit, ut ab incruenti sacrificii sumptione in Eucharistiâ, quam olim fideles manibus sumebant, hâc profanatione eas expurgaret. Sed frustrà fremit contra Christianum cultum. Signaculum illud sacrum characteris nullâ impuritate, nullâ diabolicâ inventione, nullâ Sathanæ arte poterit expungere: sed manebit in illo etiam in æternum, vindictam inclamans contra ipsum, infidelitatem exprobrans, intolerabilem confusionem ei ingerens. Greg. Nazianz. Orat. 1. in Julian.

Quæ Sacramenta imprimunt characterem?

Resp. Hæc tria duntaxat, scilicet *Baptismus, Confirmatio,* & *Ordo,* ideoq; hæc iterari non possunt: cætera verò, *Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio,* & *Matrimonium,* characterem non imprimunt, ideoq; iterari possunt.

Quæ dispositio requiritur in suscipiente Sacramentum?

R. In Baptismo & Pœnitentiâ sufficit attritio. Ad Eucharistiam requiritur Confessio cum

con-

contritione, vel attritione. In aliis autem sufficit contritio etiam sine confessione, puta in Confirmatione, Ordine, Matrimonio, & extremâ Unctione, nec attritio sufficeret, nisi putetur contritio.

LECTIO LXXVII.

De Baptismo.

Quid est Baptismus?

℟, EST novæ legis primum maximeque necessarium Sacramentum, (a) in ablutione corporis exteriore, & legitimâ verborum enunciatione juxta Christi institutionem consistens. Nec solùm adultis, sed etiam parvulis necessarium est, & efficax ad salutem æternam consequendam.

Quid requiritur ad essentiam Baptismi?

Resp. Requiritur materia & forma, sicut in omnibus aliis Sacramentis.

Quæ est materia Baptismi?

Resp. Materia hujus Sacramenti remota, est aqua naturalis, ut putei, maris, paludis, pluviæ, &c. Item resoluta ex nive, glacie, grandine, &c. Et hæc est materia valida; licita autem est aqua consecrata, si haberi potest. Non est autem materia valida Baptismi aqua artificialis ex rosis, herbis, aliisq; rebus expressa: item nec saliva, lotium, lachrymæ, sudor, vinum lymphatum, &c. quia non sunt aqua naturalis & usualis. Materia verò proxima hujus Sacramenti est ablutio, quæ

(a) *Marc.* 16. *Joann.* 3. *Matth.* 28.

quæ veluti fit tribus modis, scilicet: immersione, aspersione, infusione, juxta praxin diversarum Ecclesiarum, quæ servanda est. Ex præcepto tamen caput abluendum est, quod praxis Ecclesiæ habet. Et ubi trina ablutio usitata est, sine gravi peccato extra necessitatem non potest prætermitti.

Quæ est forma Baptismi?

Resp. Hanc tradidit Christus dicens: (b) *Ite in universum mundum, &c. baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Igitur forma necessaria Baptismi est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* quæ forma unà cum applicatione materiæ proferri debet.

Quis est minister Baptismi?

Resp. Validè ministrat omnis homo ratione utens, cujuscunque fidei vel infidelitatis, status aut sexus, dummodo intendat facere quod Christus instituit: Licite autem tanquam minister ordinarius, & ex officio Sacerdos habens jurisdictionem, aut ex ejus commissione alius Sacerdos, aut Diaconus.

Possuntne duo unum baptizare?

Resp. Si alter applicet materiam, alter formam pronunciet, nullus erit Baptismus: quia dicens se abluere cùm non abluat, formam habet falsam.

Convenitne Laicis scire formam Baptismi?

Resp. Convenit vel maximè, quia in periculo licitum est omni homini baptizare, & sic pos-

(b) *Matth. 28.*

sunt succurrere necessitati infantis, ne sine Baptismo moriatur & pereat, sine quo salvari nequit, nisi tamen in odium Christi occidatur, quia tunc virtute martyrii salvabitur. Invigilandum igitur Pastoribus, ut obstetrices benè calleant formam Baptismi.

Potestne adultus salvari sine baptismo aquæ?

Resp. Potest, vel per baptismum flaminis vel sanguinis.

Quid est baptismus flaminis?

Resp. Baptismus flaminis vocatur, quando adultus non baptizatus habet votum & desiderium efficax suscipiendi baptismum cum perfectâ contritione, & amore Dei super omnia, per quæ justificatur, & si baptismus ei possibilis non est, salvatur.

Quid est baptismus sanguinis?

Resp. Nil est aliud quàm martyrium, quo effunditur sanguis pro Christo, & habet eandem vim quam baptismus aquæ, quando ille haberi nequit. Ita SS. Patres & Theologi cum Ecclesia, quæ colit ut Martyres Catechumenos nondum baptizatos, pro Christo tamen mortuos. *Sic colit S. Emerentianam Virginem Romanam collactaneam B. Agnetis, quæ adhuc Catechumena fide & charitate flagrans furentes in Christianos idolorum cultores cùm vehementiùs accusaret, à concitatâ multitudine lapidibus obruta est: quæ in cruciatibus orans ad sepulchrum S. Agnetis proprio sanguine, quem pro Christo constanter effudit, baptizata, animam DEO reddidit.* Ita Breviarium Rom. ex S. Ambrosio Sermone 91.

Ita

Ita colit plures alios in proprio sanguine pro Christo effuso baptizatos.

Qui sunt effectus Baptismi?

Resp. *Primus* est, remittere peccatorum originale & actuale, quod Scriptura & PP. testantur, ideoq; in Symbolo confitemur: *Credo unum Baptisma in remissionem peccatorum*, quam remissionem D. August. specificat in Enchirid. a. 49. *Secundus* effectus Baptismi est, remittere omnem pœnam peccato debitam, ita ut si quis adultus nondum baptizatus convertatur & baptizetur, licet maximus fuerit peccator, per baptismum omnia ei peccata & pœnæ eis debita remittuntur, & si tunc eum mori contingat, absque mora cœlum conscendit, quia Christus in hoc lavacro efficacissimè Passionem suam voluit applicari. *Tertius* effectus baptismi est, non solùm peccata remittere, sed & gratiam, virtutes & dona infundere, animamque mirè exornare.

LECTIO LXXVIII.

De Ceremoniis Baptismi.

Cur Ecclesia Catholica varias adhibet Ceremonias circa Baptismum?

℟. ID facit ad effectus Baptismi, & nostram obligationem declarandam.

Estne antiquus harum ceremoniarum usus?

℟. Est sanè antiquissimus, ut ex decursu patebit. Unde pessimè & blasphemè hæretici more suo venerandam Ecclesiæ canitiem spernunt, dum has ceremonias subsannant. *Licetne*

Licet conferre Baptismum absque ceremoniis?

Resp. Extra casum necessitatis absq; peccato eas omittere non licet, & si tempore necessitatis omissæ sint, eâ cessante in templis solemniter sunt supplendæ.

Suntne hæ ceremoniæ Deo gratæ?

Resp. Sunt planè gratissimæ, ut ex subjectâ patet historiâ: *Propè Delphos Hollandiæ sub novæ Religionis exordio contigit, pueros quosdam in pagis baptizari; sed spretis & omissis à baptizante ceremoniis Ecclesiæ Catholicæ, pueri isti omnes morbo correpti sunt. Parentes puerorum videntes ultionem divinam, rogârunt Pastorem quendam Catholicum Delphis tunc agentem, ut ceremonias, quas sciebant antiquitùs ritu Catholico adhibitas, nunc verò omissas, supplere non gravaretur; quo peracto mox omnes isti pueri languentes & infirmi convaluerunt.* Breidenbach. l. 7. c. 48.

Cur baptizandus defertur ad fores Ecclesiæ, & non statim intromittitur?

Resp. Quia domum Dei non meretur ingredi, qui peccatorum sordibus est conspurcatus: *Domum Dei decet sanctitudo.* Atq; hoc loco catechizatur & exorcizatur, id est, proponitur ei fides Ecclesiæ Catholicæ, ut sciat quid imposterum ei credendum. Variis item orationibus adjuratur dæmon, adhibitâ etiam lectione Evangelii, & exsufflatione, per quam depellitur diaboli potestas inimica, (ait D. Augustinus libr. 1. de Symb. c. 1.) qui hactenus infidelem possedit.

Estne antiquus iste ritus in Ecclesiâ exorcizandi baptizatos?

Resp. Est sanè, nam ex hoc passim probat S. August. contra Pelagianos, infantes sub dæmonum potestate nasci. Et libr. 2. de Nupt. & Concupisc. c. 18. hunc ritum per universam Ecclesiam receptum esse affirmat. Ejus meminit Dionysius libr. 2. Eccl. Hierarchiæ cap. 2.

Cur exorcismi cum exsufflationibus fiunt?

℟. Exsufflatione usus est Dominus, cùm Spiritum Sanctum Apostolis daret, Joann. 20. Itaque exsufflatione hâc significatur dæmonis expulsio, Spiritus S. afflatus. Hujus meminit S. Augustin. libr. 6. contra Julian. cap. 2.

Quid præterea fit circa infantem?

℟. Imprimitur deinde Crucis signum fronti, pectori, auribus, oculis, aliisq; sensibus infantis, ut sciat primo Sacramento Baptismi in animam imprimi signum Christi, id est, characterem indelebilem, quo & in die Judicii fuisse Christianus agnoscetur. 2. aperiri sensus omnes ad agnoscendum verum Deum, & Dominum Jesum Christum. 3. omnibus sensibus & potentiis Christi fidem & Catholicam esse palam confitendam. 4. Christiano homini non dæmonis, sed Christi crucem esse ferendam: Christianam etiam vitam non esse delitiis plenam, sed laboriosam, ac proinde non esse mirandum Christiano, si in hâc vitâ multa tristia & adversa patiatur, quòd ista sit vocatio nostra. 5. Corpus ipsum effici habitaculum Spiritus Sancti, quia ex hoc signo externo præfixo domui cognoscitur quis in eâ habitet.

Cur

Cur datur degustandus sal benedictus?

Resp. 1. Ad significandum, quod à putredine & fœtore peccatorum omnium liberetur, ut à vermibus peccatorum ultra non putrefiat, sed magis illæsus servetur ad majorem gratiam percipiendam. 2. Quòd ipsi gustus detur rerum spiritualium, ne illa post hoc insipida sint ei, quæ in Ecclesiâ traduntur; sed potiùs delectetur, videat, & gustet, quàm suavis sit Dominus! 3. Quòd veram accipiat & divinam sapientiam in omnibus actionibus adhibendam, ne quid imprudenter, temerè aut irreligiosè agat. 4. Quòd per gratiam baptismi & corpus ipsum liberabitur aliquando ab omni corruptione.

Quid significat manûs impositio?

Resp. Manûs impositio, quæ fit à Sacerdote, significat reconciliationem, quâ, qui fuerat extra Ecclesiam, in gratiam Ecclesiæ venit. Vel ideò, ne malignus spiritus redire audeat, ut vult Aug. libr. 2. de pec. mer. cap. 26.

Cur nares & aures baptizandi salivâ liniuntur?

Resp. Tanguntur à baptizante Sacerdote nares & aures salivâ, prolatis Christi verbis, quibus aures & linguam surdi & muti tangens usus est: *Epheta, quod est adaperire.* Marc. 7. Tali contactu significando (1.) Quòd jam verum ac vivum efficitur Christi membrum cum reliquo corpore capiti adhærens. (2.) Quòd aures internæ aperiantur, ne ad divinas promissiones, comminationes, & admonitiones obsurdescat, sed facilè intelli-

gat vocem Domini & Pastoris sui, quam discernat à voce alienorum, juxta illud: *Oves meæ vocem meam audiunt*, Joann. 10. Rursus nares liniuntur, ut bonum odorem accipiat pietatis æternæ, ait Ambros. libr. 1. de Sac. c. 1.

Quid deinceps sequitur?

Resp. Sequitur abrenunciatio, quando quæritur à baptizando: *Abrenuncias Sathanæ, & omnibus operibus ejus?* & respondetur à Patrinis *Abrenuncio.* Hanc ab Apostolis fluxisse ait S. Clemens lib. 1. Constit. Apost. cap. 41. & Dionys. Eccles. Hierarch.

Cur ista abrenunciatio ante baptismum fit?

Resp. Ut sciant Christiani, non esse solorum Monachorum aut Religiosorum renunciare sæculo, sed hanc esse omnium Christianorum professionem, *ut non sint de hoc mundo, sicut & Christus non fuit ex hoc mundo*, Joann. 17. ut deserant mundum, & omnia quæ in mundo sunt: ut cor sursum habeant ad Dominum, *expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei*, 1. Joann. 2. atque hanc professionem tam esse propriam & intimam Christianis, ut qui eam negligit, non minus censeatur reus, quàm Religiosus violans votum suum Monasticæ professionis. Uterque maledictioni est obnoxius, majori quidem hic, ille minori; sed ambo intolerabili.

Quæ sunt pompæ diaboli, quibus renunciare debemus in Baptismo?

Resp. Non sunt aliud secundùm August. lib. 3. de Symb. cap. 1. quàm illicita desideria, ut concupi-

cupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

Cur ad fontem baptismi consistens interrogatur baptizandus à Sacerdote hoc modo: Credis in Deum Patrem? &c. *cui ille, seu pro eo Patrinus respondet:* Credo?

Resp. Ut sciamus sine rectâ fide baptismum nihil prodesse: nam *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Monentur item Susceptores, ut parvulum instruant in fide, cùm ad usum rationis pervenerit.

Quid designat unctio, quæ fit ex oleo sanctificato in pectore & scapulis baptizandi?

Resp. Ut sciat se quasi Christi athletam luctamen suscipere contra diabolum, mundum, & carnem: vel, ut habeat cor purum ad malas cogitationes ejiciendum, & humeros fortes ad perferendum adversa.

Cur baptizatus in vertice Chrismate inungitur?

Resp. Ut sciat, se Spiritus Sancti gratiam in hoc fonte accepisse, qui columbæ specie in Christum baptizatum descendit: tum ut intelligat se jam inunctum internâ gratiâ, & externo Chrismate meritò vocari Christianum.

Quid designat vestis alba, quâ à Sacerdote induitur baptizatus?

Resp. S. Dionys. de Eccl. Hierarch. c. 1. & 2. dicit, per eam designari, eum veterem exuisse hominem, & novum induisse. Et Rabanus lib. 1. de Inst. Cler. c. 29. ait, designari *innocentiam* *Chri-*

Christianam, quam post ablutas veteres maculas studio sanctæ conversationis immaculatam servare debemus ad præsentandum ante tribunal Christi. Quia talis exigetur à Christo, tam pura & nitida, tam ab omni sorde & pulvere aliena, qualis data est in hoc baptismi Sacramento. *Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cælorum,* Apoc. cap. 21.

Quid postremò designatur per cereum ardentem, qui porrigitur baptizato?

Resp. Postremò omnium porrigitur baptizato cereus ardens his verbis: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi baptismum tuum, serva Dei mandata,* &c. Quo cereo significantur tres Theologicæ virtutes, quæ baptizato per Sacramentum infunduntur: Fides in lumine, Charitas in calore, Spes in cerei rectâ altitudine, quæ ex imo sursum ascendit, sicut spes nostra ad cœlos usq; erigitur, & nos erigit. Cæterùm hic cereus datur gestandus manibus, quia non sufficit, corde fidem, spem & charitatem retinere, nisi etiam operibus prodamus & exeramus. *Memores,* ait Apostolus, *operis fidei vestræ,* (id est, operosæ fidei) *& laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei,* 2. Thess. 1.

Ideoque jubemur ire in pace, hoc est: non otiàri, non quiescere, non contenti esse his, quibus donati sumus, sed operari, progredi de virtute in virtutem, ad anteriora nos extendere, & in novitate vitæ ambulare.

LECTIO

LECTIO LXXIX.

De Patrinis, eorumq; officio.

Debentne Patrini in baptismo adhiberi?

R. Debent, idq; ex antiquissimâ ordinatione Ecclesiæ, cujus D. Dionys. in Eccl. Hierarch. mentionem facit cap. 2. & 7.

Quot requiruntur Patrini?

Resp. Ad summum unus, & una, sed sufficit unus, vel una. Ita Frid. Con. Sess. 14. c. 2. caveturque ne plures admittantur ob cognationem spiritualem, quæ inde contrahitur, & impedit dirimitque matrimonium.

Inter quos oritur hæc spiritualis cognatio?

Resp. 1. Oritur solùm inter baptizantem & baptizatum, & parentes baptizati. 2. Inter susceptorem & susceptum, & hujus patrem & matrem, ita Concil. Trid. l. c. Quæ cognatio impedit & dirimit matrimonium.

Quod est officium Patrinorum?

Resp. Ea est obligatio Patrinorum, quæ si benè perpenderetur, ad hujusmodi officium non adeò faciles forent. Tenentur ergo (1.) pro infante ipso respondere, mundo renunciare, fidem profiteri, ita planè, ut per eos susceptores infans loqui censeatur, & sese obstringere. (2.) Debent sese obligare ad institutionem infantis, ipsique Ecclesiæ testari, & fidejubere, se omnem daturos operam (præsertim si parentes morerentur, aut negligentes forent) ut infans iste, vel etiam adul-

adultus, in his quæ sunt Christianæ religionis, erudiatur, & in verâ fide permaneat. (3.) Debent baptizando nomen imponere.

Qualia nomina baptizandis debent imponere Patrini?

Resp. Debent esse solliciti, ne Gentilium nomina eis imponant, sed omninò præstat eis imponere nomina Sanctorum cum Christo regnantium, quos Ecclesia Dei ob præclara gesta celebri memoriâ recolit, aut nomina Angelorũ per Scripturam nobis nota, ut scilicet horum patrocinio & intercessione possint fulciri, eorumq; vestigiis inhærere, sanctitatem sectari, gesta imitari, & cum illis tandem regnare.

S. Franciscus de Paula ad tantum sanctitatis gradum pervenit, quia S. Francisco Ordinis Minorum Patriarchæ fuit oblatus, ejusque nomen susceperat voto illi facto à parentibus impetratus, hinc ejus humilitatem, castitatem, austeritatem mirè est imitatus. Surius 1. Aprilis.

S. Nicolaus Tolentinus impetratus fuit à parentibus voto facto S. Nicolao Episcopo; ideoq; ejus nomine fuit insignitus, & virtutibus exornatus. Nam & ab infantiâ multarum virtutum, specialiterq; abstinentiæ specimen dedit, illum, cujus nomen susceperat, imitatus. Anno enim necdum septimo ætatis plures cœpit hebdomadæ dies jejunare, quam consuetudinem totâ vitâ retinuit, solâ aquâ & pane contentus. Surius 10. Septembris.

Suntne hæretici admittendi in Patrinos?

R/. Nequaquam: tum quia non possunt suâ se obligatione exsolvere, quia in rectâ fide pue-

rum instruere nequeunt, quam abnegant; tum quia Sanctorum venerationem rejiciunt, unde fuis volunt imponi nomina Sanctorum in Ecclesiâ celebrium? frequentiùs imponunt nomina Judæorum quàm Christianorum.

Mirum est quod contigit in Britanniâ inferiori, in diœcesi Leonensi intra Landernacum & montem Retaxum vulgò Norlak, anno 1602. in Februario. Cùm puellulæ baptizandæ Patrinus hæreticus adhibitus foret, illeq; nomen vellet dare, miraculosâ loquelâ infans omnibus stupentibus inclamavit: Maria est nomen meum. *Unde nec Patrinus ille admissus fuit, nec nomen quod optabat imponi, quandoquidem divinitùs repudiari censerentur.* March. Gand. mist. tract. 2. lect. 6. De ceremoniis baptismi vide ibid. lect. 7.

LECTIO LXXX.

De Sacramento Confirmationis.

Quid est Confirmatio?

Resp. CONfirmatio est unctio chrismatis, sub præscriptâ verborum formâ in fronte baptizati ab Episcopo, qua is ex Christi institutione gratiæ augmentum & robur accipit.

Estne Confirmatio verum Sacramentum?

R. Est verum Sacramentum, ita ex doctrinâ tum S. Scripturæ, tum SS. Petrum est definitum à Concilio Trident. De hoc Sacramento in Actis Apostol. *(a)* fit mentio, dum ab Apostolis missi leguntur Petrus & Joannes in Samariam, ut ibi credentibus imponerent manus, & acciperent Spi-

(a) *Act.* 8.

Spiritum S. Item, cùm Paulus aliquos baptizasset imponente ipso manus, venit Spiritus S. super eos. Hæc impositio manuum non est aliud, quàm Confirmatio, in quâ Episcopus Apostolicæ authoritatis successor manus imponit, orando, & frontem ungendo ac signando, quâ impositione gratiam Spiritus S. impertitur.

Quando hoc Sacramentum est institutum?

Resp. Probabilissimum est, institutum esse in nocte ultimæ cœnæ, à Christo, quem tunc multoties Spiritum S. Ecclesiæ suæ promisisse legimus, Joann. 16. in ipso autem Pentecostes festo est exhibitum. Act. 2.

Cur datur Sacramentum Confirmationis?

Resp. Ad impetrandam Spiritus S. majorem gratiam, ejusq; auxilium, quo homo roboratur ad fidem Christi, si opus est, liberè confitendam. Datur ergo per hoc Sacramentum donum fortitudinis & charitatis, quo fortiter dimicemus contra adversarias potestates in hâc militiâ Christianâ. Hoc dono confirmari Apostoli orbem sibi totum subjecerunt, & qui antea vacillantes intra domesticos parietes latebant, ad folii sonitum territi, posteà non solùm in Judæâ palam loqvuntur, sed ad Samariam, deinde ad gentes & Romanum imperium progrediuntur, ibiq; Jesu Christi Crucifixi fidem intrepidi inter minas, gladios, ignes, eqvuleos, sartagines, cruces confitentur & deprædicant. Eodem Spiritu, iisdem armis per Sacramentum Confirmationis instructi Martyres pro eâdem fide usque ad mortem

tem decertarunt. S. Cyprianus Martyrum coronas Sacramento Chrismatis attribuit, serm. de lapsis.

Quando hoc Sacramentum est suscipiendum?

℟. Omnis baptizatus capax est hujus Sacramenti, Apostoli enim omnibus baptizatis manus imposuisse leguntur, & post Apostolorum tempora statim cum baptismo dabatur hoc Sacramẽtum cujuscunq; ætatis, sexus, & status hominibus. Utiq; cùm effectus hujus Sacramenti sit robur & perfectio gratiæ, illa convenit omnibus. Et licet pueri necdum sint apti ad pugnam spiritualem, ad quam hoc Sacramentum ordinatur; sunt tamen apti, ut armentur & consignentur charactere militari, & gratiæ perfectionem suscipiant, ut suo tempore possint dimicare. Alii censent deferendum usq; ad annum septimum, cui opinioni favet Catechismus Pii V. & præsens Ecclesiarum multarum consuetudo, nec deest ratio. 1. Ob majorem Sacramẽti reverentiam, dum per propriam dispositionem recipitur. 2. Ut sic susceptum majorem effectum conferat. 3. Ut professio in baptismo per alios facta in Confirmatione per ipsum suscipientem fiat. 4. Ad vitandum periculum iterationis, dum meminit ipse suscipiens suæ Confirmationis. Unde quidam putant, etiam ob id alapam impingi.

Teneturne quilibet hoc Sacramentum suscipere?

℟. Disputant de hoc Theologi, an sit præcepti absoluti suscipere hoc Sacramentum, communior tamen sententia censet non esse obliga-

tionem ſub peccato mortali, nec culpam incurrere mortiferam eum, qui ſecluſo contemptu, etiam toto vitæ ſuæ tempore illud non ſuſceperit, eo quod expreſſum hâc de re in Scriptura aut Eccleſia præceptum non reperiatur. Altera tamen ſententia probabili fundamento non caret. In aliquibus tamen caſibus ſub gravi peccato videtur obligare, v. g. quando inſtat occaſio publicè confitendi fidem in perſecutionibus, quia periculoſum eſt adire diſcrimen fidei ſine hâc armaturâ ſpirituali.

Quæ diſpoſitio requiritur ad hoc Sacramentum?

Reſp. Confirmandus debet eſſe in gratia, hinc neceſſaria eſt ei Contritio, ſive Confeſſio, quia in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus, qui cor ſubditum peccatis non intrat. Monendi igitur ſunt acceſſuri, ut conſcientiæ munditiam, quantum potuerint, procurent, dignum locum Spiritui S. præparantes.

Cur confirmato Epiſcopus alapam impingit?

Reſp. Ut ſciat, ſe talem jam militem eſſe conſtitutum, cujus pugna & victoria non in inferendis, ſed in tolerandis verberibus cernatur: ſicut Apoſtoli (b) *ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Sic dimicandum eſt in militia Chriſtiana non adverſus homines quos videmus, ſed adverſus dæmones quos non videmus. Sic pugnavit & vicit Imperator noſter Chriſtus, qui cruci affixus debellavit aëreas poteſtates. Sic pugnabant & Martyres adverſus perſecutores non

(b) *Act.* 5.

ſcien-

feriendo, sed patiendo, & glorianter alteram maxillam præbendo percutienti.

Cur in Confirmatione adhibetur Patrinus?

Resp. In Confirmatione solet adhiberi Patrinus, (qui ne graviter peccet, debet esse confirmatus) ut scilicet baptizatum tanquam adhuc spiritualiter imbecillem quodammodo sustentet, & Duci exercitus Dei armandum.& militem consignandum sistat: armatum deinde tanquam tyronem in spirituali malitia, ideoq; consilio & directione egentem, si necesse fuerit instruat.

Oriturne cognatio spiritualis in hoc Sacramento?

Resp. Oritur sanè inter Confirmatum, illiusque patrem, matrem,& Confirmantem. Item inter susceptorem & susceptum. illiusq, patrem & matrem. Et hæc cognatio spiritualis impedit, & dirimit matrimonium. Notandum denique, quòd frons confirmati obliganda sit fasciâ lineâ cruce notatâ, gastandâ uno, tribus, aut septem diebus, pro consuetudine, illotâ interim fronte: potest etiam, si ratio subsit, statim auferri, & frons ablui: ipsa autem comburi, vel honestè asservari debet, nec ad profanos usus adhiberi propter contactum Chrismatis, neque solvens illam contrahit cognationem.

LECTIO LXXXI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

POenitentiæ Sacramentum Eucharistiæ præmitto, ut rudiores instruantur, qualiter per pœnitentiam ad Eucharistiam debitè suscipien-

piendam se præparare debeant, adeoq; utiliora maximeq; necessaria hic, atq; Eucharistiæ Sacramentum concernentia, quâ possum brevitate, & claritate proponam.

Quid est Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Est Sacramentum remittendi peccata post baptismum commissa: quæ pœnitentia non se extendit ad peccata baptismum præcedentia, sicut enim baptismus nondum regeneratis ad salutem est necessarius, sic Pœnitentiæ Sacramentum post baptismum lapsis de necessitate, si ad vitam resurgere velint, competit. Quare à S. Hieron. rectè *secunda post naufragium tabula* dicitur; ut enim confractâ navi unicum vitæ servandæ refugium est, tabulam arripere & transnatare: ita post perditam per peccatum baptismi innocentiam, necessaria est tabula pœnitentiæ, quam nisi quis arripuerit, de salute desperandum est.

Quis instituit hoc Sacramentum?

Resp. Christus Salvator noster quando à mortuis excitatus insufflavit in discipulos dicens: (a) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 1.

Quæ est vis & efficacia Sacramenti pœnitentiæ?

Resp. *Primò* efficit remissionem peccatorum, juxta illud Ezechielis: (b) *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus operibus, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit justitiam & judicium, vitâ vivet, & non morietur.*

(a) *Joann. 20.* (b) *Ezech. 18.*

Secundò, Eodem momento, quo pœnitentiam veram agit peccator, recipit gratiam Spiritus Sancti, imò & ipsum Spiritum S. hospitem, nutricem, & rectorem vitæ suæ.

Tertiò, Confestim adoptatur in filium Dei hæredem regni cœlestis, tractatur ut filius, siquidem ipse curam ejus suscipit, pius Pater in domū suam recipit filium prodigum, jubet illum indui stolâ primâ, id est veste prioris gratiæ, eiq; dari annulum arcanorum divinæ Sapientiæ, id est, novam cognitionem rerum divinarum, quæ occultæ sunt, & ab oculis hujus mundi absconditæ.

Quartò, In illâ horâ exultant cœli, & canunt Angeli, laudantq; Deum in excelsis, (c) & festos dies agunt in Aula cœlesti ob conversionem novi fratris. Omnes quoque creaturæ, quæ contristabantur propter offensam Creatoris, tunc lætantur, & dulce canunt Alleluja: Inter omnes autem bonus ille Pastor, qui tot laboribus & molestiis perditam ovem suam quæsivit & invenit, illam in humeris suis ad ovile reportat, & convocatis amicis dicit: (d) *Congratulamini mihi, quoniam inveni ovem meam quæ perierat.*

Quintò, Pœnitentia restaurat bona, quæ per peccata amissa fuerant, restituitque merita virtutum, quæ peccatum præcesserunt. Pulchrum hâc de re exemplum vide suprà in Symb. Apost. Art. 10. Lect. 19.

Quot sunt partes pœnitentiæ?

Resp. Tres esse non Scriptura tantùm, sed & natu-

(c) *Luc.* 15. (d) *Ibid.*

natura docet: nam cùm filius, servus aut amicus patrem, dominum aut amicum læsit, aut ratione quâvis in illum aliquid commisit, si reconciliari vult, primò agnoscit & detestatur quod fecit, tunc illum in quem peccavit adit, & coram eo confitetur, & agnoscit se malè fecisse, demum offert se paratum satisfacere pro arbitrio ejus, in quem peccavit: Ita etiam in peccatis contra Deum commissis Scriptura nos docet, & verbis & exemplis fieri debere, ut videlicet primò peccata agnoscamus, eaq; detestemur: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* (e)

Deinde, ut hoc ipsum confiteamur: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam.* (f)

Postremò docemur, nos divino judicio subjicere, & quam ille imposuerit pœnam humiliter subire. *Corripe me Domine; veruntamen non in furore, sed in judicio, ne fortè ad nihilum redigas me.* (g) Quæ tria etiam in pœnitentiâ David de peccato Bersabeæ inveniuntur.

(e) *Psalm.* 50. (f) *Psalm.* 31. (g) *Hier.* 20.

LECTIO LXXXII.

De Contritione, primâ pœnitentiæ parte.

Quid est Contritio?

℟. E*St dolor animi peccata sua detestantis, & ad meliorem vitam aspirantis*, vel, ut Concil. Trid. Sess. 14. c. 4. definit: *Est animi dolor*

dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Perfecta igitur contritio duo includit, dolorem sive detestationem peccatorum propter Deum summè dilectum, & firmum propositum emendationis vitæ, & observationis mandatorum Dei.

Prima igitur conditio perfectæ contritionis est, ut sit dolor animi, & detestatio peccati commissi, propter Deum offensum tanquam summũ bonum, sive propter bonitatem illam infinitam, & infinitè in se amabilem, quam per peccatum offendimus. Multi licet dolere videantur de peccatis, non tamen recipiunt fructum, quia dolor ille potiꝰ est ob motiva aliqua humana, quàm ob Dei offensam. Sic ebrius de ebrietate præterita dolet ob dolorem acrem capitis, quem sibi conciliavit: vel ob pecuniam perditè expensam, Dei autem offensam non considerat. Sic fur deprehensus maximè dolet ob pœnas jam sibi præparatas, divini judicii vix memor.

Hoc declaratur exemplo Scripturæ in Saule & Davide, (a) Rex erat David, Rex & Saul, uterq; electus â Domino, uterq; Rex Israël, uterq; deliquit, Saul parcendo Amalec Regi, & gregibus ovium, quæ interficere debebat juxta mandatum Domini; David graviùs, ut apparet adulterio, homicidio, & scandalo, uterque post peccatum hanc vocem protulit: *Peccavi Domine.* Saul cùm corriperetur à Samuele, David dùm corriperetur à Gad Prophetâ, sed nunquid uterq; invenit remissionem? nunquid utriusq; pœnitentiæ idem

(a) 1. *Reg.* 12. & 15.

fructus? Nequaquam; nam statim audit David per os Prophetæ: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* At cùm Samuel oraret pro Saule, dicit ei Dominus: *Usquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum?* cur putas veniam consequitur pœnitentia Davidis, non pœnitentia Saulis? an personarum acceptor Deus? an non utriusq; eadem vox fuit? utique ex sincero corde & verâ pœnitentiâ processit illa vox, & agnitio peccati in Davide. At verò Saul lugebat potiùs honoris amissionem quàm Dei offensam, unde dicit Samueli: *Peccavi, sed nunc honora me coram senioribus.* (b)

Sic Antiochus Rex in infirmitate pœnitet, luget amarè, promittit satisfactionem, & restitutionem eorum, quæ in templo rapuerat, & tamen dicitur ibi: (c) *Orabat scelestus Dominum, à quo misericordiam non erat consecuturus.* Quia pœnitentia ejus non ob Dei offensam, sed ob sanitatis amissionem & vitæ periculum procedebat.

Sic multi ob temporalia damna amarè flent corde contribulato & angustiato, damna verò gravissima animæ per peccatum illata arido corde, siccisq; oculis prætereunt. *Plangis corpus, à quo recessit anima, non plangis animam, à quâ recessit Deus.*

Primò igitur, ut contritio sit vera, requiritur, ut sit dolor & detestatio peccati ob Deũ offensũ.

Quæ est secunda conditio contritionis?

℟. Secunda conditio contritionis veræ est, *ut sit detestatio cum firmo proposito emendationis:* & ita necesse est firmiter resolvere, non solùm pec-

(b) 1. *Reg.* 15. *v.* 30. (c) 2. *Mach.* 9. catum

catum vitare, sed & occasiones illius, v. g. non solùm fornicationem, sed & consortium omninò periculosum ad illam inducens, familiaritatemque nimiam cum persona diversi sexûs. Qui igitur firmum emendationis propositum non habet, licet millies confiteatur, peccatorum veniam non obtinebit.

Præclarum hâc de re exemplum habemus de quodam Canonico, qui multa habens stipendia, delicatissimè vixerat, & libidine aliisq; peccatis iram Dei in se provocavit, tandem infirmitate correptus timore mortis confitens peccata deflevit, emendamq; promisit, viaticum accepit, inunctus est, obiit. Cujus corpus utpote viri divitis ac nobilis cum magnâ pompâ sæcularis gloriæ tumulatum est. Erat enim illâ die tanta serenitas, ut ipse aër ejus obsequiis famulari videretur. Dixerunt ergo homines: Multa bona præstitit Deus homini isti, nihil enim defuit horum, quæ Christianus habere debuit: Dominicis Sacramentis munitus est, magnâ cum gloriâ sepultus est. *Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Post paucos dies cuidam familiari apparens dicebat, se esse damnatum; cùmque miraretur ille, & expavesceret, pœnitentiam ejus & confessionem, sacram etiam Communionem & inunctionem commemorans, respondit defunctus:* Unum bonum mihi defuit, sine quo nullum horum, quæ enumerata sunt, mihi prodesse potuit. Quid est illud, *inquit? Respondit Defunctus?* Vera contritio; licet enim Deo promiserim consilio Confessarii continentiam, sive alia quæ salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia, quòd si conva-

lueris,

lueris, observare non poteris, & quia cor magis declinavit ad transgressionem, quàm ad voti observantiam, nullius peccati merui remissionem. Spec. Exempl. verbo *Contritio* Exemplo 6.

Qui igitur peccatorum veniam desiderat, non solùm admissa defleat, sed firmiter etiam statuat, divina aspirante gratia in ea deinceps relabi nunquam, & relabendi occasiones fugitare.

His igitur conditionibus ornata contritio, scilicet procedens ex intimo corde ob Deum offensum, cum firmo emendationis proposito, tantæ virtutis est, ut unico momento, peccata licet gravissima, quantumvis etiam repetita deleat. Ex sexcentis unum subnectam.

In civitate quâdam Brabantiæ adolescens quidam erat honestis natus parentibus, sed parentelam suam luxuriâ, furtis, ebrietatibus, litibus, aliisq; vitiis defœdabat, taliterq; se in omnibus habebat, ut etiam homines sanguinis sui, imò & ipsi parentes, vel rotandum eum, vel confusibilis patibuli trabe in totius generis sui dedecus suspendendum timerent. Hunc igitur judici tradiderunt occidendum, satius existimantes, ut nullo sciente pœnas exsolveret, quàm tota familia ex publico ejꝰ supplicio pateretur infamiam: ajunt ergo Judici: Sume ô Judex hunc filium perditionis, improbitatis authorem, fornicarium, furem, taxillis assuetum, & temulentiæ deditum, & clam aquis injectum submerge, meliùs est enim, ut clandestinè amicis tantùm scientibus pereat, quàm ut publicè suspensus familiæ toti sit dedecori. *Judex impietatis ejus famæ non ignarus, cùm ligatum manibus & pedi-*

pedibus eum in saccum mitteret, prostratus in terram a-it: Dimitte mihi pro Domino, quòd te justitiâ cogente pro tuis sceleribus submergam, compatior enim, & teste Domino, ad acerbos tuos eventus contristor. *Adolescens verò, etsi videret se mortem evadere non posse, obstinato animo dixit:* Etsi ob hoc æternaliter damnandus essem, nec tibi tamen, nec me accusantibus atq; tradentibus veniam dono. *Quibus dictis sacco immittitur, obstinatis aquis injicitur, mortuus extractus secretè sepelitur. Eâdem nocte cùm Judex obstinatum juvenis animum miraretur, & eum pro tot sceleribus certò damnatum putaret, subitò respiciens ad lectuli sui latus, eum quem occiderat, ante se stantem vehementer expavit, & resumpto animo rogavit, utrum justitiâ Dei damnatus esset? an misericordiâ ejus reservatus ad gratiam? respondit ille:* Quamvis actu gravissimas sustineam pœnas, & super quam lingua effari possit, sceleribus meis exigentibus, gravissimis tormentis fatiger, in gratiâ tamen mortuus sum, & æternæ quietis sedes expecto. *Tunc judex:* Miror si vera fateris, præsertim cùm totus mundus te dignum gehennâ decernat, & maximè ego amiciq; tui, qui te in tantâ obstinatione, irâ & odio spiritum efflare conspeximus. *Tum adolescens:* Cùm, *inquit*, in aquam submersus palpitarem, & mortis me inciperent angustiæ commovere, divinæ gratiæ lumine irradiatus plus cœpi dolere, quòd obstinatione, irâ, luxuriâ, aliisq; vitiis divinam clementiam offendissem, quàm quòd submersus vitæ dispendia sustinerem. Unde alto clamore cordis i

mei inter acerbas mortis angustias hanc orationem Domino fudi: *O pietatis fons indeficiens, & sceleribus mortalium bonitas invincibilis, pone crucem & mortem tuam inter peccata meam & justitiam tuam, indulge mihi quæso offensam, quia nunc pro amore tuo omnibus qui me offenderunt, libens offensas dimitto; expande nunc brachia amor æterne, & peccatricem animam meam in sinu tuæ vastissimæ pietatis recollige, quod, si imposterum vita daretur, non te amplius ut hactenus feci, sceleribus lacesserem.* Et inter hæc verba spiritum emittens, pietatis divinæ januas aliquando mihi aperiendas agnovi. *Audiens hæc judex, attonitus stabat, & tam ineffabilem pietatem stupefactus ajebat:* Tibine Deus veniam dedit? tibi inquam lubrico, tibi improbo, tibi non gratiâ, sed supplicio digno? *Et juvenis, ita fecit, inquit. Tunc judex illachrymans ait;* Nunc infelix desperatio vale, siquidem si Deus tam pius est, ad ejus misericordiam penitus pergo, & peccatorum licet conscius sim gravissimorum, qui huic scelestissimo juveni veniam dedit, mihi quoq; pœnitenti veniam non negabit; *interim adolescens disparuit, & judex mundo valedicens Carthusiensem Ordinem ingressus in pœnitentiâ vitam finivit.* Specul. Exempl. verb. *Contritio*, Exempl. 13.

Quando elicienda est contritio?

Resp. 1. Mane & vesperi. 2. Ante confessionem. 3. Quoties imminet periculum mortis. 4. Quoties conscientiam peccato gravatam quis advertit.

Cur

Cur toties elicienda contritio?

℟. Quia si quis in statu foret peccati mortalis, per contritionem (quæ votum Confessionis suo tempore faciendæ includere debet) ejꝰ consequitur remissionem, & si subitâ morte tollatur, & confessioni tempus non suppeteret, mediante contritione salvabitur, qui absque eâ damnationi fuisset obnoxius. 5. Quoties elicitur nova contritio, nova acquiritur gratia, & eximia in cœlis corona.

Quomodo vera elicienda contritio?

Resp. Multum sanè effecerint Catechistæ, dum rudiores modum eliciendi contritionem docuerint, quorum plurimi nesciunt, quid sit contritio, quid cordis compunctio, ideoq; periculosè vivunt, periculosiùs moriuntur. Et quia non in verbis, sed in torâ cordis conversione consistit contritio, parum est, quibus verbis exprimatur, pro rudioribus tamen brevem methodum subjungo, quam diligens Catechista memoriæ commendandam suis tradet, quæ etiam infirmis & agonizantibus est prælegenda.

Eine schöne Weiß wahre Reu und Leyd zu erwecken über seine begangene Sünden Erstlich / alle Morgen und Abend. 2. Vor der Beicht. 3 So offt man in Todes Gefahr ist. 4. So offt man sein Gewissen mit einer Todt-Sünde beschwert findet / zugebrauchen.

MAn muß dencken / daß man CHristum seinen Herrn vor ihm selbe am Creutz hangend voller Wunden / und blutig / von ihm mit weinenden Augen angeschauet werde / und soll langsam / mit Andacht / Erwegung und Betrachtung eines jeden Worts / aus Grund des Hertzens sagen;

Mein

Mein gütiger JEsu/ es ist mir von Hertzen leyd/ daß ich immer gesündiget habe/ und das darumb/ dieweil ich dich meinen barmhertzigen GOtt und freundlichen Vatter erzürnet habe/ der mich so sehr geliebet/ der sein theures Blut für mich vergossen/ und einen so bittern Todt gelitten hat. Wolte GOTT/ daß ich nimmer gesündiget häte. Ich nehme mir festiglich vor/ alle meine Sünden recht zu beichten/ und mein Lebenlang nicht mehr zu sündigen. O JEsu darzu gib mir Gnade.

LECTIO LXXXIII.

De Confessione, altera Pœnitentiæ parte.

Quid est Confessio?

R. Confessio secunda pœnitentiæ pars, est secreta coram Sacerdote peccatorum omnium accusatio, quæ post accuratum examen memoriæ occurrunt. De illa ex sententia Dionysii Carthus. intelligendus est S. Joannes, cùm ait: (a) *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

1. Dicitur Confessio *Accusatio*, ut intelligas omnem culpæ aut excusationem, aut extenuationem culpæ, aut reticentiam hinc procul abesse debere. Nimirum, *qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit, misericordiam consequetur.* (b)

2. *Secreta*, ut discernatur ab ea, quæ olim palam omnibus fiebat: cùm nunc uni Sacerdoti ita fieri

(a) 1. *Joann.* 1. (b) *Prov.* 28.

fieri debeat, ut ab alio nemine quidquam audiatur.

3. *Omnium peccatorum quæ memoriæ occurrunt.* Si enim ex centum, quæ meministi, vel unicum silentio presseris, nihil fecisti; imò ad antiqua novum & gravius sacrilegium addidisti.

Quis hanc Confessionem instituit?

℞. Christus Salvator noster eam instituit Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Nam ibi Apostolos & eorum in Sacerdotio successores constituit Judices ad discernendum eos, quibus peccata remittenda forent, ab his quibus retinenda, quod frustrà factum foret, nisi teneantur peccatores tanquam rei hisce judicibus sese subjicere, & causam conscientiæ suæ cognoscendam exhibere: ergo ex Christi institutione & præcepto necesse est Sacerdotes priùs audire confessionem, quàm ferant sententiam.

Quando incepit Confessio Sacramentalis?

℞. Incepit primordiis Ecclesiæ, & tempore Apostolorum, (c) omnibus enim seculis usq; ad initium nascentis Ecclesiæ fuit in usu, prout ex luculentis SS. Patrum testimoniis probatur, quæ vide ex Bellarmino (d), Becano (e), & aliis. Particulatim lege Marchantium Cand. myst. Tract. 5. Lect. 6. Ex quibus omnibus patet, hoc Sacramentum Confessionis non esse humanum inventum, aut ab hominibus institutum, ut inclamant Hære-

(c) *Act.* 16. *Jac.* 5. (d) *Bellarm. tom.* 3. *de pœnit.* (e) *lib.* 4. *c.* 6. *& seq.*

Hæretici. Nam nec illi unquam potuerunt, aut poterunt ostendere, quis homo, ubi, & quando illud invenerit, instituerit, præceperit. Unde enim hoc tantæ humilitatis præceptũ originem trahere potuit, nisi à Deo? Quis hoc onus mundo imponere potuit, nisi Jesus Christus? Quis Imperatores, Reges, Principes, Pontifices ad id cogere potuit, nisi Rex Regum, & summus Sacerdotum? Cùm igitur nec in aliquo Concilio, nec in aliqua Constitutione Apostolica origo talis præcepti reperiatur, planè juris & institutionis divinæ esse cognoscitur. Patet igitur hanc confessionem peccatorum ita esse necessariam, ut sine ea, re ipsa vel voto facta, peccata ipsa nullo modo remitti possint, idque ex ipsius Christi institutione.

Cur placuit Christo tam grave onus imponere hominibus in lege summæ libertatis?

R. 1. Ad frangendam superbiam humanæ elationis, seque ipsum cognoscendum plurimùm conducit Confessio. 2. Ad peccati satisfactionem, & cavenda futura, pudor ille valet plurimùm & apud Deum, & apud homines. 3. Ad peccata detestanda, & ad certiorem doctrinam circa mores à Sacerdote accipiendam, & ad auferendam noxiam securitatem, ac desperationem, & ad consequendam non minimam consolationem ex audita absolutione.

Cùm igitur ita necessaria sit peccatorum confessio, quomodo eam ritè instituam?

R. Quicunque cum fructu confessionem instituere

ſtituere cupit, quædam ante, quædam in, quædam verò poſt eam obſervare debet. De quibus Lect. ſeq.

LECTIO LXXXIV.

Quænam ante Confeſſionem ſunt obſervanda?

℟. PRimò cogitandum eſt, ac ſi poſtrema hæc eſſet futura Confeſſio, quâ factâ tibi moriendum, & ante ſeveriſſimum Dei tribunal comparendum foret, quapropter ſumma cum diligentia inſtituenda. *Deinde.* Seponendæ tantiſper occupationes, & negotia ſæcularia. *Tertiò.* Petenda à Deo gratia omnia peccata ab ultima Confeſſione debitè facta, cognoſcendi. *Quartò.* Seriò examinanda eſt conſcientia; nam defectu hujus examinis, vel quia perfunctoriè fit, multæ confeſſiones inveniuntur invalidæ.

Quomodo ritè examinanda conſcientia?

Reſp. Primò perpendendum, quando ultima facta Confeſſio. 2. An omnia mortalia fideliter cum dolore & emendationis propoſito ſint depoſita. 3. An impoſita à Confeſſario pœnitentia ſit peracta; tunc demum ſeriò omnes actiones, negotia, converſationes, inclinationes pravæ, familiaritates periculoſæ, obligatio artis & profeſſionis ſunt ponderandæ? Percurrenda item ſunt decem præcepta, quinque præcepta Eccleſiæ, ſeptem peccata capitalia, cæteraq; omnia, quæ cogitatione, verbo, opere, & omiſſione contra Deum, contra proximum, ac propriam conſcientiam

committi potuerunt. Eſtque hoc examen non perfunctoriè, nec oſcitanter perficiendum, ſed ſummâ cum diligentiâ in negotio tam arduo inſtituendum, ne quicquam noſtrâ negligentiâ remaneat, quod pœnitentiâ non diluatur, ac ne in extrema vitæ periodo, cùm exactiſſima omnium verborum, cogitationum, factorumq; ratio reddenda eſt, ſalutis diſcrimen adeamus.

Terribile eſt, quod refert Climacus gr. 7. de Stephano quodam, qui multis annis in monte Sinai in lachrymis & jejuniis vixerat, hic ante ultimum mortis diem in extaſi quâdam factus fuit, ita ut apertos oculos huc illuc verſaret perterritus, cum magna aſtantium admiratione, quia vitæ præteritæ ratio exigebatur. Quandoq; ergo dicebat: Revera ita eſt, ſed pœnitentiâ & lachrymis crimen dilui. Aliquando verò: Non eſt ita, mentimini. Deinde rurſum: Verum dicitis, ſed flevi, ſed jejunavi. In quibuſdam tamen ajebat: Ita eſt, ut me accuſatis, & quid reſpondeam, non habeo, in DEO eſt miſericordia. Et erat horrendum videre rationis exactæ ſeveritatem, atque ita obiit ambiguum relinquens, quæ fuerit ſecuta ſententia.

Deus immortalis! ſi ab eo, qui vitam in pœnitentiâ tranſegerat, tam ſtricta ratio exigebatur, quid non fiet de nobis, qui adeò negligenter hoc ſalutis negotium perficimus? Veniet profecto tempus, quando ad ſeveriſſimum DEI tribunal ſtabimus reddituri rationem, tunc *iniquitas calcanei circumdabit nos*, id eſt, peccata, quæ ad calcaneum ſive ad pedes noſtros projecimus, voluntariæ oblivioni ea tradentes, vel quaſi levia nihili

faci-

facientes, in examine illo futuro augens nos: & quæ ob negligentiam non requiruntur à nobis, tunc demum ab adversario requirentur. Hæc igitur calcar nobis adjicere debent, ad examen hoc conscientiæ sollicitè omninò perficiendum, & horam illam nimis terribilem maturâ diligentiâ præveniendum.

Sufficitne solùm examinare peccata mortalia?

R. Nequaquam, sed insuper examinandus est peccatorum numerus, sicut & circumstantiæ notabiliter aggravantes, & speciem mutantes.

Si quis voluntariè peccatum mortale reticuisset, vel numerum, & circumstantiam necessariam in Confessione omisisset, quid tali faciendum?

R. Cum talis Confessio fuerit sacrilega, & nulla, adeoq; repetenda, hinc quatuor sunt examinanda. 1. Quantum temporis spatium à peccato commisso intercurrerit. 2. Quoties deinde annuè confessus sacram Communionem sumpserit, singulis enim vicibus novum sacrilegium commisit. 3. Quoties peccatum, quod subticuit, recitaverit. 4. Denique à Confessione sacrilegè facta omnia peccata examinabit, quæ singula de novo confiteri tenetur.

Suntne ad examen vocandæ cogitationes?

R. Sunt utique, quia æquè cogitatione, quam verbo & opere peccatum admittitur, dum voluntas in ea delectatur, aut præbet consensum, quod apertè Salvator (a) testatur, dicens: E *corde exeunt cogitationes malæ, & homicidia, adulteria,* &c. nec à vectigalibus immunes sunt, ut multi falsò

[a] *Matth.* 15.

opinantur, qui peccatum non agnoscunt, nisi quod opere fuerit completum. Corrigenda est hujusmodi opinio, nam æquè cogitatio prava, cui voluntas per delectationem inhæserit, aut consensum præbuerit, hominem mortis æternæ reum constituit, ac peccatum opere admissum.

Exemplum habemus de domicellâ viduâ, quæ pietatis & misericordiæ operibus admodùm addicta, magni erat apud ejus loci Episcopum, quo etiam conscicentiæ directore utebatur. Misera vel semel unum è famulis suis fixius intuita solâ voluntate in turpem consensit voluptatem, quam tamen, quia opere ipso non compleverat, licet sæpè animo occursantem contemnendam putavit. Neglexit ergo, & ne instante quidem morte [cùm tamen maximè remorderet facti conscientia] præ pudore ausa crimen fateri, extincta est, & in ipso Episcopi sacello pro virtutis opinione & dignitate honorificè sepulta. Sed, ô mira Dei judicia! cùm proximâ nocte pius Præsul matutinas dicturus preces sacellum ingreditur, ecce ibi ardere videntur omnia. Quid agat? horret & hæret, sed brevi ipse se colligens & fidens Deo progreditur, videtque, horrendum dictu! in mulieris sepulchro corpus ferreâ crati impositum, subjicientibus ignem dæmonibus, hùc illucque ingentibus furiis corpus versantibus. Episcopus, cùm hanc agnovisset domicellam, quam pridie istic condidisset, qui cum illâ ageretur, quo statu esset, rogavit: respondit miseranda mulier, hoc solo se æternis addictam pœnis, quòd peccatum unâ voluntate & consensu designatum non ausa esset præ pudore Sacerdoti pro sacro conscientiæ tribunali aperire. Joan. Raulin. Ord. Cluniac. in itinerario paradisi serm 11. de pœnit.

Quid

Quid facto examine faciendum?

℞. Postquam peccator sufficienter discusserit conscientiam, de singulis peccatis mortalibus, aut de omnibus simul excitabit contritionem, cujus methodum vide lectione præced.

LECTIO LXXXV.

Qualiter se habebit pœnitens in confessione?

℞. UT primum pœnitens Confessarium accedit, factâ prius reverentiâ ad ejus latus, interna simul & externa humilitate genua flectet, faciem paulisper à Sacerdote ad parietem vertet, deinde formato Crucis signo manibus complicatis dicet: *Benedic Reverende Pater*, Ehrwürdiger Herr gebt mir den Segen. Post acceptam benedictionem continuò recitabit generalem Confessionem tenore sequenti:

Ich armer Sünder bekenne GOtt dem Allmächtigen/ Mariä seiner hochwürdigsten Mutter/ allen lieben Heiligen/ und euch Priester an statt GOttes/ daß ich von meiner letzten Beicht weiter gesündiget habe mit vielen bösen Gedancken/ Worten und Wercken: insonderheit aber geb ich mich schuldig.

Factâ generali Confessione absq; ullo timore & hæsitatione primùm indicabit, quando ultima fuerit facta confessio, deinde an injunctam à Confessario pœnitentiam impleverit. Tertiò hisce peractis purè & sincerè peccata propria, non aliena, quâ potest fieri brevitate & claritate recitabit, aut si à Confessario examinetur, cum veritate absq; ullo mendacio aut excusatione respondebit, addetq; in peccatis mortalibus nume-

rum & circumſtantias notabiliter aggravantes, vel ſpeciem mutantes ſine noxio pudore, aut timore, non ſecus ac ſi ipſi ſupremo Judici Chriſto confiteretur.

Eſtne omninò neceſſarium exactum peccatorum mortalium numerum confiteri?

℟. Docet S. Mater Eccleſia, omnesq́; Doctores, certum numerum ſi ſciatur addendum, qui, ubi poſt diligens examen certò ſciri non poſſit, dicendum eſſe veroſimilem, v. g. toties circiter hoc commiſi, &c. Nam ſi pœnitens vel unicum peccatum voluntariè omittat, aut unum minus ſcienter dicat, præterquam quòd confeſſionem reddat invalidam, grande ſacrilegium committit, ac æternæ damnationi manet obnoxius, donec reſipiſcat, *non enim mentitus eſt hominibus, ſed Deo,* (a) cujus vicem gerit Confeſſarius.

Legitur in Scala cœli ſequens hiſtoria: *Cùm duo Prædicatores irent per viam, quorum unus Pœnitentiarius erat Domini Papæ, & vir ſanctus, alter verò multùm innocens & pius, contigit, ut ad quoddam caſtrum veniſſent, in quo erat mulier, quæ adulterium commiſerat cum quodam de parentela ſua, & propter enormitatem peccati, & erubeſcentiam humanam undecim annis absq; confesſione tenuerat. Illa dum vidiſſet iſtos fratres extraneos in Eccleſiâ celebrantes, dixit intra ſe: Iſti non cognoſcent te, nec unquam redibunt ad partes iſtas, & ideò iſtis dices peccatum. Celebratâ Miſſâ ad Pœnitentiarium acceſſit, & ſtante ſocio ex oppoſito cùm peccata ſua confiteretur, ad quamlibet expresſionem unius peccati unus bufo exibat de ore ejus,*

(a) *Act.* 5.

&

& saltando exibat Ecclesiam. Tandem confessis omnibus peccatis, cùm venisset ad illud, præ verecundiá noluit confiteri, & dum absolveretur à Pœnitentiario, & ipsa vellet recedere, socius Pœnitentiarii vidit, quòd omnes illi bufones cum uno alio majori & enormioris formæ turmatim ingressi sunt os mulieris. Recessit mulier non confesso peccato, recedunt & fratres. Et cùm per unam leucam ivissent, socius Pœnitentiarii ei revelavit visionem, quam viderat de muliere confitente. Qui territus & tristis dixit: celavit aliquid in confessione. Et cùm redissent, ut eam converterent, mortuam invenerunt. Qui contristati cum jejunio & orationi bus Deum cœperunt invocare, ut dignaretur ostendere, quid per præfatam visionem significaretur. Tertiâ die apparuit illis mulier equitans super draconem, & duo serpentes crudeles accingentes collum ejus sugentes ejus ubera; duo bufones terribiles erant super oculos ejus, & de ore ejus ignis sulphureus egrediebatur, duo canes crudeliter devorabant ejꝰ manus, & duæ sagittæ ignitæ immittebantur per aures ejus, in capite ejus lacertæ stabant. Quæ cùm vidissent fratres, territi corruerunt. Tunc illa: Nolite timere amici Dei, nam ego sum maledicta illa mulier, quæ fui vobis confessa, & quia celavi in confessione tale peccatum, sum adjudicata perpetuò huic pœnæ. Tunc Pœnitentiarius: Adjuro te per Deum vivum & verum, ut informes me de duobus dubiis. Primum est, quid significet hæc diversitas pœnarum? Tunc illa: Lacertæ capitis sunt in punitionem ornamentorum capitis, bufones oculorum in punitionem corruptorum aspectuum. Sagittæ ignitæ in punitionem diffamationum, cantionum, & immundorum verborũ.

Serpentes sugentes ubera in punitionem, quia sustinui immundos tactus. Sed crudelitas canum in punitionem actuum immundorum, & quia bona dedi meis amatoribus, de quibus sustentari poterant pauperes Christi, equito super draconem, qui inexpressibili dolore cruciat & comburit tibias & viscera mea, in punitionem immundarum operationum. Tunc Pœnitentiarius: Rogo, ut solvas mihi secundum dubium, scilicet, quæ sunt peccata, ex quibus homines hodie magis damnantur? Tunc mulier: Hodie per viam peccati ad infernum descendunt, sed mulieres per quatuor genera peccatorum, per peccatum luxuriæ, per peccatum vani ornatus, per peccatum sortilegii, & per erubescentiam confessionis. Cùm ergo interrogaretur, si posset juvari, draco cum mirabili cruciatu elevans eam, subitò ad infernum portavit. Ita Joannes Junior in Scala cœli.

Accidit hoc in castro quodam Geldriæ, ut retulit R. P. Franciscus Costerus Societatis Jesu, qui id accepisse se sæpiùs affirmavit à quodam nobili viro Coloniensi, qui locum probè noverat. *Spec. Exempl. verb.* Confessio, *Exempl.* 42.

Alia quædam mulier hominum opinione sancta, filiæ pro se orantis post obitum apparet, ustulatæ instar suis, rogat pro se ne diutiùs oraret, se enim ob celatum in confessione peccatum, quod cum marito patrâsset, æterno igne cruciari; cujus reliquit in scamnis & arcis, quæ attigisset, tanquam ex candenti ferro inusta vestigia. Ex Seraph. Razio in hort. exempl. tit. de Confess. c. 3. Pædagog. Christ. de Confess. §. 4.

In Indiæ Occidentalis Urbe Itata circa annum 1590. puella quædam Catharina nomine clandestinis libidini-

bus assueta, de illis verbum nullum ad Confessarium referebat. Igitur cùm in periculosum morbum incidisset, & à Societatis Jesu Sacerdote visitata, deque accuratâ confessione facienda commonita fuisset, instituit eam quidem novies, sed semper sacrilegè id agente, ut uni ancillarum ipsa retulit. Diabolo (qui ad lævam astabat decumbenti) ut libidines suas tanquam nullius momenti res occultaret, de vulgaribus se accusaret, licet eodem tempore B. Maria Magdalena ex dextero latere contrarium suaderet. Quâ de re monitus Pater cùm ad moribundam rediisset, & graviter admonuisset, nihil tamen efficeret, extincta est puella, quæ paulò post uni è domo spectaculo flammis horribili visa, narravit se ob celata in confessione peccata æternis illis addictam suppliciis, & jussu Dei missam, ut ejus exemplo saperent alii. Pædag. Christ. ibid.

Legitur in Scala Cœli Joann. Junioris Dominicani, quòd fuit quidam vir justus, & honestus valdè, habens uxorem sterilem: rogaverunt ergo ambo Dominum, ut misertus eorum, prolem eis concederet, & ipsi eam divino servitio manciparent; cùmque adjuti à Deo filium habuissent, & transactâ pueritiâ monachum statuissent, sanctissimè suo Creatori servivit. Et quia pater alium filium non habebat, unà cum uxore suâ facultates suas sic distribuebant pauperibus, ut jam patres pauperum vocarentur. Cùm autem quidam juvenis servitor Domini uxorem adamâsset, inclinata ad peccatum ab eo concepit filium, & conceptum occultavit, continuando & augmentando largitionem eleemosynarum. Tandem peperit filium, & extinxit propriis manibus, & sub lecto proprio sepelivit. Tandem moritur maritus ejus.

Quo mortuo, plus, & sine fræno libidini vacare cœpit. Et ideo secundò concepit, filium peperit, & extinxit suis manibus sicut primum. Nec confitebatur hæc peccata alicui, sed in multitudine eleemosynarum confisa, sine confessione sperabat salvari. Tandem mulier cœpit infirmari, monetur ad confessionem, sed illa contemnit. Tandem mortua est, & in infernum portata. Cujus obitum audiens monachus, instanter cœpit pro illâ orare, jejunare, celebrare, disciplinas accipere. Et dum quâdam die devotissimè celebraret, vidit matrem suam coram se, & duos dracones terribiles, mamillas & totum corpus cruciantes. Cùm autem filius interrogâsset, qualiter ei esset, respondit, quòd damnata esset propter verecundiam confitendi, quia nullum bonum proficit, ubi virtus confessionis deficit. Spec. Exempl. verb. *Confessio* exempl. 23.

Dicet verò aliquis, qui præ pudore & verecundiâ peccatum detegere non audet: quid de me cogitabit Confessarius, si tale peccatum deposuero? intuebitur me propter peccatum meum, semperq; mihi erit confusio, quoties eum videro, &c.

℟. Hujusmodi cogitationes à dæmonis fallacia provenire indubium est, ipse enim omnia invertit, quæ à Deo rectè instituta sunt, quia teste Chrysostomo, (b) *pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confessioni fiduciam; invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confessioni pudorem.* Etenim quando nos tentat, peccatum depingit ut delectabile, proponitq; facilitatem veniæ; at quando adest tempus confitendi, aperit ejus turpitudinem, excitat pudorem, multam proponit difficul-

(b) *hom.* 3. *de pœnit.*

difficultatem, ut peccator obmutescat, quod sequenti probatur historia.

Quidam ex antiquis Patribus, ut refert Cassianus, quodam die vidit Sathanam circa confessionalia obambulantem & circumeuntem. Interrogatus verò quid ibi tam studiosè ageret? respondit: Reddo pœnitentibus, quod antea eis abstuli. *Iterum interrogatus, quid illud esset? dixit:* Abstuli eis verecundiam dum peccarent, ut liberiùs peccatum peccato cumularent: reddo nunc eis, ut à confessione ob verecundiam deterreantur. In vitis PP. Cassian. coll. 2. l. 11.

Dicam igitur quod res est, quid Confessarius cogitet, cùm peccatum enorme ac horrendum detegis, cogitat scilicet, animam tuam nunc sincera mediante Confessione à dæmonum potestate ereptam, filiis Dei adnumeratam, quæ cæteroquin æternæ damnationi fuisset obnoxia, ideoque gaudebit, ac Deum pro exhibito tibi beneficio laudabit.

Quid igitur cogitandum, ut peccata securius confiteamur?

℟. Primò cogitandum est, non esse dedecus, sed potiꝰ honorem, peccata sua sincerè confiteri; dedecus autem esse ea celare & Deo mentiri. 2. Confessarium probè scire, nequaquam nos esse Angelos, sed homines, sed peccatores, aliosque etiam sanctiores graviter cecidisse. 3. Considerandum est, eos qui sacrilegè confitentur, damnationi æternæ manere obnoxios. 4. Alioquin omnia peccata in extremo judicii die omnibus homi-

hominibus cum summo exprobrio manifestanda esse, (c) ac Christum futurum judicem, & hanc terribilem absolutionem daturum: (d) *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* 5. Cogitandum est, si ritè confiteamur, vitamq; in melius commutemus, nos esse salvandos, nec amplius obligari peccata deposita confiteri. 6. Considerandum est, eos, quos pudet peccata confiteri, semper habere inquietam conscientiam. 7. Sciendum est, Confessarium strictissimo Confessionis sigillo obligari, ac reum esse mortis æternæ, si vel unicum peccatum in Confessione depositum revelaret.

Suntne necessariò confitenda peccata venialia?

Resp. Non est necessarium ea confiteri, valdè tamen est utile ea etiam deponere, si verò foret dubium, an venialia aut mortalia essent, tunc ea pœnitens confiteri tenebitur.

Quomodo finienda est Confessio?

Resp. Dum pœnitens omnia ritè & sincerè deposuerit, hoc modo Confessionem claudet:

Diese und alle meine Sünden seynd mir leyd von Hertzen die weil ich dadurch GOTT meinen so lieben Vatter erzürnet hab/ und nehme mir festiglich für mein Leben zu bessern; begehre darumb von euch Priester an statt GOttes/ ihr wollet mich von allen meinen Sünden absolviren und ledig sprechen/ und mir eine heylsame Busse auflegen.

Post hæc si quid Confessarius loquatur, moneat aut mandet, diligenter attendet pœnitens, & hoc ipsum tanquam à Christo acceptum exequi tene-

(c) 1. *Cor.* 4. (d) *Matth.* 25.

tenetur: Demum renovatâ contritione & emendationis proposito absolutionem recipiet, & factâ Confessario reverentiâ ad locum suum Deo acturus gratias recedet.

Si quid ex alterius Confessione audisset pœnitens, tenebiturne hoc silentio supprimere?

Resp. Si quis ex proposito ex alterius Confessione quid auscultaverit, præterquam quod graviter deliquerit, tenebitur ad sigillum, nec absq; gravissimo peccato id revelare poterit: ad idem sigillum obligatur, qui casu peccatum ex alterius confessione audivit.

LECTIO LXXXVI.

De Satisfactione, tertiâ pœnitentiæ parte.

Quid aget post Confessionem pœnitens?

℟. HUmiliter demissis in terram oculis à Confessario recedet, ac genuflexus Deo ob beneficium absolutionis gratias aget. 2. Pro suorum peccatorum promerita pœna Passionem Christi, ejusque Sanctissimæ Matris, ac omnium Sanctorum merita Deo offeret. 3. Emendationis propositum renovabit, atq; è peccatis unum alterumve, ad quod natura magis propendet, seliget, idque ante proximam secuturam confessionem emendandum proponet. 4. Injunctam à Confessario pœnitentiam implebit, ejusdemq; mandatum, v. g. reconciliationem cum inimico, injustè ablatorum restitutionem, &c. diligenter exequetur. *Quan-*

Quando pœnitentia injuncta est adimplenda?

Resp. Quamvis pœnitentia non necessariò ante Communionem sit adimplenda, valdè tamen est utile, ut statim adimpleatur, potestque graviter peccare pœnitens eam nimium differendo, maximè si sit periculum oblivionis.

Liberaturne pœnitens à restitutione famæ, seu bonorum injustè ablatorum post completam pœnitentiam à confessione injunctam?

Resp. Nequaquam, quia teste S. Augustino (a) *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, alia enim est satisfactio, per quam Deo pro peccatis satisfacimus, alia est obligatio restitutionis, quæ proximo reddit quod suum est. Et esto Confessarius hanc restitutionem per oblivionem non imposuisset, pœnitens tamen eam facere obligatur.

Cùm per Sacramentum peccata remittantur, quid pœnitentiam agere necesse est?

Resp. Licet per Sacramentum peccata simul cum pœna æterna remittantur, non tamen continuò omnes pœnæ temporales (in quas æterna commutata est) remittuntur, sed juxta magnitudinem doloris & injunctæ pœnitentiæ plus minusve remittitur, pro quibus satisfacere in hâc vel futurâ vitâ pœnitens debet.

Nunquid Christus satisfecit pro peccatis nostris?

Resp. Satisfecit abundanter, sicut pro iisdem sufficienter oravit, nihilominus vult, ut pro iisdem ipsimet quotidie oremus: *dimitte nobis debita nostra*, ita etiam nostram requirit pœnitentiam &

(a) *Epist.* 45.

& satisfactionem, haud secus nos suæ orationis & satisfactionis voluit fieri participes, quam quod ipsi quoq; satisfaciamus, pœniteamus, & oremus. Quod non obscurè indicat Paulus dicens: (b) *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Ideò nos toties Scriptura ad pœnitentiam hortatur, ipse enim Salvator ait: (c) *Nisi pænitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

Quomodo pro pænâ relictâ satisfieri potest?

Resp. *Primò* per pœnitentiam à Confessario injunctam. *Deinde* per orationem, jejunium, & eleemosynam, ac per quævis bona opera. *Tertiò* per infirmitates, adversitates, aliaq; flagella divinitùs immissa, cùm voluntariè ac patienter perferuntur. *Denique* per applicationem indulgentiarum.

Ubinam magis conducit satisfacere, hîc, vel in futuro?

℟. Quantum præponderat pœna purgatorii pœnis hujus vitæ, tantò magis conducit hîc, quàm satisfacere in futuro: omnes enim pœnæ hujus vitæ quasi nullæ sunt respectu ignis purgatorii, quod sequens docet historia.

Quidam scelerate vivens, visitatus à Domino, ut ad se rediret, gravem & diuturnam incurrit infirmitatem. Tædio autem affectus ex prolixitate languoris, rogabat frequenter Dominum, ut de carcere corporis educeret eum. Apparens autem ei Angelus Domini, fecit ei optionem, utrum mallet vel per duos annos illam infirmitatem tolerare, & posteà ad cælum evolare; vel nunc

(b) *ad Coloss.* 1. *v.* 24. (c) *Luc.* 13.

nunc moriendo per tres dies in purgatorio permanere; at ille brevitatem temporis considerans, quo erat mansurus in purgatorio, & longitudinem dierum quibus infirmitatem jam diu expertam adhuc erat passurus, elegit potiùs morari in purgatorio per triduum & mori. Exauditur ergo: de hâc luce migravit, atq; ad ignem purgatorii anima ejus perrexit. Cùmque ibidem ad horam fuisset, apparuit ei Angelus, interrogans si eum agnosceret? respondit minimè. At ille: Ego sum Angelus, qui hanc tibi optionem feci. *Cui ille:* Nequaquam vales esse Angelus Dei, quia ille mentiri non potest, sed qui hoc dixit, per triduum solummodò me hîc moraturum, expressit mendacium, ego jam mansi in his maximis pœnis per plurimos annos. *Angelus verò ad eum:* Tu hîc, *inquit*, non fuisti nisi per horam, atq; ita toto illo restante tempore debes hîc manere. *At ille:* Roga Dominum meum, ut non respiciat ad insipientiam meam hoc eligendo: & tu pro me intercede apud eum, ut reducar ad vitam priorem; & ego nedum per duos annos, sed quantum placuerit ei, paratus sum tolerare infirmitatē illam: *quod & obtinuit. Unde vitæ restitutus patientissimè & lætanter omnem dolorem tolerabat.* Ex D. Antonino 4. p. sum. tit. 14. c. 10. §. 4. Flores exempl. tit. 20. de pœnis purgat. exempl. 1.

Benè hoc perpendant ii, qui vel in hâc vitâ pro peccatis satisfacere negligunt, vel injunctam pœnitentiam obiter & perfunctoriè adimplent, vel deniq; murmurant, suis dicteriis Confessarium ob injunctam pœnitentiam, quam justo graviorem

viorem falsò existimant, contemnunt, quantò satius sit levissimam hîc subire pœnitentiam, virtute tamen clavium valdè meritoriam, quam eandem relinquere subeundam in futuro; ruminent quoque, quam graves in primæva Christi Ecclesia fideles subierint pœnitentias, quas latiùs vide apud Bellarminum Tom. 2. Controv. l. 1. de pœnit. c. 21. & 22. Imò unius solius peccati mortalis statuta pœna erat trium, quinque, septem, & adhuc plurium annorum, in quibus pœnitentes carnem ciliciis, jejuniis, & orationibus mirificè affligebant. Quantum distamus ab illis! æquissimo igitur animo admittant, quicquid pro satisfactione à Confessario in conscientiæ tribunali imponitur, vel respectu primorum Christi fidelium levissimum quid imponatur. His meritò dicimus, quod olim servi hero suo Naaman: (d) *Si rem grandem tibi dixisset Propheta, facere debuisses; quantò magis quia nunc dixit: Lavare & mundaberis?* si pro lepra animæ, ô peccator, multa pati juberis, ut uri, secari, maria transfretare, deberes ea facere; nam pro corporis salute hæc peragere non renuis, quantò magis præceptum facile, quod tibi imponitur à Sacerdote, debes implere pro animæ tuæ salute? *Hîc ure, hîc seca, ut in æternum parcas,* clamat S. Augustinus.

(d) 4. *Reg.* 9.

LECTIO LXXXVII.

De Indulgentiis.

Quo-

QUoniam indulgentiæ materia satisfactioni affinis est, & non rarò necessitas exigit, (utpote quando Jubilæum & plenariæ indulgentiæ conceduntur) ut populus de indulgentiarum usu & utilitate instruendus sit, indulgentiarum materiam necessariam & conditionem paucis (quantum pro instructione rudium sufficit) perstringam.

Quid est indulgentia?

Resp. Est remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccato actuali jam dimisso, extra Sacramentalem confessionem facta, aut concessa à Prælato Ecclesiæ ob rationabilem causam de thesauro Ecclesiæ. Quod autem condonata culpa plerumque adhuc pœnæ aliquid supersit eluendum, ex duplici Davidis facinore (a) cæde Uriæ, & violato ejus thoro satis liquet: nam etsi pœnitentem Regem scelere Deus absolverit, pœna tamen, morte scilicet filii, peccato debita non liberavit. Ita cum Adamo, (b) sorore Moysis, aliisq; quondam actum est. Hæc igitur pœna, nisi operibus satisfactoriis, vel à Sacerdote in confessione imperatis, vel sponte susceptis redimatur, (quod rarò fit integrè) relinquitur aut Purgatoriis post mortem ignibus exsolvenda, aut meritorum Christi per indulgentias applicatione, dum vivimus, relaxanda.

Undenam indulgentia habet vim relaxandi pœnas istas debitas?

℞. Ex thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum,

(a) *Reg. cap.* 12. (b) *Gen.* 3.

ctorum, qui nunquam exhaurietur, quia satisfactiones Christi infiniti sunt pretii, non solùm pro toto mundo sufficientes, sed & pro pluribus mundis, si essent. Habet etiam vim relaxandi pœnas temporales indulgentia ex thesauro meritorum & satisfactionum Christi & Sanctorum, ut definit Clemens Pontifex in Extra vaganti: *Unigenitus.*

Quomodo hic thesaurus ex satisfactionibus Christi & Sanctorum conflatur?

Resp. Primò ut de Christo loquamur; certum est, illum pro se nullâ indiguisse satisfactione, utpote qui peccatum non fecit, nec facere potuit. De quo dicit Apostolus: (c) *Non habuit necesse priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: cùm fuerit innocens, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Potuit ergo satisfactiones suas & passiones aliis applicare, & cùm fuerint infiniti pretii, toti mundo reconciliando sufficientes sunt, & infinitis, si darentur, mundis. Imò verò cùm una sanguinis gutta pro totius humani generis redemptione suffecisset, nihilominus copiosum quoddam profluvium dedit. Nunc unum satisfactorium opus operatus est, sed innumera à conceptione sua usq; ad mortem, idq; ex ardentissimâ charitate. Superabundans ergo fuit ejus satisfactio, per tot passiones & opera pœnalia, & plus quàm sufficiens pro exhauriendis totius mundi peccatis, tam secundùm pœnam quàm culpam, & ita ex superabundantibus satisfactionibus infinitum thesaurum

(c) *ad Hebræos cap. 7.*

rum militanti Ecclesiæ acquisivit, quo possit usque ad finem seculi uti, sive ad culpas redimendas in Sacramentis, sive ad debitum pœnæ extingvendum in indulgentiis.

Conficitur etiam hic thesaurus ex satisfactionibus Sanctorum, quorum multi plurima passi sunt, & plurima opera pœnalia exercuerunt, quæ non erant necessaria ad satisfaciendum pro peccatis propriis: non debuerunt illæ satisfactiones oblivioni tradi, sed manent in acceptione DEI, ut aliis applicentur. Sic beatissima Virgo MARIA ne quidem peccato veniali fuit obnoxia, & sic nullâ eguit satisfactione, & tamen quantos passa est ipsa cruciatus, & quoties doloris gladius animam ejus pertransivit? Sic Joannes Baptista in utero sanctificatus fuit, & nesciit labem nivei pudoris, & tamen quàm austeram egit pœnitentiam! an putas id inutiliter eum fecisse? an ergo hæc, aliorumq; Sanctorum opera pœnalia periisse putabimus? imò verò permanent ante oculos Dei, ut indigentibus membris ejusdem corporis mystici applicentur.

Quis habet clavem hujus thesauri?

Resp. Clavem hujus thesauri ac potestatem concedendi indulgentias habet Summus Pontifex immediatè à Deo, hæc ei promissa est in persona Petri, dum dicitur: (d) *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Utique si claves illi commissæ sunt, plenâ administratione illis potest aperire & dispensare hunc thesaurum, illis potest aperire cœlorum

(d) *Matth.* 16.

lorum regnum, & removere omnia impedimenta ingressûs regni. Cùm ergo reatus pœnæ sit vinculum, potest illud dissolvere super terram, ut sit & in cœlis dissolutum, alioquin potestas ejus censeretur manca & dimidiata, imò verò inutilis & ridicula.

Fuitne indulgentiarum usus in primævâ Ecclesiâ?

Resp. Fuit, licet non ita frequens, tamen aliquis fuit indulgentiarum usus. Hoc multi probant ex Apostolo ad 2. Cor. 2. ubi indulgentiam & remissionem pœnæ dedit incestuoso post absolutionem à culpa. *Si*, inquit, (e) *donavi propter vos in personâ Christi.* Per donationem illam remissionem pœnæ impositæ intelligi notant SS. Patres, Ambrosius, Anselmus, Theophylactus, Theodoretus, & alii. Incestuoso illi & fornicario Paulus excommunicationem & increpationem publicam fulminarat, at ipse resipiscens gravem jam pœnitentiam agere cœperat: sed rogârunt pro illo Corinthii per Titum, ut Apostolus ei gratiam faceret, & reliquum satisfactionis remitteret, ne nimiâ tristitiâ conficeretur, si reconciliatio diutiùs differretur. Donavit ergo ei Paulus, quod ei condonari supplicabant Corinthii, & per preces jam censebantur ei condonare, & ita indulgentiam ei præstat, quam dicit se dare in personâ Christi, authoritate ab ipso acceptâ.

Porrò hanc à Pontificibus indulgentiarum concessionem non esse dubiam, multa in illarum con

(e) 2. *Cor.* 2.

concessione edita miracula confirmant. Hinc *in libro vitæ S. Bernardi c. 4. legimus, D. Bernardum concionatum fuisse de indulgentiis ab Eugenio Pontifice concessis, & statim post concionem fidem illam de indulgentiis ægrorum curatione comprobâsse.*

Certa quoq; historia est, quæ in Chronicis nostris (f) *legitur, Christum ipsum B. Virginis intercessione indulgentiam plenariam pro Ecclesia S. Mariæ de Portiuncula Seraphico nostro Patri S. Francisco concessisse, præcepisse tamen, ut suum Vicarium adiret, & ab illo dictæ indulgentiæ confirmationem postularet. Unde & S. Franciscus comite F. Massæo Pontificem Honorium III. adiit, & is divinâ inspiratione optatam indulgentiam confirmavit, renitentibus Cardinalibus, qui existimabant talem indulgentiam derogare indulgentiæ datæ visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli. Voluit verò Dominus illam indulgentiam dari die subsequente festum vinculorum D. Petri, ut significaret per illam dissolvi vincula peccatorum: & quidem authoritate Petro concessâ. Quod quidem ita tunc etiam accidisse confirmat exemplum, quod in iisdem nostris Chronicis* (g) *refertur. Ad illam scilicet indulgentiam publico & celebri rumore vulgatam, centum & viginti Sclavones divino impulsu concurrisse, & inter illos mulierem quandam peractis omnibus exercitiis defunctam fuisse, cumq; postea alii comites navigio se commisissent, ut Sclavoniam repeterent, dicta mulier illis appar[uit] dicens:* Nequicquam timeatis, quia ad consolationem vestram vobis appareo, & missa sum

(f) *Chron. Frat. Min. l.* 1. *c.* 1. 2. & 3.
(g) *ibid, cap.* 5.

sum à B. Virgine Domina nostra, ut vobis indicem ad gloriam Dei, ipsiusq; Virginis me beneficio indulgentiarum Ecclesiæ S. Mariæ de Porticiuncula cœli liberum aditum habuisse sine purgatoriis flammis. *His dictis disparuit magna illis consolatione relicta.*

Illud quoq; in dictisPortiunculæ indulgentiis mirabile est, quod cùmHonorius III. diploma Francisco dare vellet, dixit ille non opus esse; sed sibi sufficere verbum ipsius. Cùm enim opus Dei esset, Deum per se ipsum opus suum divulgaturum, nec cupere se aliam Bullam quàm Beatissimæ Virginis Angelorumque testimonium. Unde hæc indulgentia taliter à Christo concessa, ab ejus Vicario confirmata præsente Virgine quasi Notarii vices gerente, & Angelis tanquam testibus promissa, multis deinde miraculis tanquam sigillo confirmata, in Ecclesia Dei semper inter cæteras fuit celeberrima. Vide Annales FF. Minorum.

Quid est indulgentia plenaria?

℟. Est remissio totius pœnæ temporalis relictæ post culpam dimissam. Hinc quicunque lucratur plenariam indulgentiam, accipit remissionem totius pœnæ temporalis quam Deo debebat; Et siquidem tunc eum mori contingeret, absq; ulla mora sine purgatoriis flammis cœlum conscenderet. Magno igitur fervore quivis fidelis hasce indulgentias lucrari contendat.

Quæ dispositio requiritur ad lucrandas indulgentias?

Resp.

Resp. Ad lucrandas indulgentias requiritur, ut quis sit in statu gratiæ, quia per indulgentiam remittitur reatus pœnæ, & ita supponitur culpa remissa: non enim pœna remitti potest absque culpa, & qui inimicus Dei est, indignus est tali remissione, quæ non datur nisi filiis, statumque gratiæ filiationis supponit. Quicunq; hunc indulgentiarum thesaurum lucrari desiderat, per sinceram confessionem in statu gratiæ esse conetur, ac opera injuncta adimpleat.

Circa indulgentias verò plenarias, quæ multoties per annum conceduntur, observandum, quòd præter Confessionem & Communionem præcipiatur oratio pro concordia Principum, extirpatione hæresum, pro exaltatione, aliisq; necessitatibus S. Matris Ecclesiæ.

Ad lucrandum verò Jubilæum requiritur, ut accuratè serventur omnia, quæ in Bulla Jubilæi præscribuntur. De omnibus his benè instruendi sunt rudes, ne ingenti hoc thesauro priventur.

LECTIO LXXXVIII.

De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

Quod est hujus SS. Sacramenti nomen?

℟. DIversa sunt nomina propter excellentem ejus magnitudinem. Continet Christum, cui nos unit, ideoq; vocatur *Eucharistia, Synaxis*, vel *Communio*, quia nos invicem ut membra unius ejusdemque corporis jungit:

jungit: *Viaticum*, quia cibus est, quo in hujus vitæ via sustentamur, præcipuè cùm ex eâ adDeum sumus discessuri. Dicitur & *Sacrificium*, quia Christum continet pro nobis in cruce oblatum, ideoq; mentio fit in consecratione sanguinis pro nobis effusi, quia datum est Ecclesiæ, ut offerat Deo in officium debitæ servitutis.

Quid est Eucharistia?

℟. Est Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, quo in vita spirituali homo nutritur, quodq; est perpetuum Ecclesiæ sacrificium, tum laudis, gratiarum actionis, tum etiam propitiatorium, cujus omnia veteris legis non nisi umbra fuerunt.

Quis instituit hoc Sacramentum?

℟. Christus Dominus ac Salvator noster instituit hoc Sacramentum in ultima, quam cum discipulis habuit in mortali corpore, cœnâ, ut patet Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. ad Corinth. 11. Ibiq; sub specie panis corpus, sub specie vini sanguinem suum tradidit: quod idem Apostolis eorumq; successoribus Sacerdotibus facere præcepit.

Ergone Christus verè & realiter præsens est in hoc Sacramento?

Resp. Firmiter credit S. Mater Ecclesia, in hoc Sacramento verè, realiter, & substantialiter Christum, qui sedet â dextris Dei, secundùm divinitatem & humanitatem contineri sub speciebus panis & vini, quamprimum Sacerdos ritè ordinatus, verba illa sacrosancta à Christo tradita

cum intentione consecrandi protulerit. Hæc veritas pluribus S. Scripturæ locis probari potest. (1.) Joannis 6. dicit Salvator: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* Adverte sequentia: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, &c. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ibid. v. 56. (2.) Matth. 26. & Luc. 22. Christus dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur;* ad calicem verò: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* (3.) S. Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 11. enarrat seriem, quâ Christus in ultimâ cœnâ hoc memoriale sui amoris instituit dicens: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c.* Post pauca: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Ergo si tales rei sint, necessarium erit esse corpus & sanguinem Domini.

Probatur eadem veritas ex unanimi consensu sanctorum Patrum, qui eam ab initio Ecclesiæ semper asseruerunt. Vide Bellarminum & alios. Vide inter cæteras authoritates sanctorum Patrum Homilias, quæ leguntur infra Octavam Corporis Christi.

Probatur deniq; hæc veritas multis miraculis, quibus eam Deus multoties nobis manifestavit, quæ passim in authoribus reperies, unum aut alterum subjiciam.

Matrona quædam B. Gregorio per stationes publicas Missarum solemnia celebranti, solitas oblationes obtulerat. Cui post mysteria traditurus cùm diceret: Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam, *lasciva subrisit. Ille autem continuò dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici Corporis super Altare deposuit. Expletis verò Missarum solemniis matronam coram populo inquisivit, quam ob rem Corpus Domini sumptura ridere præsumpserit. At illa diu mussitans tandem prorupit:* Quia panem, *inquiens*, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, in Corpus Dominicum perhibebas. *Tunc Gregorius præ incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostravit. Et post paululum surgens, particulam panis, quam super Altare posuerat, carnem factam reperit. Quam coram cunctis incredulæ mulieri demonstrans ad crudelitatis gratiam tam illam revocare potuit, quàm totum populum confirmare curavit. Rursus itaq; in orationem cum iisdem prostratus, carnis frustum in panis speciem conversum vidit, & matronæ sumendam tradidit.* Joannes Diac. in vita S. Greg. c. 41. Flores Exempl. c. 5. tit. 2. Exempl. 4.

Illustre est, quod Albert. Crantzius scribit de Windekindo Saxonum Principe, cui incessit cupidò lustrare castra Regis Caroli Magni, quod etsi palam jam reconciliato liceret, libuit tamen ignoto habitu liberiùs omnia

scrutari. Vicina erat Paschalis solemnitas, & Rex cum universo milite pro Christianâ pietate se tum Sacris imminentibus apparabat commemoratione Dominicæ Passionis, & expiatione criminũ in expurgatione conscientiæ. Windekindus mendici habitu per fluvium in navicula illabitur, & quò minùs nosceretur, cum mendicis ad stipem sedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie alebatur, Rex illis largam stipem jussit erogari. Windekindus ut ad eum perventum est, dexteram & ipse protendit. Is verò, qui distribuit, incurvum in manu digitum, qualem sciebat habere Windekindum, vidit, vultum ejus diligentiùs intuetur, Principem agnoscit, quia inter mendicos sederet Princeps ditissimus, percontatur. Ille nihil ad hæc, sed ad Regem se jubet introduci. Erat tum sanctissimus Paschæ dies. Rex hilariter excipit venientem, percontatus quid sibi vellet indignus Principe habitus. At ille: Volui, ô Rex, hoc habitu incognitus ut sperabam, lustrare secreta gestorum, qua cognitus non tam fidenter aspicerem, curiositas induxit, ut latibulum quærerem, qui inter tuos nunc in gratiam susceptus propalam poteram percontari quæ vellem. Quid igitur, *Rex*, vidisti, quod te vidisse delectat? *Ille ut erat adhuc rerum Christianorum rudis subintulit:* Vidi quod mirabar ante biduum te vultu dimisso tristem, incertus quid contigisset, quod tantum Regem contristaret, (*Commemoratio fuit Dominicæ Passionis, quæ die Parasceves regium vultum obscurâsset,*) rursum vidi te hodiernâ die primùm sollicitum, & ad rem attentissimum; posteaquam verò mensam adieras

tem-

templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, ut repentinæ in te commutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati Sacerdotis singuli pulchellum puerum in ós susciperent, quem quibusdam ludibundum arridere ultrò properaret, aliis verò abhorrentam avertisse vultum, & tamẽ in ora dimissum nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit necdum capio. *Tum Rex:* Benè, *inquit,* profecisti, plus tibi aliquid quàm cunctis Sacerdotibus & omnibus nobis ostensum est. *Inde mutatâ veste manu secum abstractum docuit grande pietatis mysterium in Altaris Sacramento. Quo cognito Windekindus Religionem amplexus est Christianam.* Ex Crantzio libr. 2. Saxon. c. 23. Flores Exempl. c. 5. tit. 2. Exempl. 5.

Judæus quidam, Leo nomine, Pragæ in Bohemia ad fidem conversus familiaris erat cuidam Franciscano, qui infirmorum curam gerebat: salutare viaticum illis administrans. Hic diligenter observans ubi sacra reponerentur adhuc judaizans, tres hostias clam surripuit, chartæ involvit, & Presburgum in Hungariam profectus ad Judæum in hospitium divertit. Aliquot dies ibi moratus sæpè cum hospite de Christo & Sacramento disputavit. Interrogavit hospes Leonem, an aliquando hoc Sacramentum percepisset? Respondit Leo se percepisse, & illuc tandem sermo devenit, ut Leo tres consecratas hostias è sinu deprompserit, & Judæo spectandas dederit. Is orat sibi donari duas, consentit Leo, & has quidem acceptas in arculam reponit Judæus, & accuratè custodit, donec Leo proficisceretur. Illo absente

convocat suæ sectæ Judæos, hostias exhibet. Collato autem consilio, dicunt experiendum, an in Christianorum Sacramento sit dolus? Positis ergo in mensa hostiis, unus arrepto cultro dicit: Si verè Christianorum Deus sis, hic virtutem tuam exere, *sic cultrum in hostiam adegit, statimque copiosus sanguis effluxit Territis miraculo Judæis mox vindex Deus adfuit, & fulmine domum concussit: ita ut ignis ardescens hospitem cum uxore, duabus filiabus multisquè Judæis consumpserit tres tantùm incolumes evaserunt, mensa & hostiæ in medio incendio intactæ mäserunt. Gubernator urbis videns incendium, mittit famulos, ut causam inquirant; venientes illi didicerunt Judæos aliquos in istis ædibus fuisse congregatos, quid verò egerint non constare, multis igne absumptis tres evasisse. Quæruntur ergo illi, & inventi in vincula conjiciuntur. Tandem per torturam coacti rem gestam ordine narrant. Gubernator ut tantum scelus expiaret, exquisitissimis tormentis excarnificari, tertioque die actis per corpora semiviva palis in via regia collocari præcepit Anno* 1591. Flores Exempl. c. 5. tit. 3. exempl. 11.

Plura similia vide ibidem, & in præclaro Concionatore Manhardo Ordinis FF. Minorum de Observantia, in Festo Corporis Christi Conc. 2.

Estne adoranda Eucharistia?

Resp. Est omninò adoranda cultu latriæ, qui Deo debetur.

LECTIO LXXXIX.
De sacra Communione.

Teneturne quivis fidelis sumere hoc Sacramentum?

Resp.

R. DIctum est suprà, hoc Sacramentum ad spiritualem animæ refectionem esse institutum, adeoq; quivis fidelis ex præcepto Christi ad dictum finem illud sumere tenetur. Patet primò ex Luc. 22. & 1. Cor. 12. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis non solùm Sacerdotes novi Testamenti constituti sunt, nec solùm illis, eorumque in Sacerdotio successoribus præceptum est ut offerrent; sed etiam singulis fidelibus in eorum personâ præceptum fuit, ut sumerent. Hoc alibi apertiùs tradidit: (a) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus colligunt Doctores, esse præcepti divini quandoq; communicare, licet Ecclesia nihil determinâsset: quod præceptum etiam obligat in articulo mortis, ut Eucharistia sumatur per modum viatici, ut constat ex Concilio Nicæno, cujus verba habentur 26. q. 6. Can. *De iis* videlicet, *qui decedunt de corpore, ut antiquæ legis regula observetur, nempe ut necessario viæ suæ viatico non fraudentur.* Quando verò prætereà sit communicandum, vide suprà præcepto quinto Ecclesiæ.

Quid ergo continetur in hostiâ, quam communicans recipit?

Resp. Continetur Christus Salvator noster, qui in eâ verè, realiter, & substantialiter secundùm divinitatem & humanitatem est præsens.

Quid est in calice, qui datur communicantibus?

Resp. Est vinum, quod ideò solùm datur, ut com-

(a) *Joann.* 6.

commodiùs sacra hostia deglutiatur, hinc communi vocabulo ablutio nominatur.

Quid est in calice, quam in Altari sumit Sacerdos?

Resp. Est verus sanguis Christi, & consequenter totus Christus, ut patet ex antecedentibus, & probatur. Quia si esset solus sanguis, & non totus Christus, jam esset mortuus, & posset dividi. Christus autem non moritur amplius, nec potest dividi, ut ait S. Paulus ad Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.*

Estne Laicis utraq; species sumenda?

℟. Fuit olim concessa, jam verò calicis usus justis de causis Laicis est subtractus, è quibus postrema non est, ut eò magis consulatur reverentiæ Sacramenti, ne interdum sanguis Christi effundatur, &c. nec ideò quis minùs se percipere putet, cùm sub utraq; specie totus Christus contineatur.

Quæ dispositio requiritur ad Eucharistiam sumendam?

℟. Certissimâ fide tenendum est, necessariam esse præparationem & dispositionem ad Eucharistiam dignè percipiendam, 1. Cor. 13. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,* &c. Itaq; quicunq; dignè & cum fructu sacrosanctam Eucharistiam sumere intendit, in statu gratiæ sit necesse est.

Quomodo me dignè ad Communionem præparabo?

Resp. 1. Præviâ sincerâ Confessione, quâ omnes

mnes conscientiæ sordes expurgentur, tantæq; majestati adventanti habitaculum mundũ præparetur, excitanda est fides firma, quâ credas verè & reali er eum esse præsentem in S. Hostia, qui ol m natus è Virgine, qui pro te in cruce mortuus, qui nunc ad dexteram Dei Patris sedet, qui tandem judex tuus venturus est. 2. Renovandum est propositum vitæ melioris. 3. Remittenda est offensa. Nam quicunq; animo vindicativo, graveq; odium versante cibum hunc cœlestem sumere præsumpserit, judicium sibi manducat. Exemplum habes in Orat. Dom. supr. per 5. q. 4. de Nobili Cordubæ in Hispaniâ, qui fictè inimico reconciliatus Eucharistiam sumpsit, & æternùm periit. Vide ibid. 4. Oportet te esse jejunum à medio noctis jejunio naturali, ut nihil omninò per modum cibi, potûs, aut medicinæ sumpseris, nec in hoc quantumvis minima pars voluntariè sumpta excusat, adeoq; nec aromata ante Communionem ori imponenda, ne quid cum salivâ deglutiatur, & Communionem impediat. Si tamen dum os abluis, casu guttula trajiciatur, sacram non impedit Communionẽ.

Estne grave peccatum accedere ad S. Communionem cum conscientiâ peccati mortalis?

Resp. Est sanè, imò tam grave, ut Scriptura dicat, eum qui indignè accedit, *judicium manducare*, imò *reum esse Corporis & Sanguinis Domini*, (b) hoc est, ut exponit S. Chrysostomus, (c) *ita reus erit Corporis & Sanguinis Domini, ac si Christum occidisset*

(b) 1. *Cor.* 11. (c) *Chrysost. in hunc locum.*

cædisset, & ejus Sanguinem effudisset. Addit S. Ambrosius cap. 10. ad Hebræos serm. de lapsis, homil. 83. in Matth. *Hoc peccato conculcatur Corpus Domini.*

Ideò horrendum est, & planè admirandum, quòd hoc præsertim tempore tot inveniantur, qui indignè hunc cibum manducant, cùm sciant se judicium manducare, ac reòs fieri Corporis & Sanguinis Domini. Hi profectò Judâ sunt detestabiliorés. Vix unquam legimus vel audimus absq; ingenti animi indignatione proditorium illud Judæ osculum, quo Dei Filium sordidâ avaritià & patibulariâ impietate exstimulatus crudelissimis suis hostibus indignissimo pretio divenditum, in eorum feroces manus & immania vincula consignavit. Omnibus etiam diris devovemus carnifices illos truculentos, qui ita severo ausu per tam exquisita tormenta sanguinem illum pretiosum effuderunt. Convertimus verò ab his oculos nostros in illud hominum, imò non hominum, sed ferocissimarum tygridũ genus, qui tremenda mysteria Corporis & Sanguinis Christi Jesu ipsis Angelicis spiritibus veneranda Sacramenta sordido ore indignè recipiunt, *qui faucibus*, ait Cyprianus, (d) *adhuc exhalantibus scelus suum, & contagia funesta redolentibus Domini corpus invadunt.* Atq; adeò qui mortiferi sibi sceleris sunt conscii, *præstantißimum seculi pretium in conscientiæ suæ fœtidũ sterquiliniũ projiciũt.* (e) Hi

(d) *Cyprian. Serm. de lapsis.* (e) *S. Bern. de bonis desert.*

Hi Caino crudeliores, ac Judâ detestabiliores, atq; ipsis qui spinis ferroq; corpus Dominicum invaserunt, non minus sævi & immanes existunt. Considerent hi, quàm horrende sacrilegio suam commaculent conscientiam, quamq; graviter Deum ad puniendum irritent. Nam si in lege veteri arcam testamenti, in quâ duæ tabulæ Mosaicæ recludebantur, tantâ reverentiâ tractari voluit: nemini licebat eam nudatam tangere, nec Sacerdotibus quidem: (f) nemini permittebatur etiam non nisi maximâ observantiâ attingere aut transportare, mortis enim pœna intentata erat, si vel modica contra illam irreverentia committeretur. Hinc Philistæis, (g) dum illam bello captam in suis provinciis circumferunt, tantæ strages, tot morborum ac dolorum agmina immissa. Hinc Bethsamitum, quia irreligiosiores oculos curiosiùs in illam conjecerunt, quinquaginta millia subitaneâ morte sublati sunt. (h) Oza labantem contingere ausus à Domino percussus interiit. (i) Si ita zelatus est honorem arcæ, atq; adeò irreverentes punivit; quomodo puniet tam indignè tractantes & sumentes corpus & sanguinem unigeniti filii sui? *Si talis ultrò in umbrâ, qualis fiet in veritate?* ait S. Thomas à Villa Nova Conc. 3. de Sacram.

Et quamvis non semper in hoc seculo tales puniantur, qui ita irreverenti ore communicant, non desunt tamen plurima exempla eorum, qui gravissimè puniti sunt.

(f) Exod. 25. (g) 1. Reg. 5. (h) 1. Reg. 6. (i) 2. Reg. 6.

Tempore Apostolorum primus qui indignè accessit fuit Judas, in quem post buccellam intravit Sathanas, & non obstante Christi monitione, lachrymis, humili submissione, pedum osculo & lotione, duplici sacrilego osculo, pacis symbolo, prodidit Filium Dei. Primò quidem osculo interiore in Corporis ejus communione, deinde osculo exteriore Judæis tradens crucifigendum. Sed vide pœnam, desperans laqueo se præfocavit, & suspensus crepuit medius, indigna erat anima exire per os, quod pretiosum corpus susceperat, ideò crepuit; indignus erat vitâ, ideò laqueo erepta: indignus erat cœlo & terrâ, inter utrumq; suspensus manet. Considerent hæc ejus imitatores sacrilegè accedentes, timeant illud, quod quibusdam contigit (k) *adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super illos.*

Tempore item Apostolorum fatetur D. Paulus, quòd multi ob indignam communionem morbis percussi fuêre, imò & morte. (l) *Ideò*, inquit, *inter nos multi infirmi, & dormiunt multi, quod si nos ipsos judicaremus, non utiq; judicaremur*, id est, non puniremur *à Domino.*

Tempore S. Cypriani cùm quidam de idolothidis gustâssent, nihilominus ad Communionē accessissent, subitâ ultione puniti sunt. *Hinc mulierem taliter accedentem scribit palpitantem condidisse. Aliam à dæmone obsessam, quæ dentibus laniavit linguam, ipsa sibi carnifex extitisse, nec diu superesse potuit doloribus ventris, & viscerum cruciatu.* S. Cyprianus Serm. 5. de Lapsis. Tem-

(k) *Psalm.* 77. (l) 1. *Cor.* 11.

Tempore D. Chrysostomi aliqui ob indignam communionem à dæmone vexabantur, ita ut de eis dici posset, quod de Juda, post buccellam introivit in eos Sathanas. Plura referre possem, sed nimis longum foret, ideò supersedeo; unum tamen aut alterum adducam.

Dulacæ Philippinarum adolescens SS. Eucharistiam pollutâ mortali scelere conscientiâ sumere ausus, ingentes subitò corporis cruciatus patiebatur: iis ut se liberaret, sacram Hostiam in latrinas nefarius evomuit, & confestim dolor omnis ille corpore cessit. Malebat scilicet Christus in sterquilinio, quàm in peccatis contaminato corpore jacere. Aliquanto post tempore, cùm nihil ille melior factus, denuò tamen execrandus sacram Synaxim petiisset, cœpêre illi subitò fauces igne quodam intus ita exuri, ut inde totus sensim contabesceret, videntibus etiam & tantam sibi mutationem mirantibus parentibus, illo interim nihil de totâ re cuiquam aperiente. Itaq; cùm impius etiam tertiò eâdem semper conscientiâ ausus fuisset eadem sacra in os sacrilegum admittere, ecce sibi densum fucorum vesparumq; examen os obsidere, in illud involare, totq; aculeis lancinare, ut tandem impium & suæ indignitatis conscium adegerint perversam illam agendi rationem damnare, & à Deo suppliciter ad Sacerdotis pedes veniam postulare; quod cùm peractâ ritè confessione magno doloris sensu fecisset, cessavêre è vestigio animalcula illa, & omnis aculeorum dolor. Pædagog. Christ. p. 2. c. 16. §. 2.

Audi & aliud exemplum, quod habetur in vitâ S. Engelberti Episcopi Coloniensis. *Fœmina quædam in Paschate cum cæteris sacrosanctam percipiens*

Eucharistiam, terribili Dei judicio cœpit spumare, agitare linguam, nec tamen quicquam eloqui. Ante Communionem sanissima fuerat: indignè accedens ad Sacramentum subitò intantum est debilitate, ut nullum membrum movere posset. Ab ineunte enim ætate admodum dissolutè vixerat, & multis onusta peccatis tam salutarem medicinam prorsus imparata sumpsit. Itaq; sacra Corporis Christi communio non remedium ei attulit, sed tormentum. Increscente verò in eâ cœlesti animadversione, in somnis visio ei oblata est, quâ didicit se brevi curatum iri, si velit locum, ubi cæsus est Engelbertus Episcopus, adire. Difficulter igitur, & magno cum labore venit ad locum, & præviâ pœnitentiâ mox restituta surrexit è lecto, & cibum potumq; sumpsit, Deoq; gratias agens promisit se annuum censum Martyri ido in loco persoluturam. Surius in vitâ S. Engelberti Tom. 6. die 7 Novembris.

In valle Lucernensi quidam cùm peccatum, & quod conceperat, vomere præ pudore non posset, eò quòd in confessione præteritâ contaminatissimo ore & spiritu sumere cœlestes dapes non dubitavit, sed dum levissimã Hostiam elapsam in stomachum putat, sentit ponderosum veluti plumbum per fauces pectusq; delapsum, quod intolerabili onere cor opprimens enecabat: quem dolorem mox etiam ardens febris excepit, & tormenta crescebant in corpore dum animus resipisceret. Resipuit tandem, & peccata sua accuratâ confessione detexit, quibus animo liberato ponderibus, suo quoque pondere levatum est corpus. Flores exempl. c. 5. tit. exempl. 12. ex lit. annuis Societ. anno 1555.

Sancta Hildegardis anno 1180. *prophetavit Germaniam*

niam aliasq; Provincias à fide defecturas justo Dei judicio veritatem fidei ab eis subtrahente, ob indignam & impuram tractationem Sanctissimi Corporis Domini. Per hoc censebantur indigni fide, quam moribus & vitâ impugnabant. Marchantius in Cand. myst. tract. 4. lect. 9. prop. 3.

Igitur quicunque ad cœlestem hanc mensam accedere cogitas, seriâ confessione conscientiam emunda, ne fias reus Corporis & Sanguinis Domini, & ne vitæ cibus tibi cedat in perniciem sempiternam. Audi S. Cyprianum: (m) *Qui se non judicant, nec sacra dijudicant, sed sicut cibis communibus sacris utuntur muneribus, & Dominicæ mensæ in veste lutulentâ se ingerunt impudenter, iis melius erit mola asinaria collo allegata mergi in pelagus, quàm illos à conscientiâ de manu Domini buccellam accipere.*

Quomodo se geret communicaturus accedens ad S. Communionem?

R. Postquam (ut prædictum est) seriò confessione conscientiam expurgavit, firmâ fide, ac maximâ animi demissione, manibus complicatis, fixis in terram oculis ad cœleste epulum accedet, & flexis humiliter genibus absq; impetuosa compressione velum communicantium reverenter manibus suscipiet, super eo caput nonnihil inclinabit, ut si fortè S. Hostia è Sacerdotis manibus labatur, in eodem recipiatur. Deinde ore reverenter aperto, linguam usq; ad labia exeret, quâ immobiliter servatâ sacram Hostiam recipiet, sumptaq; ablutione os velo, quod præbet mini-

(m) *Cyprian. serm. de Cœnâ Domini.*

minister, deterget, quod proprio sudario fieri nullatenus debet: nequaquam communicans sumpta S. Hostia continuò manus sub majoris devotionis prætextu ori admovebit. Tandem sumptâ ablutione, factâque reverentiâ, demissis iterum in terram oculis, manibusq; plicatis, ad locum suum revertetur.

LECTIO XC.

Quid faciendum post Communionem?

℞. Post Communionem non continuò foras egredietur communicans, nec corde ad res terrenas aut vanas diffluet, sed loco suo flexis humiliter genibus.

Primò summa cum devotione convocatis omnibus animæ potentiis Christum Deum, ac Regem velut in Throno sedentem coram adorabit, eique pro tanto beneficio gratias aget, quod scilicet tanta Majestas ad vilissimum terræ vermiculum venire dignata fuerit.

2. Corpus, animam, actiones omnes, exteriora simul & interiora in grati animi testificationem offeret, statuetque ferventius ei de cætero famulari, omniaque peccata, quæ Divinam ejus offendunt Majestatem declinare.

3. Suas, suorumque necessitates Salvatori suo proponet, subsidiumque petet, quo omnia peccata præsertim mortalia cavere valeat ne unquam oculos tantæ Majestatis offendat. Dicat cum Patriarcha Jacob: (a) *Non dimittam te, nisi benedixeris*

(a) *Gen. 32.*

xeris mihi. Hæc sanè devotio gratiam in sumptione Sacramenti susceptam mirificè augebit.

Tandem cavebit hoc cœlesti cibo refectus, ne nihil tota illa die tanta Dei sui Majestate indignum committat, minùs pro vili aliquâ voluptate illum totius Divinitatis thesaurum abjiciat, aut contemnat.

Quomodo dies Communionis transigendus?

Resp. Meritò dies iste, quo anima cœlesti cibo refecta est, totus quantus est, in gratiarum actione & voce laudis pro exhibito tanto beneficio est impendendus, ac sepositis tantisper curis sæcularibus, orationibus, divinisq; meditationibus ac colloquiis spiritualibus insumendus.

Convenitne die Communionis ingredi tabernam, ibiq; hilariori haustu fessa labore membra refocillare?

Resp. Nequaquam, abusus enim est gravissimus, imò Diaboli inventum, die tali ingredi tabernas, & habitaculum cordis, quod Deum ipsum recepit, ebrietatibus, commessationibus, & lascivis choreis (ad quæ plerumq; deflectit instabilis juventus; ut experientia plus satis constat) polluere, hâc enim viâ tales Deo pro tanto accepto beneficio ingrati existunt, gratiam in Sacramento acceptam expellunt, nec non graviter Divinam Majestatem offendunt; quod sæpè justa subsecuta punitio demonstravit.

Legitur in gestis Summorum Pontificum, quòd quidam in die Paschatis sumptâ S. Communione dederunt se lascivis choreis & ebrietatibus, unde ira Dei cecidit super eos: nam de ore eorum exibat sanguis fœtidus, & reflexum

reflexus ad interiora subitò suffocabat eos aqua, sive pluvia ita inundavit, ut discurrens per omnem terram eorum omnia virentia penitus evertit, dracones pestiferos in viâ demisit sic, ut nullus nec egredi nec regredi valeret sine periculo. Cùm ergo quidam sanctus oraret, ut Deus parceret huic populo, vel saltem demonstraret causam tanti flagelli, apparuit ei Angelus, & proposuit talem quæstionem: si quis acceptum filium Imperatoris poneret in fœdissimo carcere, & hoc proditoriè, quid tali deberet facere Imperator? Respondit sanctus, talis deberet interfici & mutilari membratim. Iterum dixit Angelus: Propono tibi aliud dubium: unus accepit pyxidem, in quâ asservatur Corpus Christi, & in fœtidissimo luto in præsentiâ multorum eam projecit, quid ergo deberet tali fieri? Respondit sanctus: Talis debet cremari sicut hæreticus. Tunc Angelus: Tales sunt cives istius terræ; nam filium Dei posuerunt in fœtidissimo & obscurissimo carcere, & ulteriùs pyxidem, id est corda sua, in quibus consuetum est reponi Corpus Dominicum, projecerunt in lutum & in fimo fœtidissimo vanitatum, chorearum, & immunditiarum, & ideò non est mirum, si isti vel majoribus puniantur; quod cùm audissent à Sancto Pontifice, liberati sunt. Spec. Exempl.

Tempore D. Gregorii cùm Romani statim à Paschali communione indignè ita se gererent, in commessationibus, ebrietatibus, luxuriis, ludis, & spectaculis turpibus, tanta eos pestis invasit, ut nil nisi mortis imago funusq; occurreret; adeò, ut in unâ supplicatione publicâ octoginta personæ subitò occiderint. Marchantius in Hort. Past. Cand. myst. Tract. 4. Lect. 9. prop. 1.

Igi-

Igitur ne similis te comprehendat punitio, illo præsertim die, quo corporis tui hospitio ipsum Deum excepisti, tabernam pravamq; societatem devita, ne in pristina peccata relabaris, & divinam gratiam in Sacramento susceptam expellas.

Quid ulteriùs post Communionem faciendum?

R. Post Confessionem & sacram Communionem quivis omni cavebit modo, ne in pristina relabatur peccata, & ne post tantum beneficium ingratus graviorem reportet damnationem: sæpè ruminet id, quod Christus sanato dicebat paralytico: (b) *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Audiat item graviter monentem D. Chrysostomum: (c) *Tibi Christiane excusatio nulla est, qui post servitutem liberatus es, post captivitatem redemptus, post interitum restitutus. Te jam instituit Dominus: Ecce, inquit, sanus factus es, noli jam amplius peccare, ne quid deterius tibi fiat. Noli,* inquit, *peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita,* inquit, *ô homo, graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari per gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat, sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. Grave est hominem instructum delinquere, gravius absolutum peccare. Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem ostendit.* Ita Chrysostomus.

Patet igitur ex his, quàm malè sibi consulant, qui

(b) *Joann. 5.* (c) *Homil. 2. de lapsu primi hominis.*

qui post suscepta Sacramenta tanti beneficii immemores velut canes revertuntur ad vomitum in eadem peccata, quæ per Confessionem remissa sunt, vel etiam in deteriora relabuntur. Hi profectò ulteriore gratiâ indigni vindicem Dei manum sæpè experiuntur.

Scribit noster Seraphicus Doctor S. Bonaventura de Canonico quodam flagitiosæ vitæ, eum, cùm periculosè ægrotaret, ad S. Franciscum, qui tunc etiam ex morbo decumbebat, deportatum, à viro sancto sanitati restitutum esse, seriò admonitum, ut pravam vitam deinceps corrigeret. Ille sanitati redditus, non diu commonitionis & beneficii memor, ad ingenium & turpes amores rediit, sed non impunè: cùm enim apud alium quendam Canonicum lætus cœnam cœpit, subitâ collabentis domus ruinâ ille unus ex omnibus oppressus interiit. S. Bonav. in vitâ S. Francisci c. 11.

Aliud audi ex Cantipratano l. 2. Apum. c. 30. §. 9. *Vir turpissimis fuimet corporis libidinibus diu assuetus cum Parocho suo ad hunc Thomam à Cantiprato Episcopi Cameracensis Suffraganeum venerat à delictis veniam impetraturus, quam etsi negaret primò Præsul, quòd eâdem iste aliàs quoq; impetratâ, in idem crimen relapsus fuisset. Utriq; tamen, & reo & Parocho, importunè cum magna emendationis spe, ac promissione obtestantibus dedit, vindicem Dei manum comminatus, si ad priorem turpitudinem suam rediret. Abiit ergo lætus, sed non satis propositi tenax homo: nam altero Paschali festo die miser sui nimis impetens ad antiquas reversus libidines sensit illicò Dei manum, tristem proinde vocem hans ingeminans:* Vindicta Dei super me,

vindicta Dei super me, *infelicem animam exhalavit.*

LECTIO XCI.

De Communione Spirituali.

Quid est Communio Spiritualis?

R. COmmunio Spiritualis est exercitium quoddam excellentium actuum internorum, quibus, ut S. Thomas (a) affirmat, etiam sine Sacramenti susceptione, fructus Sacramenti, qui est unio cum Christo, percipitur. Sive est ardens desiderium spiritualiter suscipiendi Christum in Eucharistia, eliciendo actus trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis.

Ad quid utilis est Communio Spiritualis?

R. 1. Utilis est ad percipiendum fructum Sacramenti Eucharistiæ, ut patet ex D. Thoma sup. & S. Augustino. 2. Utilis est ad debitam præparationem, ad Communionem Sacramentalem instruendo, videlicet animam actibus virtutum cœlesti huic convivio congruentibus. 3. Ad sacrum quotidie cum fructu auscultandum.

Quomodo ergo spiritualiter communicandum?

R. Melior modus spiritualiter communicandi hic est, dum devotè quis interest sacrificio Missæ, quando Sacerdos pervenit ad Agnus Dei, præparat se ad communicandum spiritualiter hoc modo.

Primò excitato dolore super peccatis corde,

(a) 3. p. q. 80. a. ad 3.

ore, & opere commiſſis, ter cum Sacerdote ind gnum ſe pronuntiabit, quem ſub cordis ſui tec recipiat dicens: *Domine, non ſum dignus ut intr ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabit anima mea.*

Deinde excitabit actus fidei, ſpei; & charit tis circa hoc myſterium, & *primum* quidem fide abnegando videlicet judicium, quod à ſenſib procedit, & credendo firmiter, quòd ſub ſpecie bus illis panis & vini revera contineatur JESU CHRISTUS, verus Deus & homo, eâdem inte gritate, gloriâ, & majeſtate, quâ in cœlis reſidet Hoc vel ſimili modo.

Credo firmiſſimè in hoc ſacratiſſimo Euchari ſtiæ Sacramento ſub velamine accidentium con tineri Jeſum Chriſtum Dominum meum, un cum corpore & animâ, ſanguine & Divinitat ſuâ: credo ibi præſentem eſſe Dei filium vivum infinitum, æternum, immenſum, omnipotent ſapientem, ſanctum: credo ibi adeſſe Salvator Magiſtrum, Patrem, Judicem, & Glorificatorem meum, qui pro me in ſtabulo natus, flagellis di riſſimè cæſus, ſpinis coronatus, & cruci affixus fuit: omnia autem hæc ideò credo, quia ipſe re velavit, & certus ſum, quòd ſciverit, potuerit, & hæc facere voluerit.

2. Exercebit actus ſpei, quibus certò ſperabit & deſiderabit ea, quæ Chriſtus Sacramentum hoc dignè percipientibus pollicitus eſt, atq; in 6. Jo ann. cap. recenſentur. Dicet itaque: Spero Sal vator mi, (b) ſi *panem hunc vivum* comedam, me

(b) *Joann.* 6.

nunquam moriturum, sed immortaliter victurum, atq; *me in te, te* verò vicissim *in me permansurum.* Spero *sicut tu per Patrem vivis, ita me etiam per te victurum*, æternam vitam consecuturum, & *in novissimo* seculorum *die resuscitandum*. O panis vitæ! vehementer desidero te suscipere, magnâ fretus fiduciâ, quòd spiritum meum sis vivificaturus, cor meum roboraturus, animam meam lætificaturus, potentias meas confortaturus, carnē meam depuraturus, meq; totum in alium hominem mutaturus. O Salvator dulcissime, hanc in me fiduciam adauge, ut eximiarum tuarum promissionum dignus efficiar.

3. Excitabit actus amoris, quibus se Christo spiritualiter uniat, ac pro tantâ charitate in hoc Sacramento potissimùm exhibitâ eum reciprocè diligat, hoc aut simili modo.

O Salvator dulcissime, ubicunque quidem es, verè amabilis es: at in hoc Sacramento planè dignissimus, qui totis amoris viribus à cunctis diligaris. Utinam te Domine diligerem toto corde, totâ mente, & spiritu, ac totâ fortitudine meâ. Amem te Domine propter *bonitatem*, quam hîc manifestas: propter *amorem*, quem hîc demonstras: propter *beneficia*, quibus me afficis: propter *mala*, à quibus me liberas: propter *bona*, quæ mihi polliceris: ac deniq; propter *ingens desiderium*, quo te à me amari desideras. Adimple, obsecro, tuum & meum desiderium, & concede, ut te amem, sicut tu à me amari vis: uniendo me tecum unitione perfectæ charitatis, quæ usq; in vitam perseverat æternam. Amen. Hisce

Hisce breviter excitatis, dum Sacerdos se communicat, ardenti desiderio per hæc suspiria; *O quàm libenter te nunc, ô vita animæ meæ, susciperem! &c.* eundem suscipere gestiet, & cum Nicodemo, Josepho, ac B. Virgine de cruce deponet, & spiritualiter in anima sua sepeliet, affectuosèque quasi sacramentaliter communicâsse dicet.

Anima Christi sanctifica me.
Corpus Christi salva me.
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris Christi lava me.
Passio Christi conforta me.
Bone Jesu exaudi me.
In vulneribus tuis absconde me.
Ab hoste maligno defende me.
In horâ mortis meæ voca me.
Protege & pone me juxta te.
Ut cum Sanctis Angelis tuis in secula seculorum laudem te. Amen.

Quàm verò Deo grata sit hæc spiritualis Communio, ex subjectis patet historiis.

Quidam Conversus, qui recenter fidem susceperat, Monachos communicare vidit; & cum hoc sibi minimè licere cognovisset, stans contra Altare communicandi desiderio suspiravit: & ecce pius Dominus sine Sacerdotis ministerio de Altari per Sacramentum descendere dignatus est in os ejus, qui mox hostiam aperto ore ostendens, & causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos qui aderant, in stuporem convertit: eandem enim hostiam defuisse repererunt in Altari. Cæsar. libr. 9. miraculorum c. 37.

In auspiciis Ordinis nostri Seraphici in Conventu Cajetano duo fratres Laici comparaverunt se quo maximo apparatu potuerunt ad esum Dominici Corporis recurrente die, quo cœnam illam Dominus pridie Passionis instruxit; sed cùm nihilominus expectâssent, jussi sunt à Patre Guardiano in urbem descendere faciendo quæstui, sive mendicando compilatim pani, urgebat enim inopia. Miseri hoc fulmine icti, ægerrimè impasti abierunt, sed abierunt tamen, & cùm stipem lentè colligerent, priusquam domum remeassent, domestici tot jam labentibus horis tædio victi assiderunt mensæ contenti eâ annonæ parcitate, quam habebant. Illi ergo lentius festinantes, qvùm Conventum reperissent, invenerunt absolutum officium, inchoatam cænam, & Fratres mensæ assidentes. Quâ rerum facie consternati, nequaquam illis edentibus addiderunt se convivas, sed Ecclesiam subeuntes, ubi pro more Christi corpus in factitio sepulchro jacebat, vices suas dolebant, importunam necessitatem accusantes, quærulis etiam lamentis tantum non lachrymis persecuti. Qvùm ecce aspiciunt, ex arculâ, in quâ S. Hostia jacebat, prodire venusti vultus Ephebum elegantissimum, & grave quasi corporatum Angelum aliquid ultra hominem habere. Hic eorum utrumq; accedens, sese illis prodidit, asserens Christum esse, quem ipsi interim adorabant, se & utriq; seipsum communicavit, id est, sacram Eucharistiam summus Sacerdos porrexit, quo opere defunctus arculam, ex quâ prodiit, repetivit. Vidi vestigia (ait R. P. Bonaventura Baronius) *pedum pavimento impressa, ferreis jam craticulis tecta, ut etiam loca, quibus Fratres geniculati incumbebant, aliis cancellis occlusa.* Ex Gonzaga in Pro-

S vinciâ

vinciâ terræ laboris. Con. 7. R. P. Bonaventur. Baro Hybernus, SS. Theolog. Lector Jub.

Mirum prorsus, quod Seraphico nostro S. Bonaventuræ sub mortem contigit, subitò enim viribus destitutus in tantum vomitu fatigabatur, ut nihil sumptum tenere potuerit. Nihilominus ex Christiano more valdè desiderabat confirmari sacro viatico, sed tamen abstinuit se præ reverentiâ, & periculi causâ, jussit Corpus Domini adferri, cujus præsentia saltem cùm sumere vereretur, confirmatus lætus constantiusq; excederet. Pyxis, quod cibarium vocant, in quo Corpus Domini portabatur, lateri admoveri voluit, sumendi desiderium indicans sub pyxide lateri appositâ in formam rosæ rubentis latus aperitur, quâ Christi Corpus è pyxide in ejus corpus intimum se immisit, nullo pòst aperturæ relicto vestigio. Sedulius in Commentario ad cap. 1. S. Bonaventuræ.

LECTIO XCII.

De SS. Missæ Sacrificio.

DIctum est suprà Eucharistiam non solùm esse institutum, ut esset cibus, quo in vita spirituali nutriatur homo, verum etiam ut esset perpetuum Ecclesiæ sacrificium, in quo Agnus, qui integer perseverat, ejusq; caro & sanguis Divinitati junctus incruente immolatur & offertur.

Cur hoc sacrificium vocatur Missa?

R. Resp. Missa nomen Hebræum est, quod latinè significat oblationem. Hoc Missæ nomen, sicut etiam ipsa res antiquissima est, quamvis hæretici

retici novum inventum calumnientur. Meminerunt ejus vetustissimi Patres & Martyres. Ignatius ad Smyrnenses, Clemens discipulus S. Petri in Epist. 3. de officio Sacerdotum & Clericorum, & complures alii.

Quid est Missæ sacrificium?

Resp. Est consecratio, oblatio, & sumptio Corporis & Sanguinis Christi in memoriam cruenti sacrificii in cruce peracti.

Quis instituit hoc Sacramentum?

Resp. Nemo alius nisi Salvator noster, idque in ultimâ cænâ, quando dixit; (a) *Hoc facite in meam commemorationem*, ut S. Patres tradunt, & tota Ecclesia in Concilio Trident. Sess. 22. Can. 2. de Sacrificio Missæ confirmat.

Non sunt autem omnia, quæ in Missâ peraguntur, ex institutione divinâ, nam quædam spectant ad solemnitatem & cæremonias, ut varia cantica & orationes, quæ à summis Ecclesiæ moderatoribus successione temporum sunt addita; quædam verò sunt de substantiâ & integritate, ut sunt ejus partes, Consecratio, Oblatio, & Sumptio, & hæ sunt à Christo institutæ.

Quid in Missa offertur?

℟. Idipsum quod in cruce offerebatur, sed alio modo, id est, idem Christus, qui in cruce offerebatur modo cruento, in Missa incruento offertur.

Cur offertur?

Resp. Ad recolendam Christi passionem, in gratiarum actionem, in satisfactionem pro vivis

(a) *Luc.* 22.

& defunctis, in Purgatorio existentibus, ad impetrandam gratiam & remissionem peccatorum, atque ad evitanda omnia mala, tam præsentis quàm futuræ vitæ.

Cui offertur?

℟. Uni soli Deo, rerum omnium Creatori & Gubernatori. UndeEcclesia in memoriam & honorem Sanctorum celebrare consuevit: non tamen illis sacrificium, sed soli Deo, qui Sanctos æternâ gloriâ coronavit, offerre solet.

Estne Deo gratum obsequium celebrare Missam?

Resp. Quàm hæc victima, si ritè & legitimè immoletur, grata sit Deo, ex veteris legis sacrificiis (quæ non nisi umbra hujus fuerunt) licet colligere, de quibus Scriptura dicit, Deum adoratũ esse, fuisseq; illi in odorem suavitatis. Quantò magis Deo gratum erit hoc sacrificium, in quo non carnes taurorum aut vitulorum, sed Caro & Sanguis Christi immolantur.

Estne utile frequenter audire Missam?

Resp. Quàm fructuosum sit & utile sæpè sacrificanti assistere, non facilè quis explicaverit. Nam *primò* cùm ex fragilitate humanâ quotidie in peccata labamur, & periculo semper expositi simus mortiferè peccãdi, & leviter quidem commissa sacrificium Missæ obliterat, à lethalibus verò servat: est enim remedium efficax ad impetrandam Dei gratiam, & dolenter præterita confitendi, & deinceps ab iis abstinendi. *Secundò* datur gratia rectè vivendi, confertur auxilium vivis omnibus atq; defunctis. *Tertiò* solet De-

os

us etiam in rebus temporalibus illi magis favere, quem videt ante omnia spiritualium rerum, & Divini honoris curam gerere. *Quartò* à multis periculis & malis tam corporalibus quàm spiritualibus eum eximit Deus, qui reverenter Missæ sacrificio assistit. Pluribus hæc probari possunt exemplis, pauca subjiciam.

Refert Pinellus de duobus sartoribus, quorum uni, quia quotidie Missam audiebat, omnia cedebant ex animi sententiâ, abundeq; suppetebant, quæcunq; ad uxorem & liberos alendos erant necessaria. Alteri verò, etsi nullos haberet liberos, nulliq; labori parceret, adeò ut ne festis quidem diebus cum uxore suâ vacaret à laboribus, nihilominus in continuâ paupertate ac miseriis erat vivendum. Quæsivit hic ab altero, unde tanta illi prosperitas? Qui respondens illi : Cras, *inquit,* mecum veni, & ostendam tibi. *Venientem sequenti die secum duxit ad Missam, quâ finitâ redire jussit ad labores. Posterâ die idem fecit. Et cùm tertiâ quoq; die idem repetere cogitaret, respondens illi pauper :* Viam, *inquit,* amice, quæ ducit ad templum & Missam, non ignoro, hoc ex te quæro, unde tanta tibi prosperitas? *Tum alter :* Ex Missâ, *inquit,* ut opinor, secundùm illud Christi: Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & reliqua omnia adjicientur vobis. *Pauper hoc dictum Christi accuratiùs considerans, constituit deinceps singulis diebus Missam audire, ex quo tempore omnia illi prosperè successerunt. Ita verum est, quod vulgò dicitur :* Tempus quod Sacro impenditur, minimè perit negotiis. Pinellus lib. de Missâ.

Refertur de S. Isidoro famoso Hispaniæ Sancto, qui cùm Sacris devotè interesset, visi sunt Angeli interim temporis loco ipsius ducere aratrum. In vita ejus.

Narrat Æneas Sylvius, qui postmodum Papa factus Pius II. dictus est, mirum quid de Nobili quodam Illyrico, qui cùm assiduâ tentatione urgeretur, ut ipse sibi laqueo vitam eriperet. Post varios conflictus & mille attentatos modos, tandem pium quendam Religiosum pro efficaci remedio consuluit. Qui ubi narrantem suam miseriam audivit, statim fraudem diaboli agnovit, & memor quòd quidam discipulus S. Augustini ad instantiam cujusdam nomine Hesperis Missam celebrans, dæmones è domo, quam insederant, fugâsset, Nobili illi consuluit, ut singulis diebus Missam audiret. Placuit illi consilium, & electo aliquo Sacellano promptè idem executus est. Ergo à molestâ illâ tentatione liberatum se sensit. Contigit autem posteà Sacellanum in viciniam evocari, & hâc occasione Missam sui Domini negligere: qui licet eam audire optaret, non potuit tamen alibi tam facilè invenire, adeoq; ad locum illum vicinum contendit. Sed tardè incedenti passionibus & cogitationibus onerata, rusticus quidam occurrit, qui cùm eum cogitabundum ac timidum advertisset, rogavit quò tenderet? Eo autem respondente se Missam quærere, subjunxit: Frustrà progrederis, jam enim dicta est. *Quod responsum adeò melancholiam Nobilis istius concitavit, ut prostrato vultu se ad pedes rustici abjecerit: qui attonitus ac ridens ei dixit:* Tu mihi sagum tuum da, & ego omne meum meritum, quod audiendo Sacrum adeptus sum, transferam. *Placuit Nobili conditio, & permutatione factâ plenus gaudio*

& de

& devotione ad Ecclesiam abiit. Rusticus novo lucro lætus simul cum sago tentationem illam diabolicam induit, quæ Nobilem illum exagitare solebat, adeoq; vehemens & efficax in illo fuit, ut eodem mane laqueo vitam suam finire coëgerit. Quem reversus ab Ecclesiâ Nobilis in viâ suspensum reperit, & divinâ voluntate suspendii causam intellexit. Ideòque consilium illud Religiosi approbans in solita sua devotione progressum fecit, ac obtentam jam animæ serenitatem & pacem eodem modo conservare conatus est. Æneas Sylvius de Europâ cap. 21.

Memorabile est quod refertur in vitâ S. Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ. *Habebat hæc Regina puerum omnibus virtutibus ornatum, & præsertim fidelitate, per quem eleemosynas faciebat, alium quoq; perditis moribus habebat, qui de hoc studioso puero ad Regem talia differebat, quòd ipse Rex eum interficere decreverit. Quapropter jussit cuidam calcis artifici, ut cùm tali die & horâ ad eum misisset quendam puerum, eum in calcariæ fornacis medium projiceret. Puerum igitur Rex die & horâ dictâ illuc misit. At cùm ex parentis monitione quotidie sacro Missæ sacrificio devotus interesse soleret, contigit eum in viâ Ecclesiam quandam transire, & campanæ sonitum audire, qua significabatur hostiæ ad populum ostensio, ingressus igitur Ecclesiam Missæ sacrificio ad finem usq; interfuit, ac tantum temporis spatium consumpsit, ut, Deo ita disponente, hora data præterierit. Tunc Rex rei exitum cùm scire desideraret, alterum puerum calumniatorem ad calcis artificem misit, ut sciscitaretur, num perfecisset quod à Rege sibi impositum fuerat. Ille autem hunc puerum esse*

existimans, de quo Rex locutus erat, eum in fornacem projecit. Hoc modo summus ille Judex innocentis causam tutatus est, & reum debito supplicio affecit, in eum illud malum convertens, quod ipse alteri moliebatur. Hoc casu Rex veritatem agnovit, ac multùm eum postea dilexit, tum ob virtutem, tum ob devotionem ad Missam. Chron. Franciscan. p. 2. l. 8. c. 28.

Ferdinandus Antolinus olim cum Saracenis acie conflicturus, decreverat priùs Missam audire, quam dum audit, adfuerunt ad pugnam prompti Saraceni, clamatum ad arma, & Antolino finem Missæ præstolante, occursum & pugnatum strenuè; sed ita ut Ducis præsentia à nemine desideraretur, quin potiùs ab omnibus cerneretur instare acriter hostibus vulnerare, prosternere, fugam agere. Erat Ferdinandi Tutelaris Angelus, qui pii clientis, dum sacrum audit, habitu ejus dein vices ita prorsus obibat, ut telorum ab hoste missorum vestigia in ipsis Ferdinandi armis & equo, tanquam si ipse pugnâsset, non obscura apparerent. Pædag. Christ. p. 2. cap. 9. §. 1.

Sacerdos quidam, qui cum aliquot è popularibus Hierosolymam venerat, ut loca sacra veneraretur; sociis ipso sacro Paschæ die ad reditum accinctis, cùm ille nondum sacris operatus esset, nec isti exspectare vellent, dicto vale ad templum redit sacrificaturus. Peracto ritè sacrificio, cùm è templo egressus de viâ cogitaret, occurrit ei eques, qui jussum ponè se equum conscendere, eâdem die in patriam benè longè dissitam avehit, & ante domus suæ fores statuit, monitum hoc illi à Deo beneficium pro ea, quâ in augustissimum Missæ sacrificium esset pietate, collatum esse. Thom. Cantipr. libr. 2.
apum.

apum. cap. 40 §. 2. Plura vide in Floribus Exempl. Dauroultrii.

LECTIO XCIII.

De reverentia animique attentione ad divinum hoc Sacrificium afferenda.

Quâ reverentiâ Missæ sacrificium audiendum?

℟. QUia Missa non est aliud quàm Sacrificium verum ac legitimum, quo uni soli Deo Christi Dei hominis corpus & sanguis immolatur: Ex quo fit, ut cùm hîc sit Rex Regum Christus Dominus, ipsaq; adeò SS. Trinitas cum curia cœlesti universa, præcipuâ nos animi attentione ac reverentiâ adesse deceat. Audi quid dicat Chrysost. libr. 8. de Sacerdotio: *Per id tempus & Angeli Sacerdoti, & cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est,*

Hos cœlestes spiritus maximâ reverentiâ Sacerdoti sacrificanti adstitisse persæpè vidit idem Chrysostomus, ut testatur B. Nilus Abbas Epist. ad Anastasium. Viderunt & alii complures, quos vide in Floribus Exempl.

Quâ igitur reverentiâ assistet vilis homuncio huic Sacrificio, in quo creator præsens est, & immolatur? Nam in aulâ Regi aut Principi maximâ reverentiâ compositisq; moribus assistunt

Aulici, & jussa promptissimè exeqvuntur; quid non faciet Christianus, qui in sacris Missæ officiis Christum Regem Regum, imò & totam illam indivisæ Triados Majestatem præsentem dedit. Procul igitur inde omnes fabulæ, procul vani aspectus, procul cogitationes noxiæ, procul inde quicquid huic reverentiæ adversatur.

Legitur in Scala cœli, *quòd fuit quidam Sacerdos devotus, qui celebrata Missa retro Altare vidit diabolum scribentem in pergameno longissimo. Cumq; ei pergamenum deficeret, cœpit dentibus ampliare more sutorum, ut majorem posset recipere scripturam. Ad quem accedens Sacerdos in virtute Jesu Christi diabolo præcepit, ut in præsentiâ populi diceret, quid ibi scripsisset. Respondit dæmon:* Hîc scripsi omnia peccata, mendacia, detractiones, aspectus impudicos, cogitationes immundas, vanitates, & omnia peccata populi tui, quæ hodie in ista Ecclesia commiserunt, quia hæc facta in Ecclesiis multùm Deum offendunt, & lætificant nos inimicos Dei. *Tunc Sacerdos assumpto pergameno, & peccatis lectis, populo nunciavit. Cumq; admonitionem Sacerdotis perfectè fuissent confessi, illa tota scriptura de pergameno fuit deleta. Et sic dæmon confusus recessit.* Spec. Exempl. tit. *Ecclesia* exempl. 5. ex Joanne Juniore Ord. Præd.

Estne utile finem Missæ præstolari?

℟. Est sanè utilissimum, imò diebus Dominicis ac festivis necessarium, ut præcepto satisfiat, adeoque lethali noxâ obstrictus censeri debet, qui potiori aliquâ parte Missæ, aut voluntariâ

riâ mentis evagatione, aut fabulis, &c. distinetur, aut eâ neglectâ foras sine causa egreditur.

Audi hac super re Concil. Agathenense Can. 47. *Missas*, inquit, *die Dominico secularibus totas audire speciali ordine præcepimus, ita ut ante Sacerdotis benedictionem egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.*

Quòd autem summè sit utile finem Missæ præstolari patet, tum quia Deo pergratum est acceptissimo Sacrificio integrè adesse, tum ob Sacerdotis benedictionem, quæ magnam habet efficaciam, ut patet suprà Lect. 54. Tum deniq; ob beneficia, quæ Missam integrè audientibus adveniunt, ut in sequenti patet historiâ.

D. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus duos adolescentes scribit festo die ad agros aucupatum ivisse, cùm alter Sacro minimè interfuisset, illisq; ita occupatis suborta esse fulgura & tonitrua, vocemq; de cœlo auditam: Feri, feri illum, *quam vocem derepentè subjecutū fulmen, adolescentem, qui Sacrum neglexerat, prostravit, extinxit. Altero autem horrore perculso, & fugâ sibi consulente, eandem vocem iteratam esse:* Feri, feri illum; *sed simul hanc subjunctam fuisse:* Feriri non possum, quia hodie, Verbum Caro factum est, audivit: *nimirum hoc socio felicior, quòd Missæ sacrificio, & quidem usq; ad finem interfuisset.* D. Anton. p. 2. Chron. tit. 9. cap. 10. §. 2.

Estne Deo gratum Sacro ministrare?

Resp. Est sanè gratissimum Deo obsequium suum in hoc Sacrificio præbere famulatū. Quanti verò meriti & præmii sit libenter Missæ inservire, ex subjectis patet exemplis.

Sancta Mechtildis virgo vidit animam cujusdam conversi in magná claritate, eò quòd speciali devotione & diligenti studio, ubicunq; poterat, ad Altare serviebat. Ex libr. 4. spirit. grat. s. Mechtildis.

In Chronicis Fratrum Eremitarum S. Augustini narratur de Joanne Reatino insignis virtutis juvene, qui Sacerdotibus omnibus indifferenter ad Missam summâ cum diligentiâ libentissimè ministrabat. Per aliquot autem ante obitum dies ad eum veniens philomela quotidie ante fenestram suaviter canebat: & interrogatus quid ea sibi vellet? respondit jocosè, sponsam esse suam, invitantem se ad paradisum: Hic die quâdam ad Missam ministrans, vidit super Altare lucem divinam, & eâdem die cœpit decumbere, & magnâ cum devotione spiritum reddidit Creatori. Hoc meruit pium ejus obsequium in Missæ sacrificio. Jos, Pamphil. in Chron. Eremit. S. Augustini.

Neminem igitur pudeat, meritorium adeò famulatum ac Deo summè gratum subire, cùm ipsi quandoque Magnates honori sibi duxerint, dum ministri loco Sacerdoti sacrificanti servire potuerunt.

Imò quàm honorificum ac meritorium sit Sacro ministrare, inde non obscurè patet, quòd Angeli ministrorum partes Missæ tempore quandoque obierint.

Cùm F. Joannes de Parma Ordinis nostri Seraphici Religiosus sese Generalatu abdicâsset, precibus contendit, ut sibi à Generali in locum ejus suffecto daretur facultas petendi solitudinem Græcio in Provincia Romana sitam, ut ibi à populi strepitu liberiùs Deo vacaret.

Colla ejus, quam totos ferè triginta annos inhabitavit, adjacebat, angusto quidem spatio delubrum, in quo sacris operabatur ministrante ejusdem Ordinis nostri non vulgaris pietatis Religioso. Factum est autem, ut hic diuturnis antelucanis precationibus fatigatus ita somno oppressus jacuerit, ut hora etiam ministrandi Sacro proxima nihilominus consopiretur. Intereà vir Sanctus ministrum perquirit, nec reperit; sacris se accingit peragendis, spe ministri proximè more suo venturi. Hora constituta aderat, nec comparebat Frater, adest Angelus, & fit minister, vultu ac veste referens Religiosum. Sacrificio ad finem perducto adhuc quiescens Frater in somnis se à F. Joanne accersitum percipit. Excitatur, Sacerdotem adit, & ait: Placetne, Pater mi, Sacrũ facere? *tum vir Dei cognovit, Angelum, non Religiosum Sacra ministrâsse.* Chron. Min. tom. 2. l. 2. c. 57.

Simile obsequium impenderunt Sancto Oswaldo Wigorniensi Episcopo, item D. Gregorio Magno, & S. Proculo Episcopo & Martyri. Flores Exempl. c. 3. tit. 31.

LECTIO XCIV.

De Sacramento extremæ Unctionis.

Quid est extrema unctio?

℟. Extrema Unctio est Sacramentum, per unctionem olei ab Episcopo benedicti, & orationem Sacerdotis, ut ægris applicetur ad salutem animæ, vel etiam corporis à Christo institutum.

Cur dicitur extrema unctio?

Resp. Vel quia datur in extremis agentibus, vel quia inter alias Ecclesiæ unctiones hæc sit ultima.

Quis instituit hoc Sacramentum?

Resp. Christus Dominus hoc Sacramentum instituit, quod S. Jacobus promulgavit, ut docet Concil. Trid. Sess. 14. c. 1.

Quidam putant Christum hoc Sacramentum instituisse Marci 6. ubi legimus Salvatorem duodecim ad se vocâsse, eosdemque binos misisse certâ quâdam legationis formâ præscriptâ, & potestate quâ uterentur. Et statim sequitur: (a) *Exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos & sanabant.*

Probabiliùs tamen quidam Theologi dicunt, Christum instituisse hoc Sacramentum post resurrectionem suam Joann. 20. vel Actor. 1. inter illos quadraginta dies, quo tempore conversatus cum Apostolis loquebatur de regno æterno, hoc est, non solùm de regno Dei, sed & de Ecclesiâ, quæ regnum DEI in Scripturâ dicitur. Ordinando scilicet ea, quæ postmodum observaturi erant Apostoli, maximè circa Sacramenta, & Ecclesiæ ordinem Hierarchicum: quia plenè & perfectè Ecclesiam tunc fundabat, antequam ex hoc mundo discederet.

Quantum ad promulgationem, manifesta est apud Jacobum disertis verbis dicentem: (b) *Infirmatur*

(a) *Marc. 6. v. 12.* (b) *Jacob. 5.*

firmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittuntur ei.

Qui sunt effectus hujus Sacramenti?

Resp. Effectus hujus Sacramenti à S. Jacobo exprimuntur. Primus est, ad quem ordinatur, ad adjuvandum & confortandum animam ægroti contra difficultates, in mortis articulo occurrentes, & hoc insinuat S. Jacobus dicens: *Alleviabit eum Dominus*, ubi Græca habent, excitabit seu confortabit. Multæ porrò difficultates ac tentationes homini in extremo illo agone occurrent, tunc enim Diabolus omnes suas vires exerit, ut animam hominis tentationibus suis in desperationẽ & æternam damnationem dejiciat.

Manifestum est, quod legitur in vitâ S. Martini, qui cùm ad extrema devenisset, vidit diabolũ, ad quem bonâ conscientiâ dixit: Quid hîc adstas cruenta bestia? nihil in me funestè reperies, Abrahæ me sinus recipiet. In vitâ ipsius Brev. Rom. 11. Nov.

Ad hanc rem vid. sup. quæ dixi Lect. 15. de Stephano quodam Anachoreta. Item Lect. 37. de quodam Religioso ad extrema deducto, &c. Ex quibus patet, quantum extramo illo agone diabolus laboret, ut moribundum in desperationem & mortem æternam præcipitet.

Contra hos omnes angores, arma & vires suppeditat hoc Sacramentum. Allevatur enim, & erigitur ægri animus divinæ bonitatis spe, & confirmatur adversus omnia terriculamenta & trepida-

pidationes ſive à morte, ſive à judicio Dei, ſive à pœnis inferni, ſive à dæmonis inſidiis provenientes.

Secundus effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum, dicente Jacobo: *Si in peccatis ſit, remittuntur ei.* Peccata autem, quæ hîc remittuntur, ſunt venialia, & ea quæ à Theologis vocantur reliquiæ peccatorum. Reliquiæ autem peccatorum etiam dici poſſunt mortalia, quæ poſt ſuſceptum Pœnitentiæ Sacramentum non ſunt confeſſione ſpecialiter manifeſtata, vel quia pœnitens neſciebat eſſe mortalia, vel quia oblivioni erant tradita. Has igitur reliquias peccatorum unctio ſacra delet; unde dicitur: *Si in peccatis ſit, remittuntur ei.*

Tertius effectus hujus Sacramenti eſt ſanitas corporalis, ubi illa ſaluti animæ expedierit, ut Concilia Florentinum & Trident. aſſerunt. Inſinuatur id à D. Jacobo, cùm dicit: *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, quod de ſalvatione non ſolùm animæ, ſed etiam corporis accipi poteſt.

Hic autem effectus non eſt infallibilis ſimpliciter; quia non eſt ſemper homini conveniens ad bonum animæ; quando verò expedit ad ſpirituale animæ bonum, tunc ſemper eam inducere aſſerit communis ſententia Theologorum, & complures experti ſunt.

Quidam circa Lugdunum magno febris æſtu conflictatus inter confitendum de poteſtate mentis exierat; jam de ſalute ſuâ actum eſſe, ſempiternis ſe ſupplicits apud inferos damnatum clamitabat; nullius orationem auribus

auribus admittebat. Sacerdos, qui aures ei dabat, ubi furorem animo ejus obstrepere animadvertit, ad divina auxilia, ubi deessent humana, confugiendum existimavit. Itaq; domesticos monet, ut sacrum oleum, quod æger, priusquam insaniret, postulaverat, celeriter adferendum curarent. Mirum dictu, simul ac sacro ritè inunctus est oleo, mentis sanitatem, paulò post etiam corporis valetudinem recuperavit. Ita in extremæ Unctionis Sacramento extremum salutis auxilium invenit. Ex litt. ann. Societ. Jesu Anno 1599. in Collegio Lugdun.

Quando hoc Sacramentum recipiet infirmus?

Resp. Non est expectandum, donec ultimũ halitum trahat infirmus, ne hoc Sacramento privetur, ut indies contingit, verùm si morbus invalescat, curandum est, ut infirmus hoc Sacramentum petat & inungatur.

Nunquid citiùs hoc Sacramento recepto morietur ægrotus?

Resp. Communis ac pernitiosus est hic error rudiorum, qui hoc suscepto Sacramento de vitâ conclamatum falsò existimant, adeoq; tam diu sæpè differũt, donec damno suo eodem privẽtur.

Hinc refert Nicolaus Dionysius in Gemmâ Prædicantium Tract. 2. destructo p. 2. de viro quodam magni meriti in extremis laborante, qui cùm interrogatus fuisset, num sacro oleo perungi vellet? respondit: Nolite mihi obsecro talia dicere, quia omnes, qui inunguntur, statim moriuntur, *atq; his dictis spiritum reddidit. Cùm autem linteaminibus involvendus esset, ut sepulturæ mandaretur, spiritum resumpsit, &* oculos

oculos aperiens locutus est dicens: Quia extremæ Unctionis Sacramentum salutare abhorrui, centum annis purgatorii ignibus justo Dei judicio torquebor; si autem unctus fuissem, utiq; de hâc ægritudine convaluissem: sacra enim unctio non est mortis acceleratio, sed dilatio. *Sicq; verbis finitis animam exhalavit.*

Quomodo hoc Sacramentum suscipiens debet esse dispositus?

Resp. Qui cum fructu hoc Sacramentum suscipere vult, debet esse in statu gratiæ, qui per contritionem vel confessionem acquiritur.

LECTIO XCV.
De Sacramento Ordinis.

Quid est Ordo?

℟. Est Sacramentum, quo Sacerdotibus aliisq; Ministris Ecclesiæ potestas confertur, ad Ecclesiastica munia ritè obeunda.

Quis instituit hoc Sacramentum?

℟. Christus ipse hoc Sacramentum instituit, ut testatur S. Paulus dicens: (a) *Idoneos fecit ministros novi Testamenti, non literâ, sed Spiritu. Si autem ministratio mortis fuit in gloria, quantò magis ministratio Spiritus erit in gloriâ?*

Quam potestatem Christus dedit Sacerdotibus?

℟. Duplicem dedit. Una est super Corpus suum verum, per quam panem & vinum in Carnem & Sanguinem ejus convertere possunt, quoties

(a) 2. *Cor.* 3. *v.* 6.

ties voluerint, & hanc potestatem Christus dedit in ultimâ cœnâ dicens: (b) *Hoc facite in meam commemorationem.*

Alteram dedit Sacerdotibus super Corpus suum mysticum, id est super fideles eis peccata remittendo, & judicio suo eos subjiciendo. Et hanc dedit post resurrectionem dicens: (c) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Mira profectò Christi Salvatoris & Judicis nostri in hâc utraq; potestate homini concessa benignitas elucet. In primâ quidem, quòd voci hominis obedire paratus sit, ut quoties ille vocem istam virtutis: *Hoc est corpus meum*, pronuntiaverit, sistat se cum corpore immortali, cum gloriâ & divinitate sua sub speciebus panis & vini. In alterâ verò, quòd cùm Pater omne judicium dederit Filio, omnemq; judicandi authoritatem, ipse eam sibi noluerit reservare, sed pluribus communem facere, ostendens indicibilem liberalitatem, dum omnibus eam Sacerdotibus communicet.

Magna igitur excellentia dignitatis, qua ipsos etiam Reges Imperatoresq; superant. Hinc ait S. Martyr Ignatius: (d) *Sacerdotium est summa omnium bonorum, qui in hominibus consistunt.* Et Ambrosius: *Quantum auro plumbum præstat, tantò Regibus dignitate præcellunt Presbyteri.* De honore Sacerdotibus debito vide suprà 4. Præcepto Decal. Lect. 54.

Meritò

(b) *Luc.* 22. (c) *Joann.* 22. (d) *Ep.* 10. *ad Smyrnens.*

Meritò igitur ad Sacerdotium promovendi status hujus altitudinem & dignitatem considerent, ad quem magno cum timore ascendendum est, in quo sunt lucernæ ardentes & lucentes, in quo sibi ardeant, & cæteris luceant, in quo in moribus castæ & sanctæ vitæ integritatem servare debent, ut tantam sibi à Deo concessam potestatem dignè exequantur, ac ne id, quod verbo ædificant, pravæ conversationis exemplo confundant ac destruant, de quo gravissimam Deo sunt reddituri rationem.

Seraphicus Pater noster S. *Franciscus, cùm esset Diaconus, ita afficiebatur erga augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, tantaq; illud reverentia prosequebatur, ut ne indignè celebrando contaminaret, semper hæserit, num eam dignitatem assumeret, licet ab aliis non parùm impelleretur, & adeò urgeretur, ut effugiendi modum ulteriùs non inveniret. Ad arma itaq; spiritualia confugit, hoc est ad orationem, quâ petiit à Domino eâ de re consilium. Quo facto missus est ad eum Angelus cum phialâ lucidissimâ in manu, limpidissimo liquore plenâ, atq; ita dixit :* Vide Francisce, quicunq; vult fieri Sacerdos, & Sacramenta administrare, ita purus esse debeat in animâ sicut liquor iste. *Post quæ verba noluit unquam fieri Sacerdos, qui tantam animæ suæ puritatem non putavit : maximi interim faciens Diaconi dignitatem, quippe ad Sacerdotalem proximè accedit.* Ex libr. 1. Chron. S. Francisci p. 1. c. 41.

Ad quos spectat ordinare Sacerdotes, alio sq; Ecclesiæ Ministros?

R. Or-

℟. Ordinariè ad solos Episcopos, qui per legitimam vocationem ordinati, veri Apostolorũ sunt successores per Spiritum Sanctum eis communicatum â Christo, cujꝰ personam gerunt, cujus virtute eundem Spiritum Sanctum tribuunt per Sacramentum Ordinationis. Unde Hæreticorum ministri non sunt habendi tanquam Ecclesiæ ministri, verùm fugiendi ut fures, latrones, lupi & vulpes; quia ad hoc munus legitimè non sunt ordinati, non enim ad Magistratum Politicum, sed ad veræ Ecclesiæ Episcopos spectat Sacerdotes & Ministros ordinare.

LECTIO XCVI.

De Sacramento Matrimonii.

Quis instituit Matrimonium?

℟. DEus instituit Matrimonium in Paradiso, ut patet ex illo Genes. 2. 18. Christus verò Salvator noster in lege gratiæ illud ad dignitatem Sacramenti elevavit, ut contra Hæreticos definivit Concil. Trid. Sess. 24. can. 1. Et licet Scriptura non exprimat, quando Salvator ad hanc dignitatem elevaverit matrimonium, probabiliter tamen id fecisse dicunt multi Joann. 2. quando nuptias suâ præsentiâ approbavit, & primitiis signorum suorum, publicoque illo miraculo decoravit aquam in vinum convertens, ut significaret aquam carnalis concupiscentiæ (quæ in matrimoniis invaluerat) per gratiam, quam matrimonio superaddebat, vertendam esse in vinum perfectioris & purioris amoris.

Quæ

Quæ gratia datur contrahentibus matrimonium vi hujus Sacramenti?

℟. Dignè contrahentibus matrimonium datur gratia & auxilium supernaturale ac gratuitū ad debitè & sanctè utendum matrimonio, & perpetuò servandam fidem, & amorem conjugalem, ad onera matrimonii sustinenda.

Quæ est causa efficiens matrimonii?

℟. Mutuus consensus conjugum, isq; voluntarius ac liber, expressus per verba vel signa de præsenti. Concil. Florent.

Estne matrimonii vinculum indissolubile?

℟. Ad hoc sciendum est, matrimonium esse duplex, scilicet: Ratum, & Consummatum. Ratum est, quod firmatum est utriusque conjugis consensu de præsenti in facie Ecclesiæ, nec tamē adhuc supervenit copula carnalis. Consummatum est, quando accessit copula carnalis, & opere completum est. Igitur matrimonium ratum, non consummatum, solvi potest per alterutrius ingressum in religionem. Consummatum verò omninò est insolubile, nec solvitur, nisi morte alterius conjugis, ita Trid. Conc. Sess. 24. can. 5. & 7. ex Marci 10. Luc. 16. &c. Gravissimè igitur delinqvunt, qui dimissâ uxore legitimâ aliam ducunt, velut Christus ipse testatur Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mæchatur.*

Quæ dispositio requiritur ad contrahendum matrimonium?

℟. 1. Accedens in matrimonium debet esse in statu

ſtatu gratiæ, quia ſuſcipit verum Sacramentum, quod ad augmentum ſanctificationis pro conjugibus eſt inſtitutum. Indignè ergo cenſetur accedere, qui in ſtatu peccati mortalis exiſtit, effectuiq; illius & benedictioni obicem ponens, novo ſe peccato obſtringit. Præmittenda igitur eſt vel confeſſio, vel contritio, ne injuria fiat ſanctitati Sacramenti conſpurcata conſcientia illud ſuſcipiendo.

2. Accedens ad matrimonium debet habere rectam intentionem finis, ad quem illud eſt inſtitutum, ſcilicet ad procreationem prolis: ut verò ſit meritoria hæc intentio, debet intendi prolis generatio, ut inſtruatur in fide, pietate, & timore Dei, ſicq; benedictionem divinam poſſit participare, & hæres fieri vitæ æternæ. Hanc intentionem Tobiæ inſinuavit Angelus: (a) *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.*

Unde oriuntur infauſta matrimonia?

Reſp. Cauſæ infauſtorum matrimoniorum ſunt variæ.

1. Eſt defectus examinis perſonæ, cum quâ ineundum eſt matrimoniū, dum præcipiti greſſu eidem ſe involvunt, ſolâ conſideratione pulchritudinis corporalis, aut terrenæ commoditatis, non examinatis perſonæ moribus, ingenio, & probitate, hinc multi ſe deceptos inveniunt, dum poſt nuptias diſcunt, quod antea diſcere & inquirere debuerunt. Audi S. Hieronymum:

(a) *Tob. 6.*

(b) *Ple-*

(b) *Plerisq; nulla est uxoris electio, sed qualis obvenerit, habenda: si iracunda, si fatua, si ambitiosa, si fœtida, quodcunq; vitii est post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, mancipia, vestis, urceolus probantur priùs, & sic emuntur; sola uxor non ostenditur, ne antè displiceat, quàm ematur.* Examinanda ergo est, sed non tam oculis, quàm mente; magis enim pulchritudo morum, quàm faciei est ponderanda, satis pulchram invenit, qui bonam invenit, quia præcipua species uxoris in moribus est, teste Ecclesiast. (c) *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.*

Secunda causa est inæqualitas viri & uxoris, unde frequenter à Deo punitur eorum temeritas, qui cùm sint humiles & inopes, cum nobilibus aut divitibus inire matrimonia contendunt, nec considerant illud Poëtæ:

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci;
Tam premitur magno conjuge, nupta minor.

Disparitas enim conditionis invehit dissensiones. Hinc cùm vir est nobilis, uxor tenuis, non tam ab eo regitur quàm opprimitur; aut cùm uxor est nobilis, illustris, aut opulenta, vir autem tenuis, non potest uxorem regere, sed continuò ad minimam dissensionem viro objiciet statum conditionem; quæ verò inde sequantur difficultates, quotidiana docet experientia.

Tertia causa infelicis matrimonii est defectus debitæ orationis, & consulationis cum Deo, cùm tamen hoc negotium ab eo sit requirendum.

(d) *De-*

(b) *Hieron. contra Jovin.* 6, 28. (c) *Eccl.* 26.

d) *Domus*, ait Sapiens, *& divitiæ à parentibus, à Domino autem uxor prudens.*

Quarta causa matrimonii infausti est indispositio, quâ complures post vitam in variis peccatis traductam, absq; confessione aut contritione matrimonii Sacramentum suscipiunt in statu disgratiæ, unde gratiæ Sacramenti auxiliiq; Divini obicem ponunt; adeoq; non mirentur tales conjuges vinum consolationis suis in nuptiis deficere, aut plurima infausta occurrere, quia sine Deo suas nuptias inchoarunt.

Quinta causa infausti matrimonii est mala vita præterita, quæ punitur electione infaustâ conjugii. Quomodo enim possunt sperare felix conjugium, impudicitiis, ebrietatibus, aliisq; peccatis dediti, & salutis incurii? Hi sæpè à Deo puniuntur matrimonio infelici in vindictam suorū peccatorum. Hanc benè consideret lubrica juventus, quæ velut eqvus & mulus, absq; ullo Dei timore, nec vindictæ divinæ consideratione, diu satis ante matrimonium fornicationibus aliisq; impudicitiis quàm graviter Deum irritet, ejusq; auxiliatricem à se manum repellat.

Et quemadmodum ob malam vitam præteritam puniuntur tales, sic ob vitam bonam præteritam boni diriguntur à Deo, ut felicia matrimonia sortiantur. Hoc testatur Ecclesiast. (e) *Pars bona mulier bona, dabitur viro pro actis suis.*

Hujus rei præclarum habemus exemplum in Prato Spirit. c. 201. ubi narrat quidam, quomodo

T felix

(d) *Prov.* 19. (e) *Eccl.* 26.

felix sibi conjugium contigerit ob spem in De[o] collocatam, & eleemosynas in pauperes. Ego, i[n]quit, *fui filius viri clarissimi, & eleemosynis max[ime] deditis. Die quodam vocavit me Pater, & osten[dit] mihi omnes pecunias dicens:* Fili, quid tibi grati[us] est, ut dimittam tibi pecunias istas, an Christu[m] Curatorem tuum? *Ego cùm placerent mihi quæ [fa]ciebat respondi:* me Christum malle, ista enim [o]mnia prætereunt, & hodie sunt, & cras non eri[t]. Christus manet in æternum. *Quod ille cùm audi[s]set, omnia liberè & largâ manu pauperibus distribu[it], ita ut moriens pauca admodum mihi relinqueret. [E]jam pauper effectus humilis procedebam, spem meam [ha]bens in Christum, cui ille me reliquerat. Erat autem [il]lius quidam dives valdè & primarius, habens uxo[rem] fidelem Christo, & timentem Dominũ: habebat a[utem] & filiam unicam. Dixit ergo illa viro suo:* H[anc] solam habemus filiam, tantaq; bona nobis la[rgi]tus est Deus, cujus ergo rei indiget? Si quæ[si]rimus illam dare alicui primario & diviti, [qui] non sit bonis moribus, affliget eam: Quæra[mus] illi virum timentem Deum & humilem, qui d[ili]gat illam. *Qui dixit illi:* Rectè dixisti, perg[e er]go in Ecclesiam, & orationi insiste, qui pri[mus] ingressus fuerit, à Domino illi missus est sp[on]sus. *Fecit igitur ut jusserat vir: cumq; orâsset & [se]deret, ingressus sum ego primus. Mittens illa ser[vum] accersivit me, & interrogavit unde essem? Ego a[utem] dixi:* Ex civitate hâc sum talis. *Dixit autem [mi]hi:* Illiusne Eleemosynarii? *Tunc ait:* Habe[s] uxorem? *dixi* Non. *Et narravi quæ mihi pati[...]*

xerat. Illa verò glorificans Deum: Ecce bonus Curator tuus misit tibi uxorem & pecunias, utaris utrisq; cum timore, *deditq; mihi filiam suam, & ego oro, ut patris mei viam usq; in finem teneam.* Sophron. in prat. spirit. cap. 201.

LECTIO XCVII.

De prævijs Matrimonii interrogationibus.

Quæritur primò à contrahentibus, an votum castitatis emiserint?

RECtè interrogatur de voto castitatis emisso, quod licet matrimonium non irritet, facit tamen illicitum, ita ut post votum contrahens peccat mortalis reatum incurrat, nec debitum possit exigere à conjuge sine Episcopi dispensatione. Meritò igitur hæc interrogatio præmittitur, quia experientia docet, adolescentes quodam pietatis indiscreto fervore ad castitatis vota prosilire, & posteà cùm sit illis mobilis cum ætate animus, conjugii occasione arridente, seculiq; illecebrâ illectante vota negligere, fidem Deo fallere. De his Apostolus: (a) *Habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerũt.* Unde Confessarii similibus consulant, ne hujusmodi vota nisi maturâ præmissâ deliberatione emittant.

Secundò interrogatur: An alteri fidem non dederint? Quia qui sciens & volens alteri fidem dedit, obligatus eidem manet, teneturq; imple-

(a) 1. Tim. 5.

re promiſſum, nec ſine perfidiâ mortali poteſt recedere, niſi in caſibus à jure permiſſis. Interim parvi pendunt cæci juvenes fidem etiam juratam, ſufficit promiſſione matrimonii ad turpia puellas illectare & deflorare, poſteà deſerunt & deſpiciunt cum illarum dedecore & lachrymis parentum: ſicut Ammon cùm violâſſet Thamar deſpexit, *& exoſam eam habuit.* (b)

Sed ex parte puellarum falſa hæc fides non deeſt, quâ illaqueant juvenes ad ſuam ſequelam alliciuntq; ad magnas expenſas fallaci promiſſione. poſteà ſi opulentior occurrat conditio, eam captant non obſtante fide & juramento, ſed non ſine animæ periculo.

Audi exemplum memorabile. *In Saxonia virgo opulenta formoſo juveni ac tenuioris fortunæ matrimonium promiſerat, diriſq; ſe devoverat dicens:* Si alteri nupſero, dæmon me in illis nuptiis abripiat. *Poſt intervallum animum mutans, alteri nubit, non obſtante, quòd prior eam promiſſi & imprecationis admoneret. Ipſo nuptiali die omnibus convivis ad hilaritatem ſe excitantibus, ipſa triſtior fit ſolito urgente conſcientiâ. Tandem duo dæmones ſub ſpecie equitum adveniunt, & in ædes nuptiales menſamq; adducuntur, deinde ad choreas: Uni ex illis honoris cauſa, quaſi extraneo, ſponſa ducenda jungitur; Cum eâ aliquoties tripudiat, deinde in ſublime effert in conſpectu parentum & amicorum, cum eorum ejulatu. Alterâ die amici mœſti ſponſam quærunt, ut fortè delapſam ſepeliant: & ecce iidem occurrunt, veſtes & aurum referentes, dicenteſque:* Non in has res, ſed in ſponſam nobis

(b) 2. *Reg.* 13.

Deo potestas concessa est. Delrio libr. 3. disquis. magic. q. 7. sect. 2.

Requiriturne parentum consensus ad contrahendum matrimonium?

R. Licet matrimonium absque consensu parentum contractum sit validum, ordinariè tamē est grave peccatum, absq; eorum consensu contrahere, ob irreverentiam & injuriam patriæ potestatis: nam parentum est prolibus providere, & consentire in hoc gravi negotio, quam curam Scriptura veteris & novæ Legis delegat parentibus. Hinc Abraham, ubi nubilem Isaac attigit ætatem, mittit fidelem domûs suæ œconomum Eliezer, ut ille despondeat uxorem, & laudatur Isaac, quòd totam hanc curam patri detulerit. (c) E contrà graviter Esau offendit & contristavit parentes, duas sine eorum assensu ducens uxores. Et infeliciter cedere solet filiis hâc in re, in pœnam peccati.

In vitâ S. Basilii M. habetur, quòd Protesii Senatoris filia ab ejus servo per magum decepta, & insano amore correpta instanter rogat, ut possit jungi matrimonio cum illo, qui si consentire noluerit, pro eâ redditurus esset rationem in die judicii. Aut comple, *inquit,* desiderium, aut brevi me extinctam videbis. *Pater, qui filiam hanc Deo consecraverat, immenso mœrore abreptus amicorum consiliis, jussit fieri quod petebat, ne sibi ipsi exitium adferret. Cui Pater:* Vade, *inquit,* misera, multum lugebis aliquando, cùm facti pœnitebit, nec tamen mederi poteris. *Inito igitur conjugio observatum est, servum non ingredi Ecclesiam.*

T3 (c) *Gen. 14.*

nec esse Christianum. Quod ubi intellexit puella hu se prosternit, suis se unguibus discerpit, pectus tundit v ciferans: Nemo parentibus non obediens salv unquam fuit. Quis patri meo annunciabit igno miniam? heu me miseram, in quantam perditi onis voraginem me demersi! cur in lucem edi sum? cur non continuò rapta sum? In vitâ S. Basilii apud Surium Tom. I. 1. Januarii.

Caveant igitur puellæ, ne amore meretrici seducantur, & contra parentum voluntatem in æqualibus aut moribus corruptis nubant, ne infe licem posteà vitam in matrimonio subire cô gantur.

Caveant etiam parentes, ne metu gravi, mini verberibus in electione statûs cum prolibus a gant, nec ad nuptias, commodi temporalis intu itu, cogant quas omninò aversantur. Quæ ind mala sequantur, quotidiana docet experienti.

Caveant quoque, ne ad contrahendum matri monium cogant, quæ statum eligunt castitatis nisi Dei iram vindicem in se velint accersere.

Mirabile juxta ac miserabile est, quod habet S. Hi eronymus de Prætexata nobilissima fœmina, illa inqui viro Hymetio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habi tum ejus cultumq; mutavit, & neglectum crinem mun dano more pexuit, vincere cupiens & virginis proposi tum & matris desiderium: Et ecce tibi eâdem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voc minantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tunc ausa es viri imperium præferre Christo? Tu ca put virginis Dei tuis sacrilegis attrectare mani-

bus,

bus, quæ jam nunc arescent, ut sentias excrucia-ta quid feceris: & finito mense quinto ad inferna duceris, sin autem perseveraveris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis. *Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. Sic ulciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.* Hieron. Ep. ad Lætam.

Caveant deniq; parentes, ne ad castitatem servandam importunè urgeant proles, quæ nubere volunt: Exinde enim in Religione & claustris tot infausta, tot scandala & apostasiæ, quia plures irrepunt non à Deo vocari, sed à parentibus intrusi, ut spem hæreditatis amplioris aliis prolibus parent.

De Sponsalibus, Proclamationibus, & Impedimentis Matrimonii tractare supersedeo, quia passim in Ritualibus & Casuistis reperiuntur, quæ prudens Catechista suis opportunè proponet.

LECTIO XCVIII.

De Amore Conjugali.

Qualis debet esse amor inter Conjuges?

℟. AMor inter Conjuges debet esse perfectus secundùm Deum, quia absque eo, non possunt onera matrimonii, ut decet, tolerari, per illum autem amorem onus fit leve, jugum suave: ad hanc dilectionem Scriptura tam nova quàm antiqua frequenter adhortatur. Audi Sapientem: *In tribus placitum est spiritui*

meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.

Audi & Apostolum in lege nova: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam. Viri diligere debent uxores sicut corpora sua. Qui uxorem diligit, seipsum diligit.* His omnibus triplicem videtur indicare rationem Apostolus dilectionis conjugalis.

Prima est, cùm matrimonium repræsentet unionem & amorem Christi & Ecclesiæ, hinc vir amare debet uxorem ut Christus Ecclesiam, pro quâ sanguinem suum fundere non dubitavit, &c.

Secunda est, cùm vir & mulier sint una caro, & morali quâdam ratione à personâ, & unus homo; quomodo seipsum quis diligit, sibi omne bonum optans & quærens, seipsum fovens, excusans, supportans, ita circa uxorem vir se gerat, & uxor circa virum.

Tertia, quia istud est præceptum Domini in institutione matrimonii, dum decernit, ut etiam relicto patre & matre, vir adhæreat uxori amore perfecto. Ut verò hunc amorem in mulieris formatione designaret, formavit eam de latere, & costâ cordi proximâ, ut cordatè diligeretur tanquam collateralis & socia. Unde advertunt SS. Patres, non esse de pedibus formatam, ne conculcaretur ut inferior & serva; non de capite, ne dominium sibi occuparet ambitiosa: non de oculis, ne nimis foret curiosa; non de renibus, ne existeret carnalis nimis & lubrica; de costâ verò

rò iſta ſub brachio viri detracta eſt, ut ſignificetur, ſub manu & directione eſſe mariti, & ideò non ſolùm debere amare, ſed & revereri maritum.

Hunc amorem Conjuges effectibus demonſtrare debent. Nam *primò*, quicquid alter alteri gratum novit, procurare debet & exequi, ſi licitum eſt, & ſtatui congruum; quicquid autem moleſtum & tædioſum eſt, reſcindere. *Secundò*, debent de ſe mutuò honorificè loqui, defectus ſi qui ſunt, excuſando, & charitatis pallio illos tegendo: unde magnæ imprudentiæ eſt, mulierem per domos diſcurrere, de marito conquæri, quòd turbulentus ſit, ſuſpicioſus, zelotypus, ebrioſus, & prodigus, &c. Nec ſimilia viro de uxore evulgare convenit. *Tertiò*, patientia habenda eſt in rebus turbidis, vix enim matrimonium adeò felix eſt, in quod non quandoq; aliqua diſſenſio irrepat, tunc vel maximè ſeſe exercere debet virtus amoris conjugalis, ſi in charitate ſit fundatus. *Charitas enim patiens eſt, & benigna*. Itaque dum conjux ad iram, rixas & contumelias eſt proclivis, alter haſce moleſtias ſuâ vincet patientiâ.

Dexterrimus hâc in re fuit Socrates, qui cùm diu rixantem in ædibus tuliſſet ſuam Xantippem, tandem feſſus & rixarum pertæſus ante fores conſedit: illa magis irritata quiete viri, de feneſtrâ eum lotio perfudit, qui tamen ideò non erupit in furorem, ſed prætereuntibus riſum moventibus dixit: Facilè divinabam poſt tantum tonitru pluviam ſecuturam.

Idem Alcibiadi interroganti, cur rixosam illam mulierem domo non ejiceret, respondisse fertur : An tu domi non toleras gallinas crebrò glocientes ? Tolero, *inquit Alcibiades*, sed ova mihi pariunt & pullos. Et mihi, *ait Socrates*, mea Xantippe parit filios.

E contrà si lingua viri in clamores, rixas, & convitia solvitur, non clamorem uxor, sed amorem opponat & patientiam, *Responsio mollis frangit iram, durus sermo suscitat furorem.* (a) Idq; vel maximè observet, dum benè potus domum redit maritus, tunc omnem dissimulet amaritudinem, atq; ita rixas & contumelias, & viri ferociam effugiet.

Omnibus conjugiis patientissima S. Monica S. Augustini mater hujus amoris probet exemplum. *Hic, ut S. Augustinus libr. 9. Confess. cap. 9. testatur, tradita viro iracundo, servivit illi veluti Domino, curavitq; eum lucrari, loquens de moribus virtuosis. Ita autem toleravit injurias cubilares, ut nullam hâc de re cum marito haberet simultatem. Licet enim ille irâ fervidus foret, noverat tamen illa non resistere irato viro non tantùm facto, sed nec verbo quidem. Jam verò refracto & quietato cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè inconsideratiùs commotus fuerat. Deniq; cùm matronæ multæ, quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestatam faciem gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam. Hæc autem illarum linguam veluti per jocum gratanter admonebat dicens: quod ex quo illas fabulas, quas matrimoniales vocant,*

(a) Prov. 15. *recita-*

vocitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent. Proinde memores conditionis superbire adversus dominos non oportere. Cumq; mirarentur illæ, scientes quàm ferocem conjugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quòd ille ceciderit uxorem, aut quòd à se invicem vel unum diem domesticaliter dissenserint, cujus rei cùm causam familiariter quærerent aliæ matronæ, docebat illa institutum suum, quod anteà relatum est. Quæ illud observabant, ex parte gratulabantur, quæ non observabant, subjectæ vexabantur. Ita Augustinus.

Quartò debent sibi conjuges in adversis solatium, opem & protectionem præstare. Est enim perfectissima amicitia in conjugio, omni verò tempore diligit, qui verè amicus est. Dicunt olim noviter conjugatis solitum proponi ignem & aquam, ut hæc attingerent, & profiterentur se per adversa quælibet mutuâ ope pertransire debere, quæ per elementa contrariarum qualitatum designabantur. Itaque obligatio mutua amoris poscit à conjugibus, ut alter alterius curam specialem habeat, etiam in quibuscunq; adversis, ita ut teneantur sese exponere alicui periculo pro alterius salute. Exempla conjugalis amoris nec nova, nec antiqua desunt.

Cùm Mithridates Rex, teste Plutarcho, regno omnibusq; dignitatibus privatus existeret, Hypsicratea uxor ejus adeò constanter in amore conjugali perseveravit, ut veluti oblita conditionis muliebris, habitum assumpserit virilem, quo commodius per avia & devia suo adhæreret conjugi: quæ res tantum Mithridatē

causavit solatium, ut unam uxoris fidæ societatem pluris, quam patriæ, divitiarum, omniumq; dignitatum amissionem existimaret. Plutarch. in Pompejo.

Enituit etiam uxorum pietas in maritos: nam cùm Conradus Imperator obsedisset oppidum Winspergam, & armis famèq; deditionem facere coëgerat, mandavitum Cæsar omnes equestris ordinis viros capi, mulieribus abire promissum est cum tantâ sarcinâ bonorum, quantam humeris suis gestare possent. Guelphi uxor, & cæteræ matronæ nobiles, neglectâ supellectili & relictis rebus omnibus, suos maritos humeris impositis exportârunt. Hoc lepido & pleno fidei conjugalis spectaculo adeò delectatus est Imperator, ut omnibus veniam ac libertatem donârit, ac ducem ipsum Guelphum inter amicissimos habuerit. Joannes Nauclerus volum. 2. Anno 1138.

Cùm Eduardus Regis Angliæ primogenitus ad Domini sepulchrum transfretâsset, à Mauro quodam proditoriè gladio venenato est percussus. Cumq; medicorum remediis non tam allevaretur, quàm alligaretur, tandem in Angliam sine salutis spe est reversus. Ejus verò uxor Regis Hispaniæ filia, novam & inauditam, sed amore & pietate plenam adhibuit medelam: plagam enim, quæ veneni vi claudi non poterat, linguâ dietim lingebat sugebatque humorem venenosum sibi liquorem dulcissimum. Sic verò fidei conjugalis virtute omnium veneni materiam attraxit, ut integratis vulnerum cicatricibus, ille planè curatus, illa incolumis evaserit. Rodericus Sancius 1. p. Hist. Hisp. c. 4.

Dominicus Catolusius, vir nobilis & magnus, tanto in uxorem fuit amore, ut cùm illa in lepram incidisset,

essetq;

esset'q; magis illuvies quàm vivum corpus, ille nec aspectus horrore, nec contagii discrimine, nec tetro odore ab ulceribus manante, unquam eam aut mensa aut lecto prohibuit. Conjugalis enim charitas contagii timorem, tetrumq; aspectum & odorem, in securitatem verterat & voluptatem, quod eam juxta Dei verbum eandem secum esse carnem consideraret. Fulgos. libr. 4. c. 6.

Refert Xenophon libr. 3. de institut. Cyri, Cyrum Persarum Regem ex Tigrane Rege Armeniæ cum conjuge suâ capto aliquando quæsisse, quod pro uxoris suæ redemptione lytrum offerret? Cui Tigranes: Integrum, *ait,* regnum, ô Rex, si haberem, quod cùm sors abstulerit, libens sanguinem & vitam dico. *Hoc responso mirificè captus Cyrus ambos libertati & regiæ dignitati restituit. Jamq; solo & solio redditus Tigranes, perquam familiariter sciscitatus est, ecquid de Cyri prudentiâ, deque Regiâ ejus munificentiâ videretur? Num omnem aulæ apparatum propè observâsset? Cui illa:* Ex quo tecum in vinculis fui, ita me devinctam habuisti, ut nunquam oculos aut mentem in alium defixerim, quàm in eum, qui me & sanguinis & vitæ impendio redimere paratus erat. Engelgr. dom. 50. §. 3.

Hæc aliaq; innumera benè considerent conjuges, ne, quacunq; adversitate adventante sua in necessitate deserant conthorales, nec adulterinis amoribus cor implicatum contra fidem in facie Ecclesiæ datam alio divertant, &c.

Hic verò amor talis esse debet, ne propter eundem Dei præceptum violetur, quod si illud periclitetur, magis oportet amare Deum quàm con-

conjugem, juxta illud: (b) *Qui non odit uxorem, non potest meus esse discipulus.* Conjugem plus amát quàm Deum, qui in gratiam ejus blasphemant, odia & discordias contra alios excitant, alios diris devovent, aliaq; peccata perpetrant, ne charam suam conjugem offendant.

Aliter fecit Matrona quædam, teste Eusebio, quæ cùm à marito ad omnis generis luxurias contra naturā invitaretur, divortium fecit.

Saturus Henrici Regis Wandalorum Procurator urgebatur ut Arianus fieret, primò opibus & honoribus, deinde minis & tormentis. Ille omnia contemnit pro confessione veritatis. Adductis uxor liberis ad genua mariti advolvitur, & per omnia sacra obsecrat, ut misereatur sui, & pendentis à lacte filiolæ, aliorumque pignorum, nec committat, ut quos generis nobilitas reddidit claros, servili conditioni subjiciantur, & ipsa turpi matrimonio copuletur Camerarii servo, ad quod urgebatur: Deum haud dubiè respecturum quòd invitus faciat. At is ex Job ei respondet: Tanquam una ex insipientibus mulieribus locuta es. Formidarem ô mulier, si tantum hujus vitæ dulcedo foret amara in earum rerum amissione. Imò si verè maritum diligeres, non conareris eum insidiosis blanditiis in secundæ mortis exitium præcipitare. Age distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates, ego de Domini promissione securus fixum mente tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, propter nomen meum, non potest meus esse discipulus. *Uxor discedit, & ipse spoliatus omnibus, & tormentis debilitatus,*

(b) Luc. 14.

mendicus relinquitur. Victor Uticensis libr. 1. de persec. Wandal.

Hic quoq; conjugalis amor talis esse debet, ne desinat in zelotypiam, quæ oritur ex amore nimis tenero & excessivo, redditq; conjugii vinum insipidum, & prorsus amarum. Hunc amorem excessivum à conjugio removendum sæpè monet Scriptura, illius describens incommoda, Eccl. 29. *Dolor cordis & luctus mulier zelotypa*, quæ scilicet suspicatur aliam mulierem à marito præ se diligi, sibiq; anteferri, ideoq; ei diffidit: *In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans*, Utique talis mulier affligit virum dolore cordis, & sub jugo facit gementem: lingua ejus quasi flagellum strepitum continuò edit, verbis, molestis, quærelis, suspiriis, rixis, convitiis, maledictis virum lacessens, ej9 gressus & gesta omnia suspecta habet, inquieta est & importuna. Unde ex illâ oriuntur gravissima peccata, judicium temerarium, detractio, odia, contumeliæ, &c.

Idem judicium est, quando vir erga uxorem est zelotypus, omni igitur studio curabunt eradicare hoc malũ, ut quietè & tranquillè in conjugio vivant.

Quæ sunt remedia contra hoc vitium?

℟. Pulchrum remedium dat Lactantius: (c) *Exemplo continentiæ*, ait, *docenda est uxor, ut se castè gerat; iniquum est enim, ut exigas quod ipse præstare non possis.* Deinde conjux conjugis actiones suo etiam judicio liberiores in bonam partem interpre-

(c) *Lactant. libr. 6. de verâ relig.*

pretetur, nec facilè aliorum dictis, quantumvis etiam propabilibus credat, sic tandem hoc vitiũ vitabit, vitamq; in conjugio transiget tranquillam. Quantum verò hujusmodi dicta amori noceant conjugali, ex historiâ patet sequenti.

Legitur in Scalâ cœli, quòd cùm quædam vetula iret per viam, juvenis tristis cum bursa plena denariis sedebat juxta arborem; qui interrogatus à vetulâ quid haberet? respondit: Dæmon sum, & affecto summè discordiam ponere inter talem virum, & uxorem suam, quam si excitaveris, dabo tibi hanc pecuniam: *quod ipsa promisit. Accedens igitur ad domum mulieris, affirmabat securè, quòd cum quâdam adulterabat vir suus, & audîsset, quòd tunc ad hoc veniret juvencula, ut reciperet tunicam pro nefario crimine. Tunc accedens ad virum secretè indicavit, quòd uxor sua amorem illicitum habebat cum quodam Clerico Ecclesiæ Cathedralis. Et dum loqueretur, retrò unam columnam me stante in oratione, audivi eos convenientes, quòd in crastino redirent & ordinarent de facto. En vetulæ pessimæ fraudulentia, quod diabolus perficere non potuit, illa in brevi perfecit. Tunc misit juvenculam ad suscipiendum pannũ, quem vetula emerat, quando viro retulerat illa verba. Quod videns uxor suspicata est omne malum. Et dum in cœnâ nollet comedere, vir concepit quod de Clerico cogitaret, & tandem ad procurationem vetulæ Clericus loquitur cum dominâ, quæ locutio viro fuit suspicio mali. Revertitur vetula ad dominam, consilium dat, ut de pilis barbæ cum novaculâ sumat, & postquam eos vir in cibo sumpserit, omnem aliam mulierem odibit. Iterum recedit ad virum*

vetula,

vetula, & dixit, quòd de consilio Clerici per uxorem illâ nocte esset interficiendus, & ideò caveret, ne somno opprimeret eum. Cumq; uxor novaculá vellet accipere de pilis barbæ ejus, vir accipiens manum ejus clamavit. Lumen accenditur, amici congregantur, discordia maxima stabilitur. Quod percipiens dæmon dixit vetulæ: Triginta annis dedi operam, ut hanc discordiam excitarem, & tu diebus tribus perfecisti eam, optimam habes linguam infernalem, & inferno digna es meliùs quàm ego. *Rapuit ergo eam, & portavit secum. Deus autem per discretionem unius Sacerdotis declaravit malitiam, & vir & mulier ad pristinum amorem sunt reducti.* Joann. Junior. Ord. Prædic. Spec. Exempl. verb. *Discordia* Exemp. 10

CAPUT QVINTUM.

De officiis justitiæ Christianæ.

LECTIO XCIX.

Quæ sunt officia justitiæ Christianæ?

℟. HÆc duo: *Declina à malo, & fac bonum,* Psalm. 36. Sicut & Esaias docet: (a) *Quiescite agere perversè, discite benefacere.* Ut autem justitiæ officium utrumq; præstemus, per Christum Jesum Dei gratia nobis parta & promissa, semperq; necessaria est.

A quo malo declinandum est?

Resp. A peccato, quod omnium malorum & maximè fugiendorum maximum est.

Quid

(a) *Esaiæ 1.*

Quid est peccatum?

Resp. Est dictum, factum, vel concupitum contra vel præter legem Dei aut Ecclesiæ. Vel est transgressio Præcepti divini.

Quotuplex est peccatum?

Resp. Triplex: scilicet Originale, Veniale, & Mortale.

Quid est Originale?

Resp. Quod ab ortu nobis congenitum per baptismum in Christo condonatur.

Quid est Veniale?

Resp. Veniale peccatum est, quod charitati divinæ aut proximi non multum contrariatur, sed ex infirmitate, ignorantiâ, aut humanâ miseriâ committitur, cui venia facilè tribuitur, & sine quo ne justi quidem vivunt.

Quid est peccatum mortale?

Resp. Peccatum mortale est, quando homo aliquid facit, quod charitati Dei aut proximi multum contrariatur: vel dum ex liberâ voluntate aliquid in re gravi facit contra præceptum Dei aut Ecclesiæ.

Cur dicitur mortale?

R/. Quia tollit vitam spiritualem seu Dei gratiam, mortemq; affert, quia creatura rationalis regno Dei exclusa igni pœnisq; adducitur æternis: nam *stipendium peccati mors.* (b) Et: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* (c) Item: *Homo per malitiam occidit animam suam.* (d)

Quare

(b) *Rom.* 6. (c) *Ezech.* 18. (d) *Sap.* 16.

Quare peccatum mortale maximè fugiendum?

Resp. 1. Præterquam quod auferat vitam spiritualem, tollit quoq; omne meritum, juxta illud Prophetæ: *Si averterit se justus à justitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerit, non recordabuntur.* (e)

2. Jure & hæreditate filiorum Dei excludit, hoc est, vitâ æternâ. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo,* ajebat Moysi Dominus Deus. (f) Et Apost. (g) *Iniqui regnum Dei non possidebunt.*

3. Peccatum mortale abigit Angelum tutelarem, hominemq; diaboli mancipium facit. *Sicut fumus,* ait S. Basilius, *apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit, multâ lachrymarũ aspergine dignum ac graveolens peccatum.* S. Basilius in Psalm. 33. *An nescitis, quoniam cui exhibebitis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis.* (h) ergo si diabolo obedis peccando, servus ejus es.

Sanctum quendam Edessenum Stylitam ferunt sæpè videre solitum homines suis stipatos Angelis tutelaribus, sed non eodem omnes modo, in gratiâ enim constitutis proximè adstabant boni Genii, qui tanquam fidi viarum duces, lætabundi facem prælucebant; mortali verò obstrictos crimine circumstantium dæmonum constrictos vinculis eminus sequebantur illachrymantes. Aug. Rader. in Virid. S. p. 2. c. 5.

4. Peccatum mortale de novo quodammodo Christum crucifigit. Ita enim de peccatoribus Paulus:

(e) *Ezech.* 18. (f) *Exod.* 32. (g) 1. *Cor.* 6. (h) *Rom.* 6.

Paulus: (i) *Rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes.*

Quo tempore Albigenses Hæretici per Galliam grassabantur, Beatissima Virgo Maria Dei Mater S. Lutgardi vultu apparuit tristi & lachrymoso, & rogata doloris causam, respondit hanc esse, quòd Hæretici improbiq; Christiani sceleribus suis rursus Christum filium suum cruci affigerent. Surius Tom. 3.

S. Birgitta Suevа, auditâ die quodam de Christi cruciatibus concione, nocte insequenti ipse Christus totus sanguine perfusus, eâ specie quâ olim cruci affixus fuerat, visus est, & hæc dicere auditus: intuere vulnera mea. *Ad quod spectaculum Birgitta illachrymans:* Heu, *inquit,* mi Domine, unde tibi modò hæc vulnera? *Cui ille:* Ita me etiamnum vulnerant charitatis meæ contemptores. Surius ex Ribard. 23. Julii.

3. Peccatum mortale tollit omnem animæ decorem, utpote quæ per gratiam Sole splendidior in conspectu Dei relucebat, per peccatum defœdata, horrida, & fœtore plena existit. Optimè S. Bonav. in diæta salutis c. 2. *Sicut putredo aufert pomo decorem, valorem, calorem, odorem & saporem; sic peccatum aufert animæ decorem vitæ, & odorem famæ, valorem gratiæ, & saporem gloriæ.*

S. Antoninus narrat de Angelo, qui Eremitæ cuidam viæ comes, cùm adolescenti elegantissimè compto occurrisset, nares, dum is præteriret, obstruxit, quod ante ad putridum cadaver pertransiens non fecerat; miratus: Eremitæ fassus, plus se fœtoris ex peccatis adolescentis istius persensisse, quàm ipse persensisset Eremita ex

(i) *Hebr. 6.*

ta ex putrido cadavere. S. Anton. 4. parte summæ tit. 14. c. 6. §. 1.

Igitur omnium fugiendorum maximè fugiendum peccatum, quod in tanta mala hominem præcipitat. *Quasi à facie colubri fuge peccatum,* ait Sapiens. (k)

S. Anselmus dicere solebat, æquiori se animo in inferni barathrum, quàm in peccatum detrusum iri. Surius 2. Aprilis.

S. Edmundo tanto horrori peccatum fuit, ut non rarò dixerit, malle se in fornacem ardentissimam, quàm in unum peccatum lethale præcipitare. Surius 16. Novembr. c. 29. ejus vitæ.

Estne peccatum veniale fugiendum?

R/. Est sanè: quod licet leve sit, tamen peccatum est, & Deo Opt. Max. irrogata injuria, quæ si boni rerum æstimatores simus, tanti nobis esse debet, ut eam designare nollemus, etsi omnium hominum hujus & æternæ vitæ salus ageretur. Hoc peccatum gratiam quidem & charitatem Dei non tollit, intensionem tamen & fervorem illius imminuit, & *Spiritum Sanctum,* ut loquitur S. Paulus ad Ephesios cap. 5. *contristat,* conscientiam obtenebrans, & virtutum impediens cursum, ad gravia tandem viam sternit, juxta illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet,* Eccl. 19. *Nam difficile est,* ait S. Hilarius Epist. de initio Quadr. *ut cadere in majora non permittetur, qui minus gravia non veretur.* Contra verò: *Non citò ad majora progreditur, qui etiam parva formidat,* ait S. Hilarius ad Celantiam. Minus rectè igitur faciunt multi, qu

(k) Eccl. 21.

qui à gravioribus quidem noxis sibi cavent, sed de minoribus aut nihil sunt, aut parum etiam in Confessione solliciti: quo errore dæmon multos sensim, & in gravissima quæq; peccata, & in mortem præcipites trahit.

LECTIO C.

De Remediis contra peccata.

Quæ sunt remedia peccatorum?

℟. INter omnia, quæ passim à doctoribus assignantur, potiora sunt hæc. Primum remedium, quod inter cætera principem facilè obtinet locum, est *Timor Domini*, qui teste Sapiente, ejus est efficaciæ, ut hominem à peccato valeat præservare: *Timor Domini expellit peccatum.* Optimè id noverat sanctus ille senior Tobias, hinc filio suo Tobiæ tanquam præsentissimum contra quævis peccata remedium continuò timorem Domini inculcavit, *quem ab infantiâ timere Deum docuit, & recedere ab omni peccato.* Sciebat utiq; probatus ille senex, timorem Dei sive filialem sive servilem esse frænum, quod in suo mortales continet officio: sicu enim eqvus effrænis periculo exponit sessorem in quævis præcipitia labendi; sic homo absq; freno timoris Domini mille peccatorum periculis expositus manet. Unde enim tot mala, tot peccata, tot nefanda & infanda committunt improbi, nisi quia Dei timore carent: disertis id verbis testatur Regius vates, qui cùm gravissima enumerâsset scelera, quæ passim à malis committuntur, horum tandem

dem causam allegat defectum timoris Dei dicens; *Non est timor Dei ante oculos eorum.* E contrà beatum & felicem eum decernit, qui jugem Dei timorem suo in pectore fovet: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.*

Secundum remedium est jugis memoria præsentiæ divinæ, quæ etiam homines potentissimè cohibet, ne in peccata præcipites eant, neve indole Christianâ indignum quid decernant. Quis enim rationis tam expers existat, ut gravius patrare aliquid audeat in Deum & Dominum suum benignissimum, Regem Judicemq́ æquissimum, à quo meminerit coram sua lustrali, & videri opera omnia? qui si velit, possit jubere, sicut non semel factum est, ut dehiscens absorbeat, si quis eum audeat irritare. Quis enim famulus hero inspectante se non diligenter impendit? quis latro coram judice furtivas manus in res alienas injicit? Quare non immeritò nobis tam impensè hanc Dei præsentiam inculcant Scriptura & SS. Patres: *In omnibus viis tuis,* ait Sapiens, (a) *cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Hanc divinæ præsentiæ memoriam tanquam certissimum contra peccata remedium filio suo Tobiæ memoratus Senior etiam ingessit dicens: *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne quando peccato consentias.*

S. Dei Martyr Ignatius Epist. 9. ad Heron. ait: *Memento Dei, & non peccabis.* Clemens Alex. libr. 3. Pædag. cap. 5. *Hâc solùm ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet.*

(a) *Prov.* 3.

met. S. Hieron. libr. 7. c. 21. *Memoria Dei excludit omnia flagitia.* Præsentissimum itaq; contra quævis peccata remedium, S. Scripturâ Sanctisq; Patribus attestantibus, est jugis memoria DEI præsentis & omnia spectantis, quæ in ververfissimis etiam hominibus quandoq; tantum valet, ut à peccatis retrahantur.

Exemplo nobis sit nobilis illa m... trix Tais, quam à meretricio quæstu ad pœnitentiam Pafnutius Abbas hâc viâ compulit, ab eâ enim ad turpe flagitium invitatus Pafnutius metum & trepidationem simulans, vir Dei identidem quærebat, an si congrederentur, eos visurus esset aliquis? Cùm negaret illa, ab ullo se videri, præterquam ab ipso Deo, qui omnia cerneret, omnia sciret: Ergo, *inquit,* illum credis Deum nihil latere, & coram ipso peccare non erubescis, qui tua puniet, & omnium scelera? est enim justissimus. *Subiit meretricis animum tempestiva Pafnutii exprobratio, obortisq; lachrymis illicò ad pœnitentiam conversa, omnia quæ sibi meretricio quæstu paraverat, in foro congesta populo spectante combussit, ejusdemq; Abbatis consilio fœminarum monasterium ingressa, cellæ se inclusit, lugens peccatum suum pane tantùm & aquâ vitam sustentans, ipsumq; Dei nomen proferre non ausa orabat dicens:* Qui plasmasti me, miserere mei. *In tali labore triennio exacto Paulus Antonii discipulus in quiete vidit supra cœlum positum cubile auro gemmisq; refulgens, arte ineffabili ac decore constructum, & cùm rogâsset, an illud Antonio esset paratum? accepit: non Antonio, sed Taidi meretrici,* Flores Exempl. c. 10. tit. 16. Exempl. 7.

Tertium contra peccata remedium est memoria Dominicæ passionis, de hàc vide in Symbolo Fidei Art. 4. Lect. 11.

Quartum remedium est consideratio novissimorum, utpote mortis, judicii, inferni, & cœlestis gloriæ. Remedium hoc nobis à Spiritu Sancto proponitur: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis, &c.* (b)

Quis enim gravibus Deum delictis irritare audebit, qui ne quidem unico temporis momento de vitâ securus, propediem se formidat moriturum, rationemq; seriosissimam admissorum cogitat redditurum. Quamobrem quod S. Bernardus (c) ad Monasticæ vitæ normam Religiosum informans dicit, id Christianus quisque in omni opere suo dicat sibi ipsi, *si modò moriturus esses, faceres istud.*

Quia adeò desperatæ salutis existit, ut memor horrendi inferorum barathri, ignisq; æterni peccatis decreti, præcepta Dei transgredi non vereatur, qui ob momentaneam voluptatē in æternas inferni pœnas se præcipitare non timeat.

Quis deniq; adeò insanus, ut æternas cœli delicias (quas fides certa post hanc vitam justis paratas credit) unius turpis ac fugientis voluptatis vanitate commutare non perhorrescat? *Nonne insanum Lysimachum Thraciæ Regem omnes proclamamus? qui coactus ob ingentem sitim, pro aquæ scypho se regnumq; suum hostibus tradere, qui epotâ aquâ ita exclamâsse dicitur: Deus immortalis! quæ hæc mea infe-*

U

(b) *Eccl. 7.* (c) *in Spec. Monach.*

infelicitas? qui me vendidi totumq; regnum meum t illo corporis oblectamento! Plutarch. in Apophth. Regum. Nunquid igitur magis insanus ille, q sæpè reculâ viliori unâ turpi cogitatione, ve uno aut opere animam suam & regnum æterni uno temporis momento profundit? *In omnibus peribus tuis memorare novissima tua, & in æterni non peccabis.* (d) Plura hâc de re admodum p clara vide in Pannario Joannis Busæi, & Pædag go Christ. c. 8. §. 8. & 9. (d) *Eccl.* 7.

LECTIO CI.

De septem peccatis Capitalibu

Quæ sunt peccata Capitalia?

℞. HÆc septem: Superbia, Avaritia, Luxu Invidia, Gula, Ira, & Acedia.

Cur hæc vocantur capitalia?

℞. Quia ex illis, tanquam ex capitibus fontibus, reliqua ferè omnia peccata emanan

Sunt semper hæc peccata mortalia?

† Resp. Nequaquam, quædam enim non s mortalia, nisi gravitas materiæ adsit.

Quid est superbia?

℞. Superbia est appetitus inordinatus p priæ excellentiæ, quo homo se super id quod extollit, superiores aut æquales non partitur. lias habet præcipuas inobedientiam, jactanti hypocrisin, contentionem, pertinaciam, dis diam, curiositatem, præsumptionem, ambi nem, &c.

Cur superbia vocatur regina vitiorum?

Resp. Quia pleraq; peccata ex superbiâ originem trahunt, dicitur enim Tobiæ 4. *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* S. August. in Psalm. 18. ait: *Magnum hoc delictum est, & caput & causa omnium delictorum.*

Oditne Deus superbos?

℟. Odit vel maximè; *Odibilis coram Deo est & hominibus superbia,* ait Ecclesiasticus cap. 10. & 1. Petr. 5. & Jac. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (a) Superbia Luciferum Angelorum pulcherrimum de cœlo ad æterna inferorum tormenta præcipitavit. [b] Nabuchodonosorem instar bestiæ septem annis ad brutorum animantium pascua abjecit.

Circa annum 1370. vesperi post Completorium visi sunt Neapoli in quodam Cœnobio multi Religiosi mensæ longo ordine accumbentes, quos cùm Prior domûs in virtute Venerabilis Sacramenti, quod manibus gerebat, jussisset dicere qui essent, respondit unus, qui cæteris præesse videbatur, se omnes fuisse istius Ordinis Religiosos, & maximâ parte Doctores, Baccalaureos, Priores, Suppriores, Lectores, jamq; ob ambitionem & superbiam damnatos esse, quo dicto, diductis tunicis ardere visi sunt, & evanuerunt. Anton. Senensis in Chron. Ord. Frat. Prædicat.

Quando per superbiam ejusq; species homo peccat mortaliter?

℟. Primò per superbiam homo peccat mortaliter, si ita excellere appetat, ut Deo, Superio-

(a) *Isa.* 14. (b) *Dan.* 4.

ribus, eorumq; legibus subjici nolit. Item qui cum notabili aliorum despectu plus justo se extollit, complacendo in aliorum abjectione, vel ut Pharisæus. 2. Per jactantiam peccat mortaliter, qui se jactat de peccato mortali, aut qui alium vituperat ob pusillanimitatē, v. g. vindictam non sumptam, fornicationem [cùm occasio adfuerit] non commissam, &c. 3. Per hypocrisin peccat mortaliter, qui vult videri sanctus, & non curat habere sanctitatem, & vult esse malus, tales fuerunt, de quibus Christus sæpè in Evangelio: *Væ vobis hypocritæ.* 4. Per contentionem, discordiam & pertinaciam peccant mortaliter, qui scienter impugnat veritatem, dum vergit in Dei injuriam, & damnum notabile proximi: vel qui ad ostentandum suum judicium in propriâ persevera sententiâ, & pertinax est in rebus fidei ac morum, contra communem Doctorum sententiam & Ecclesiæ authoritatem, præsertim dum est notabile damnum proximi, &c. 5. Per præsumptionem peccat, qui præsumit exercere officium quod nescit, dum ex hoc sequitur Dei irreverentia, aut notabile damnum proximi spirituale, vel corporale.

Quæ virtus opponitur superbiæ?

Resp. Humilitas, quæ juxta D. Bernardum *est virtus, quâ homo verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescit.*

Estne humilitas Deo grata?

R. Sicut Deo odibilis est superbia, sic è contra gratissima Deo virtus est humilitas, quam

ta

ta sacra Scriptura & Salvator mirè commendat: (c) *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* It. (d) *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* S. Bernard. ait: (e) *Sine humilitate audèo dicere, nec virginitas Mariæ Deo placuisset.* Quàm verò Deo grata sit humilitas, seq. patet exempl.

Quidam Eremita cùm infirmaretur ad mortem quamprimum misit ad monasterium propinquum, rogās Abbatem, ut aliquem de Fratribus cum Sacramento Altaris ad se destinaret pro viatico suscipiendo, quod Abbas fecit. Cumq́. Frater Sacramentum deferens per sylvam transiret, nolamque ut moris est pulsaret Clericus, latro quidam ibi latitans advenit, ut videret, quidnam esset; cùm verò rem intellexisset, secutus est usq́. ad Cellam Eremitæ, mansitq́. foris, indignum se reputans sancti viri domum ingredi. Cùm ergo Eremita confessione prævia communicâsset, latro stans propè januam cum humilitate cordis in hæc verba erupit: O si essem talis, qualis es tu. *Audiens hoc Eremita, mente inflari cœpit, & dicere:* Tu verò meritò hoc optare deberes, ut talis fores, qualis ego. *Completo ministerio Monachus ad monasterium suum redit comitante Clerico, cumq́. secutus est latro magnâ cordis contritione, ut ei confiteretur in monasterio, sed prævenit eum Deus, & in viâ mortuus est. Moritur pariter Eremita in eâdem horâ. Nocte porro sequenti revelatum est eidem Fratri, Angelos animam latronis in cœlum deduxisse ob humilitatem & propositum confitendi, unà cum vehe-*

(c) *Matth.* 11. (d) *Matth.* 18. (e) *homil. super missus est.*

menti contritione de peccatis commissis; Dæmones verò *animam Eremitæ in infernum deduxisse propter* superbiam *& elationem mentis suæ.* Guil. Peral. sum. vitiorum Spec. Exempl. verb. *Superbia* n.

Cùm F. Pacificus esset in comitatu S. Francisci, & unà cum ipso in quadam Ecclesia deserta ferventi oratio nis *affectu, in extasi factus, videt inter multas in cœlo se* des *unam præ cæteris digniorem, pretiosis lapidibus, & omni gloriâ refulgentem. Miratus intra se præ* fulgentiam *throni, anxia cœpit cogitatione requirere,* *quis ad illum deberet assumi? Audivit inter hanc vo*cem *dicentem sibi:* Sedes ista unius de Angelis ru entibus fuit, & nunc humili servatur Francisco. *Cumq; iter cœptum prosequerentur, rogavit F. Paci* ficus *Franciscum, quid de se sentiret? respondit humi* *mè vir Dei:* videor mihi maximus peccatorum. *Cùm verò Frater ille diceret, impossibile illi esse hoc* *conscientia dicere, nisi cum injuriâ divinæ gratiæ; re* *spondit S. Franciscus:* Si quantumlibet sceleratum hominem tantâ fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè multò magis quàm e Deo gratiorem fore illum, solertiusque divinæ gratiæ cooperaturum, & ideò miserrimus sum omnium peccatorum. *Ex hoc responso Frater ille* *agnovit veram sibi ostensam visionem.* S. Bonaventura in vitâ S. Francisci c. 6.

LECTIO CII.
De Avaritiâ.

Quid est avaritia?

℟. EST inordinatus appetitus temporalium. Filias habet plurimas, quæ sunt: Proditio, fraus, perjurium, inquietudo, violentia, immisericordia seu inhumanitas, & cordis durities.

Omnisne avaritia est peccatum mortale?

℟. Nequaquam, avaritia enim ex genere suo est venialis; cùm verò eo excrescit, ut ejus causâ Deum graviter offendas, ejusq; leges prævaricari non cures, ac ea, quæ sunt salutis, negligas, fit mortalis. Et hæc est, quam tantopere Sacra Scriptura, & SS. Patres persequvuntur.

S. Paulus vocat *Idolorum servitutem radicem malorum omnium.* Sic enim ait: (a) *Hoc scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Dei* Sapiens ait: (b) *Avaro nihil est scelestius.* Et: *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam.* Causam dedit: *Hic enim & animam suam venalem habet,* scilicet diabolo, pro terræ pugillo jus vitæ æternæ oppignorat.

S. Bonaventura avarum porco comparat, qui non nisi mortuus utilis est aliis: avarus enim, quæ sibi soli in vitâ collegerat, in morte aliis relinquit, animam diabolo, corpus vermibus, opes amicis.

Summè igitur fugienda est avaritia, quia multorum origo malorum.

Quæ mala oriuntur ex avaritiâ?

℟. Imprimis homo avaritiæ deditus fit immisericors

(a) *ad Ephes.* 5. (b) *Eccl.* 10.

sericors erga pauperes, quam immisericordiam Deus summè execratur, dicetq; hujusmodi avaris, quia pauperibus non subveniunt, in extremi judicii die: *Discedite à me maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare* &c. Tales autem immisericordes à Deo non exaudientur.

Exemplum habemus de avaro illo, qui pauperum gemitus & clamores vivus ferre non poterat; nam quoties in vitâ functi exequiis verba illa: Dominus vobiscum, *dicebantur, toties vidit Episcopus Crucifixum adauctis manibus aures occludere, ut etiam in hoc verum fieret quod dixit Sapiens:* Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Pædagog. Christ. p. 2. c. 25. §. 4. de Eleemosyn.

Quæ præterea mala oriuntur ex avaritiâ?

Resp. Oriuntur propè infinita, ut inquietudo, neglectus divinorum, & propriæ salutis, fraudulentia, mendacium, perjurium, oppressio pauperum, fraudatio decimarum, furta, rapinæ, simonia, proditio, homicidia, &c.

Terribile exemplum legitur de duobus conjugibus, qui ob avaritiam proprium filium [nescii quòd esset filius] occiderunt.

Polonus quidam multis annis domo paternâ abfuerat castra secutus, unde tandem in patriam se benè nummatus recepit. Non procul urbe suâ aberat, cùm à muliere quadam, quæ negotiorum causâ rus egressa occurrerat, sciscitatur an superstes talis esset, (communem utriusq; parentem appellat;) vivit, *inquit mulier,* valet-

quæ

que, & ipsius ego sum filia. *Hic ille non diu quis & ipse esset, dissimulans :* Bene vertat, *ait,* & ego ipsius sum filius, ac tuus frater, idq; ut credas, en signum in brachio à naturâ impressum, & domesticis dudum notum. *Quo agnito ruit illa in fratris amplexus, felicem reditum gratulata, iret porrò ad parentes, qui illum nihilo magis essent agnitum : dum peracto ipsa foris negotio posterâ luce eo redisset uti majori, ita jucundiori otio fruitura. Venit ergo ad ædes paternas bonus ille, nec agnoscitur, hospitium petit, datur ut peregrino ; erat enim hospitium publicum. Cænatur unà jucundè. Post cænam, antequam concederent cubitum, sarcinulam profert ignotus filius nummis aureis gravem, & parentibus servandam tradit : dein ad quietem in cubile se recipit. Miseri illi parentes cæcâ avaritiâ, ut deposito apud se auro frui possent, mortem hospitis sui sed filii animo destinant. Ipsaq; adeò mater viro fœmina audientior impias armata manus in cubile infert, & altè dormientem jugulat ; tum cadaver ambo humi condunt. His ita gestis adfuit primo mane fratris desiderio flagrans filia, & : ubi, inquit,* frater ? *Mirati parentes ecquid puella vellet ? ita, inquit,* frater meus, ajo, qui mihi heri non procul urbe tali occurrit habitu, staturâ tali à vobis minimè agnoscendus, ni exhibito natalitio signo proderet, & dixit rectà ad domum paternam perrecturum. *Exhorruerunt ad hæc facti conscientia miserandi parentes, & facti sibi ob immane facinus intolerabiles vindices, in se manus convertunt, ac pater quidem nocte insequente è publico urbis patibulo seipsum suspendit. Mater autem eodem cultro, quo filii fauces pridie*

inciderat, sibi etiam ipsa præcidit. 15. Maji Anno 1618.

Quid non mortalia cogis pectora
Auri sacra fames?

Quæ est virtus avaritiæ opposita?

R. Est *Liberalitas*, quæ juxta S. Thom. [c] *est virtus benè dispensandi divitias in usus bonos sibi suis, & aliis.* Debet autem liberalitas, ut virtus dicatur suis, vestiri debitis circumstantiis, nec enim satis erogare, sed videndum est cui, quid, qualiter, quando, ubi, & quare dandum sit,

Quàm verò Deo grata sit hæc virtus, patet in illustri exemplo S. Nicolai Episcopi, *qui cùm cognovisset, quòd civis quidam egens tres filias jam nubiles in matrimonio collocare non possit, sed earum pudicitiam prostituere cogitarit: ille re cognitâ, nocte per fenestram tantum pecuniæ in domum ejus injecit, quantum unius virginis doti satis esse. Quod cùm iterum & tertiò fecisset, tres illæ virgines honestis viris in matrimonium datæ sunt. Sed tandem in tertiâ vice deprehensus est à cive illo excubante, & vigilantissimè observante, ut agnoscere posset benefactorem suum, illiq; gratias agere. Ad pedes ergo ejus cùm nocturnis in tenebris fugientem ipsum insecutus fuisset & assecutus humillimè procidit, lachrymis illos rigans, hisque verbis eum alloquens:* Quare ô vir sancte humili agnitione testari valeam, quâ erga te tenear obligatione? verè tu refugium meum, qui animam meam ac filiarum mearum eripuisti de portis inferni, corporaque earum ab infami contaminatione & pro-

stitu-

(c) B. Thom. 2. 2. qu. 17. a. 1.

ſtitutione. Verè per te Deus ſuſcitavit à terrâ inopem, & de ſtercore erexit pauperem. *Indoluit autem vir ſanctus, qui coram Deo, non coram hominibus liberalitatis ſuæ opus exercebat: obſecravitq; illum, ut nemini hâc de re verba faceret, ſeq; in compenſam bonæ voluntatis illius, quam teſtabatur, hoc accepturum. Verùm voluit Deus, ut hæc tanta charitas & humilitas S. Nicolai toti Eccleſiæ totiq; orbi pateſceret in exemplum, illo prædicante qui tantum acceperat ab illâ charitate beneficium. Unde quamdiu Eccleſia orbisq; durabit, celebre erit hoc liberalitatis opus eximium, verificabiturq; illud de ipſo:* Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. Surius in ejus vitâ.

Eſtne prodigalitas peccatum?

Reſp. Prodigalitas, quæ opponitur avaritiæ, & conſiſtit in defectu conſervandi, & exceſſu erogandi, eſt ex genere ſuo venialis. Levior quàm avaritia, quia minus abit à virtute liberalitatis. Interim mortalis ſit, ſi liberis & uxori pauperiem crees; ſi impotentem te reddes ad ſolvenda debita; ſi profundas bona Eccleſiaſtica piis uſibus deſtinata.

LECTIO CIII.

De Luxuriâ.

Quid eſt luxuria?

℟. EST impuræ ac libidinoſæ voluptatis inordinatus appetitus. Greg. l. 31. moral. c. 3.

Quale peccatum eſt luxuria?

Reſp. Ex genere ſuo eſt peccatum mortale.

Quomodo verò cogitatione, verbo, & opere peccato luxuriæ delinquatur, vide suprà in sexto Præcepto Decalogi, Lect. 58. & seq.

Quæ sunt filiæ luxuriæ?

Resp. Filiæ luxuriæ, quæ eam plerumq; sequuntur, sunt sequentes:

1. Cæcitas mentis, cùm quis adeò est addictus turpitudini, ut de cœlestibus non cogitet.

2. Præcipitatio, quâ quis ex eâdem causâ sine consilio operatur.

3. Inconsideratio, quando in modo delinquit inconsideratè agens, quæ statum vel personam dedecent.

4. Inconstantia, quando quis ex eodem affectu voluptatum à piis propositis mox deficit.

5. Amor sui, talis enim homo ob voluptates seipsum finem suarum actionum facit, non Deū.

6. Odium Dei: lascivus enim solet à rebus divinis abhorrere, imò ab ipso Deo, tanquam peccatorum vindice.

7. Affectus præsentis seculi, amor enim voluptatum carnalium ita animum afficit, ut subinde etiam beatitudini æternæ paratus esset renunciare, si præsentibus frui semper permitteretur.

8. Horror futuri seculi, quando voluptatibus immersus, mortem inordinatè timet, & de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare studet.

Cur fugienda luxuria?

R. 1. Quia homini præsertim Christiano gravissima advehit mala. Sanctus noster Bonaven-

tu

tura luxuriam comparat gehennæ, (d) *quia sicut in hâc tria sunt specialiter, scilicet ignis ardens, vermis rodens & sulphur fœtens: sic in illâ est ignis concupiscentiæ, vermis, scilicet remorsus conscientiæ, & sulphur infamis. Et ideò qui est in peccato luxuriæ, jam quodammodo est in supplicio gehennæ.*

2. Gravissimè Deum offendit luxuria, ideoq; gravissimè propter eam mortales punire solet; [e] Mundum enim universum eluvione extinxit, [f] Sodomam & Gomorrham, totamq; circumjacentem regionem cum incolis igne cœlesti exussit, [g] Hemor & Sichem ejus Parens cum omnibus Sichemi incolis ob raptum Dinæ in ore gladii perierunt, [h] Castissimæ Paræ septem turpes mariti ab Asmodæo strangulantur, [i] Ex Hebræis viginti quatuor millia ob turpem cum cæteris nationibus commixtionem interfecta sunt.

3. Excludit à regno Dei. (k) *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Neq; fornicarii, neque adulteri, neq; molles, &c. regnum Dei possidebunt.*

4. Hominem facillimè dejicit in desperationem, præsertim dum pravâ consuetudine retinetur, horrendum exemplum vide sup. in præcept. Decal. Lect. 59. & Flores Exempl. c, 6. tit. 15. Exempl. 4. & 5.

5. Luxuria reddit hominem Deo, Angelis, & Sanctis abominabilem. *B. Raymundus S. Catharinæ*

[d] *Bonav. in dict. Sal. tit.* 1. c. 9. [e] *Gen.* 7. [f] *Gen.* 19. [g] *Gen.* 34. [h] *Tob.* 3. [i] *Num.* 1. [k] 1. *Cor.* 6.

rinæ à confessionibus testatur, beatam hanc virginem, quot turpi hâc labe infectos sciret, Deo sæpè id revelante, ob fœtorem nec tolerare potuisse, nec nisi obturatis naribus illis colloqui. Surius 20. Jan.

Sancto Euthimio quondam à viro quodam sibi obvio, qui solâ cogitatione turpe qui versabat, tantus fœtor afflatus est, ut se à dæmone possessum putaret. Pædagog. Christ. p. 1. cap. 7. §. 3.

6. Tanta est turpis peccati hujus execrandi turpitudo, ut ipsi etiam dæmones illud abominentur.

Refert Thomas Cantipr. qui testis hæc scribit: Mihi inquit, per plures annos in Episcopatu Cameracensi vices gerenti Episcopi in confessionibus audiendis, quædam mulier cum maximo mœrore & pudore confessa est, se assuefactam scelere pollutionis in lecto lascivisse, dæmonemq́; inter se & parietem cum cacchino clamantem audisse: fi, fi, fi, quæ vox rei indignitatem significabat. Confusa igitur hâc voce mulier, eâdem horâ cucurrit ad me, & beneficio absolutionis accepto, pœnitentiam etiam ultra quam statui, amarissimam egit. Cantip. l. 2. ap. c. 30. §. 3.

Sed & aliam (inquit idem author) *per idem ferè tempus audivi, quæ cum multis lachrymis mihi confessa est, se consimilis vitiis polluentem, audivisse vocem dæmonis sibi dicentem: age misera, age quod agis, benè tibi solvetur in proximo quod nunc facis. Nec multò post, ubi mulier confessa est, & à peccato resiliit, ex timore maximo mortem incurrit, & quod hic per pœnitentiam non explevit, in purgatorio diris pœnis exsolvit.* Ib. §. 4.

Cur luxuria vocatur peccatum mortale?

Resp. Quia omnis generis gravia peccata ex eâ oriuntur; ut homicidia, desperatio, magia, &c. Fusiùs de hoc vitio vide in præcepto sexto Decalog.

LECTIO CIV.

De remediis contra luxuriam.

Quæ sunt remedia contra luxuriam?

℟. PRimum remedium est, considerare vilitatem hujus vitii, simul & fœditatem, ob quã nomen ei attribuitur turpitudinis.

2. *Remedium est*, considerare brevitatem luxuriosæ voluptatis, & pœnæ quæ eam consequitur, perpetuitatem. Hinc verum est illud: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.*

3. *Remedium est*, consideratio indignitatis in homine Christiano; illa siquidem fœda voluptas fœdè corrumpit imaginem Dei, violat templum vivum Spiritus Sancti, quod est corpus humanum in baptismo consecratum, & unctum, pretio sanguinis Jesu Christi emptum & sanctificatum; iterum in Confirmatione sacro chrismate perfusum, deinde toties in Ecclesia puritatis authori conjunctũ, & demum æternitatis gloriâ donandum, &c.

4. *Remedium*, consideratio efficax remorsûs conscientiæ voluptatem hanc consequentis, qui tanquam furia infernalis iniqvum reddit jugiter animum.

5. *Remedium*, consideratio novissimorum; *nihil*

enim,

enim, teste Gregorio, (a) *ad edomandum desideriorum carnalium appetitum sic valet, quam unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset.* Idem docent alii SS. Patres.

Thomas Cantip. tale narrat exemplum. *Novi sanctum virum M. Guidonem Presbyterum monialium Nivellensium, de quo certissimè ferebatur, quod cùm in Schonegio Hannoniæ oppido scholas regeret, adolescentiautè semel fœminam contemplatus, per annos tres etiam ipsa mortua in tantum tentatus est, ut excepto eo quod vigilans sustinebat, omni nocte in somnis crederet esse præsentem. Sentiens ergo Diabolum circa se non cessare, de nocte clam tumulum mortuæ mulieris aperuit, naresq; & faciem in cœno putrefacti corporis tam diu tenuit, ut penè fœtore nimio suffocatus quasi mortuus caderet resupinus, quæ res in tantum valuit viro sancto, ut nullum posteà stimulum in carne sentiret.* Cantipr. l. 2. ap. cap. 3.

6. *Remedium est*, fervens oratio cum verâ fide & humilitate conjuncta, oratio enim mentem à carnalibus desideriis abstrahit ad cœlestia transferens.

7. *Rimedium est.* memoria continua præsentiæ Dei tanquam judicis severissimi te spectantis. De quâ vide sup. Lect. 100.

8. *Remedium est*, otii detestatio, *Otiositas*, inquit Ecclesiasticus, (b) *multam malitiam docuit :* Unde Ezechiel exponens causas peccati Sodomorum, quod erat luxuriæ, (c) *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.* 9. Re-

(a) *Greg.* 16. *moral. c.* 51. (b) *Eccl.* 33. (c) *Ezech.* 6.

9. *Remedium est*, custodia sensuum, maximè visûs & tactus. Hoc remedium præscripsit Christus apud Matthæum: (d) *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum; & si manus tua scandalizat te, abscide eam.* Hinc S. Greg. in verba Job. Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: *Cùm*, inquit, *sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, sed per quinque corporis sensus, quasi per fenestras interiora respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait: Ascendit mors per fenestras nostras, mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis, &c. Ut ergo sanctus Job cogitationes cordis castè servare potuisset, fœdus cum oculis pepegit, ne priùs incautè aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci.* Quantum verò neglectus hujus custodiæ sensuum noceat, in Evâ, Davide, Samsone, Salomone, Holoferne, duobus senibus apud Danielem, &c. & quotidiana docet experientia.

10. *Remedium est*, castigatio corporis, per jejunia, vigilias, flagellationes, aliaq; id genus semper à Sanctis omnibus usurpata, exemplo Apostoli scribentis: (e) *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, &c.* Hoc antidotum teste B. Gregorio Nazianz. usurpavit S. Justina, cùm à Cypriano Mago pelliceretur ad libidinem, (f) *jejunii*

[d] *Matth.* 5. [e] 1. *Cor.* 9. [f] *Nazianz. de laud. S. Cypr.*

nii atq; humicubationis, inquit, *sese communivit pharmaco, ut formæ venustatem tanquam insidiosam obscuraret, sicq; flammæ materiam subtraheret, ac libidinis f-cem absumeret, &c.*

Hoc remedio usus S. Benedictus, cui cùm malignus spiritus, teste B. Gregorio, *speciem fœminæ, quam aliquando viderat, objecisset, tantoq; libidinis igne animum ejus accendisset, ut penè de deserendâ eremo deliberaret, abjectis illicò vestibus, nudum se in urticas & vepres abjecit, & tam diu in illis se volutavit, donec per cutis vulnera,* inquit Gregorius, *eduxisset vulnus mentis. Ex quo tempore sicut ipse post discipulis perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, ut tale aliquid deinceps minimè in se sentiret,* Gregor. lib. 2. Dial. cap. 2.

S. Patriarcha noster Franciscus, teste Bonaventurâ in ejus vitâ, *circa conversionis suæ primordia, tempore hyemali in foveam glacie plenam seipsum plerumq; mergebat, ut domesticum suum hostem perfectè subigeret. Aliàs verò apud eremum de Sarthiano nocte orationi vacantem dæmon cum tentatione libidinis accendere cœpisset, chordâ se verberavit fortissimè dicens:* Eja frater asine, sic te decet manere, sic subire flagella: *cellam deinde egressus in medias nives se abjecit, quâ pœnâ sic ardorem extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minimè senserit.* S. Bonav. cap. 5. ejus vitæ.

Plura hâc de re vide in Panario Busæi, verb. *Luxuria.*

LECTIO

LECTIO CV.

De Invidiâ.

Quid est invidia?

R. Est tristitia de bono alterius, & odium alienæ felicitatis, respectu Superiorum, quia eis non æquantur, respectu inferiorum, ne sibi æquentur; & respectu parium, quia sibi æquantur.

Quæ sunt filiæ invidiæ?

Resp. Filiæ invidiæ sunt, susurratio, detractio, in adversis aliorum rebus exultatio, in prosperis afflictio, quæ ex genere suo sunt mortales, sicut & ipsa invidia, nisi parvitas materiæ & indeliberatio excuset.

Cur invidia vocatur peccatum capitale?

R. Quia ex illâ omnis generis gravia peccata proficiscuntur, ut homicidia, judicia temeraria, contentiones, calumniæ, conspirationes, contemptus, convitia, pravæ interpretationes, improperia, &c. Ideò nullum est peccatum, quod sacræ paginæ Sanctiq; Patres acriùs ac sæpiùs insectentur. Sapientissimus Salomon invidos diabolo similes facit: (a) *Invidiâ diaboli*, inquit, *mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* S. Cyprianus: (b) *Invidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum,* &c.

Estne ergo invidia grave peccatum?

R. Est sanè diabolicum, per quod filii diaboli à

(a) *Sap. 2.* (b) *Serm. de Zelo & Livore.*

li à filiis Dei discernuntur: sicut enim filii Dei humilitate & charitate, sic filii diaboli invidiâ & superbiâ agnoscuntur.

Cui potissimùm nocet invidia?

Resp. Licet persæpè invidia noceat proximo, potissimùm tamen nocet invido, qui dum proximi bonū contemplatur, cor summè affligit, propriamq; lædit conscientiam. *Invidia sibi primum nocet, primum auctorem suum mordet, menti officit, & quasi pestis depascit, animum urit*, inquit Isidor. (c)

Hinc veteres optimo schemate invidiam descripserunt. Pinxerunt enim mulierem annosam macie & pallore confectam, oculos habentem lividos & dolentes, cor suum edentem, & simul carnes vipereas, ambulantem etiam & innitentē spinoso baculo, manum puncturis lacerante. Per hanc picturam optimè vitam infelicissimam invidorum proposuerunt.

Pingitur autem invidia ut fœmina, quia infirmi animi vitium est, & maximè regnat in fœminis. 1. Annosa est, quia ab initio seculi ætas ejus. 2. Describitur carnes vipereas manducans, quia cùm invidus ob prosperos successus alterius tristetur, virulentis pascitur cogitationibus in suam perniciem; & sicut vipera non nascitur nisi arrosis matris lateribus, sic livor primò afficit, & quasi enecat eum, in quo gignitur. Linguam enim vipereo veneno infectam gerit invidꝰ, semper eorum quibus invidet famam detractatione inficere paratus. 3. Depingitur cor proprium edens, quia tristitia de bono alterius cor proprium

(c) 2. *Soliloq.*

um corrodit, & mirè affligit. 4. Depingitur invidia habens oculos obſcuros, lividos & dolentes, quia illa mentis oculum confundit, rectumque judicium obnubilat. 5. Innititur baculo ſpinoſo, quia invidus, unde ſe fulcire deberet, pungitur, & baculo haud ſe ſuſtentat, quia nihil in ſe habet invidia, quod delectet.

Theageni quadringentis laureis nobiliſſimo athletæ erecta erat pro meritis ſtatua, quam gloriam fortiſſimo viro invidens quidam, poſt ejus obitum, cùm aliud non poſſet, ipſam ſtatuam aggreditur, virgis cædit; quod cùm pluribus noctibus feciſſet, ipſius tandem ſtatuæ ruina opprimitur. Parentes ut filii mortem vindicarent, ipſam ſtatuam in mare projiciunt. Verùm tanti ſceleris vindex Numen, immiſſa in Thaſianos peſte non ante placatum, quàm ſtatuam ex aquis eductam loco ſuo ac debitis honoribus reſtituiſſent. Pædagog. Chriſt. p. 1. c. 7. §. 5.

Lugduni contigit, ut honeſtæ & nobilis matronæ conjux ab aliâ item nobili turpiter amaretur; eumq; ille ſummâ pace & amore cum optimâ uxore à pluribus annis viveret, iſta legitimis caſtisq; invidens amoribus, ut concordes horum conjugum animos divideret, uxoris caſtiſſimæ fidem apud maritum in ſuſpicionem tam veriſimilibus vocavit indiciis, ut innocens domo exturbata, & inhumanis à conjuge habita non priùs in gratiam redierit, quàm multis poſt annis tanti mali incentrix juſto Dei judicio graviſſimo, Medicisq; incognito afflicta morbo, cui nulla uſpiam inveniretur medicina, in morte quidem (mori enim non poterat) memor, quantam perniciem quietiſſimo conjugio attulerat, convocatos

conjuges veniam rogavit, fassa palam à se per summam calumniam invidiamq́; conficta esse omnia, quibus san-ctum inter illos casti thori amorem impiè detraxisset. Quibus dictis animam efflavit. Ex Valladier con. serm. 2. post Dom. Pass. Pædagog. Christ.

Quæ sunt remedia invidiæ?

℟. Primum remedium est considerare perniciem hujus mali, quod hominem in varia impellit mala, reumq́; constituit æternæ damnationis. S. Chrysost. ad pop. Antioch. (d) *Fugiamus invidiæ pestem, non enim licet evadere ignem diabolo paratum ab hoc malo non liberatos.*

2. Remedium est humilitas. Invidia enim est comes superbiæ. *Quia superbiæ comes est invidentia,* ait August. (e) *fieri non potest, ut superbus non invideat.* Quare nullo antidoto efficaciùs tollitur invidia, quàm quo superbia; superbia enim cedit humilitatis imperio. Hoc remedio Christus [f] sanavit invidiam exortam inter suos discipulos, ut observavit B. Cyprian. de zelo & livore.

3. Remedium est charitas fraterna, qui enim proximum verè diligit, de ejus quoq́; bono delectatur, nec ullatenus ei invidet, quod testatur Apostolus dicens: [g] *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati,* &c.

LECTIO

[d] *Hom. 53.* [e] *Aug. in Ps. 50.* [f] *Matth. 20.* [g] *1. Cor. 13.*

LECTIO CVI.
De Gula & Ebrietate.

Quid est gula?

℟. EST inordinatus affectus cibi & potûs. Filias habet ineptam lætitiam, multiloquium scurrilitatem, spurcitiam, sensuum & intellectus habetudinem.

Cur gula vocatur vitium capitale?

Resp. Quia est mater aliorum vitiorum.

Quomodo quis peccat per gulam?

Resp. 1. Dum quis lautiores quærit cibos ex merâ voluptate. 2. Dum nimis accuratè præparat cibos diversis coquendi modis. 3. Cùm quis in quantitate cibi aut potûs excedit, & sumit plus quàm sustentationi naturæ sit necessarium. 4. Dum quis nimis avidè vel ardenter cibum sumit. 5. Quando hora debita prævenitur non necessitate, sed voluptate, suntq; hæ quinq; species gulæ peccata duntaxat venialia.

Quando quis peccat mortaliter per gulam?

Resp. Dum quis gulâ motus deliberatè aliquod præceptum divinum transgreditur, vel ponit in eâ ultimum finem, vel ordinat in finem mortaliter malum, vel scienter dirigit in grave damnum animæ vel corporis. 2. Dum quis per nimium potum se inebriat.

Estne ebrietas peccatum mortale?

℟. Est sanè si sit perfecta. Est autem perfecta, quando quis advertenter nimio potu se rationis usu privat: nam in sacris literis ebrietas illis

lis adjungitur peccatis, quæ à regno Dei exclu-dunt: *neq; ebriosi regnum Dei possidebunt.* [a] Ratio autem est, quia censetur Dei injurium, ejus ima-ginem sic deturpare, & instar amentis & bruti in propriis sordibus volutari.

Estne peccatum mortale, si quis per nimium potum ex-cesserit, nec tamen totaliter privatus sit ratione?

R. Si quis post potum discernere adhuc pos-sit inter bonum & malum, licet nonnihil phan-tasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua t-rubet, pedes vacillent, oculi cernant duplici-vel domus gyrari videatur, sicut nondum est ple-na ebrietas, sic neq; peccatum mortale perpetra-tum censebitur, ita ex Laym Marchantius & alii.

Erit autem peccatum mortale nimio potui in-dulgere, licet ebrietas perfecta non sequatur ca-sibus sequentibus.

Primò, si qui magnam diei partem & noctis poculis epotandis insumant: non curantes, an e-brietas sequatur nec ne. *Deinde*, à peccato mor-tali excusatos non putaverim eos, qui fortit-bibendo concertant, quis tandem victor evadat; ii enim manifesto periculo ebrietatis se expo-nunt. Hisce Spiritus S. per Isaiam [b] denunci-iram Dei: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* *Tertiò*, haud dubiè graviter peccant helluones isti, qui conti-nuò hærent in popinis, & qui sæpè *uno die*, ut [c] Ambro

[a] 1. *Cor.* 6. [b] *Isa.* 5. [c] *Ambr. de Heliâ &* *Jejunio.*

Ambrosius ait, *multorum dierum labores bibunt*, miserâ uxore & liberis fame & siti pereuntibus. *Quartò*, qui per frequentem compotationem advertenter graviter nocent sanitati. *Quintò*, qui per immoderatum potum notabiliter se reddunt ad functiones, ad quas sub mortali obligatur, &c.

Quando ebrietas non est mortalis?

Resp. 1. Si quis nesciat potum esse immoderatum & inebrietate potentem, ut si quis calore æstuans ignoret vini potentiam, non advertendo inebrietur. 2. Quando quis percipit quidem potum esse immoderatum, non tamen putet se inebriandum, ac postmodum in auram egressus, ventoque turbatus perdit rationem, si hoc non prævidit, culpâ vacat.

Estne mortale alium inebriare?

Resp. Est sanè gravissimum peccatum provocare ad æquales haustus cum intentione proximum inebriandi, quia talis malo cooperatur, quod perinde est ac malum perpetrare. Unde Augustinus: [d] *Si te & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum.* Deploranda igitur multis lachrymis pessima consuetudo in nostrâ potissimùm Germaniâ, ubi pax non concluditur, nisi ebrietate firmetur, ubi amicus humaniter tractatus non censetur, nisi planè inebriatus velut bestia in stratum fuerit deportatus; ubi demum posterâ die id sibi honori ducunt, & in gloriam trahunt, eòque jactantius triumphant, quò brutis animantibus similiorem fe-

(d) *August. serm. 231. de Temp.*

cerunt amicum. Sed, heu! tales amici, si dicendi sunt amici, dum amicum inebriârunt, suam & ipsius animam lethali jaculo confoderunt. De quibus cum S. Augustino [e] non sine lachrymis exclamare meritò possemus: *O infelicitas generis humani! quàm multi inveniuntur qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet, cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare. Similes viro diviti, qui epulabatur quotidie splendidè, ad cujus januam jacebat mendicus Lazarus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa ejus, & nemo illi dabat.*

Contra quæ præcepta peccant ebriosi?

Resp. Ebrii seu ebrietatibus dediti contra omnia peccant præcepta; nam primò contra primum & secundum præceptum peccant, quia Deum non curant, solentq; Deum blasphemare & jurare. Peccant contra tertium, quia festos dies & officia divina solent negligere. Contra quartum, quia juvenes ebriosi parentibus sunt inobedientes, & viri uxoribus rebelles. Contra quintum, quia rixas & homicidia solent excitare. Contra sextum, quia in libidines & turpiloquia solent esse proclives. Contra septimum, quia aliena sæpè consumunt, & debitis se onerant. Contra octavum, quia solent detractionibus inter pocula vacare. Peccant tandem contra nonum & decimum, quia alienas uxores sæpè, & res alienas concupiscunt.

Summè igitur homini maximè Christiano fugien-

(e) *August. serm. 291. de Temp.*

gienda ebrietas, ne in tot corporis animiq́; mala præceps ruat, fiatq́; dæmonum præda & ludibriũ.

Memorabile est, quod habetur in vitis Patrũ. *Quidam ex illis gravissimè continuis tentationibus divexatus mœrebat, & inconsolabiliter suam plangebat sortem. Tandem dixit ei dæmon, se liberum eum demissurum, & ab omni posteà tentatione immunem futurum, si unum ex tribus peccatis, ebrietate, adulterio, vel homicidio patrare decerneret. Ille seductus fallaci hâc promissione elegit ebrietatem, tanquam minus inter cætera malum. Verùm quid contigit? cùm temulentus foret, cum quâdam muliere in adulterium lapsus est, nec ibi flagitii terminus. Viro enim superveniente, & facinus subodorante, ne fortè illud ipse vindicaret, etiam & virum aggressus trucidavit. Ita qui simplex, & minus cæteris malum eligere visus est, triplici se scelere abominabili contaminatum agnovit.* In vitis Patrum.

In Galliâ duo erant in tabernâ, & bibebant, cumq́; caluissent mero, invectus est sermo, quod futurum sit post hanc vitam. Tunc unus: Vanissimè decipimur à Clericis, qui dicunt animas sine corporibus vivere post ruinam. *Hoc dicto omnibus in risum concitatis, advenit homo staturâ magnus & fortis, & residens cum illis vinum postulat, bibit, quæritq́; quis inter eos sit sermo?* De animabus, *inquit ille qui suprà,* si quis meam vellet emere, optimo pretio darem eam, & de pretio in communi ad bibendũ omnibus. *Tunc cachinnantibus cunctis, ille qui supervenerat:* talem, *inquit,* mercatorem quæro, paratus sum eam emere. Dicito quanti dabis? *Et ille elato vultu:* Tanti, *inquit. Mox convenientibus eis in*

pretio, solvit emptor statim pecuniam, & lætantibus omnibus pleno calice, non curante quicquam illo quòd animam suam vendidisset: Vespere autem facto, tempus est, inquit emptor, ut quisq; nostrûm ad propria revertatur. Vis tamen antequam separemur forte judicium: Si quis eqvum emerit capistro alligatum, nunquid cum equo in jus ementis cederet & capistrum? *Cui omnes pariter responderunt,* utique cederet. *Nec mora venditorem, quæstionis & responsionis horrore trementem, emptor cum animâ & corpore videntibus cunctis sursum elevavit in aëra, & secum, ut certum est, ad inferna protraxit, diabolus enim erat in hominis specie.* Cantip. lib. 2. ap. c. 5.

Plura vide in Speculo Exempl. & alibi passim, quæ brevitatis amore adducere supersedeo.

LECTIO CVII.

Remedia contra Gulam & Ebrietatem.

Quæ sunt remedia contra gulam & ebrietatem?

Resp. PRimum remedium est, considerare quid Spiritus S. in Sacris Scripturis dixerit contra ebrietatem, 1. enim monet ut fugiamus: [a] *Attendite vobis ne forte graventur corpora vestra in crapulâ & ebrietate.* 2. Denunciat per eam provocari iram Dei, sic enim loquitur apud Isaiam: [b] *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem consectandam, & potando usq; ad vesperam, ut vino æstuetis,* Et: *Væ qui potentes estis ad bibendum*

(a) *Luc.* 21. (b) *Isai.* 5. v. 11. & 12.

bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. 3. Docet per eam amitti felicitatem æternam. Clarè enim Apostolus ad Galatas scribit: (c) *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, &c. dissensiones, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Item ad Corinthios: (d) *Nolite errare, neque fornicarii, neque fures, neque avari, neque ebriosi, &c. regnum Dei possidebunt.*

Secundum remedium est, considerare exempla eorum, quibus malè cessit gula & ebrietas. Noë [e] siquidem vino captus infamem in modum nudatus, & filio ludibrio fuit. Loth [f] vino temulentus duplici incestu commaculatur. Holofernes (g) jacens in lecto nimiâ ebrietate sopitus, à muliere capite truncatur. Balthasari (h) Babyloniorum Regi inter pocula duobus digitis mortis sententia in objecto pariete divinitùs scribitur, & eâdem nocte vitâ simul & regno privatur. Dives ille, (i) qui epulabatur quotidie splendidæ, mortuus est, & sepultus est in inferno.

Recentius est, quod Michaël ab Isselt scribit accidisse anno 1595. *Baccharach,* inquit, *oppidum est in ipsa Rheni ripâ inter Confluentiam & Moguntiam situm, ubi potator quidam Dominicâ Quadragesimæ ad popinam properabat, exactæ septimanæ ex labore quæstum lusu & commessatione decocturus. Ubi cùm potaret, luderetque aleis, & omnem improbitatem exerceret, uxor*

(c) *Gal.* 5. (d) 1. *Cor.* 6. (e) *Gen.* 9. (f) *Gen.* 19. (g) *Judith.* 12. (h) *Dan.* 5. (i) *Luc.* 16.

illius partui vicina eum secuta admonuit, ut ab istâ impietate abstineret; sed homo impius non tantùm monitricis verba contempsit, sed eam miserè percutiens præcepit cum suo vivo dæmone, quem utero gereret, domum concederet, si non pareat, se gladium suum capulo tenus in ventrem illius impacturum. Illa verò: Eja mi vir, egone vivum gero dæmonem? Esto igitur, *nec plura locuta domum reversa est, maritum inter combibones aleatoresq; relinquens. Cùm domum venisset, mulier dolores partûs sensit, & terribile hoc monstrum omnibus horrorem incutiens peperit, quod umbelico tenus hominem, cætera serpentem referebat, cum caudâ tribus ulnis longa. Vespere maritus pleno ventre redux, vix pedem in cubiculum tulerat, cùm monstrum illud hominem ferociter invadens, ita caudâ implicat, ac pungit, ut eo ipso loco concideret mortuus. Marito mortuo puerpera quoq; extincta est, & tandem insania monstrum vivere desiit.* Michaël ab Isselt libr. 12. in Mercur. Gallo-Belgico anno 1595.

Tertium remedium est, considerare indignitatem, præsertim in homine Christiano, tam absurdo se vitio commaculare, & tam voluntariâ insaniâ reddere se jumentis insipientibus similem, neglecto rationis honore, quo Angelis Deoque ipsi similis effectus est. Unde Chrysostomus: [k] *Ebrietas sues ex hominibus facit:* ubi præterea demonstrat, ebriosum jumentis deteriorẽ, cùm illa ultra necessitatem non bibant, licet mille invitentur modis, aut etiam verberibus adigantur.

Quæ

(k) *Hom. 58. in Matth.*

Quartum remedium est, considerare mala, quæ ex ebrietate proveniunt. Nam 1. Per eam etiam Deus graviter offenditur, ut dictum est. 2. Per eam homo graviter nocet sanitati. 3. In varia hominem impellit peccata, utpote in detractiones, blasphemias, maledictiones, convitia, rixas, & homicidia, &c. 4. Inducit hominem ad impudicitias, luxurias, fornicationes, adulteria, incestus, & alia multa, unde *naufragium castitatis* rectè appellatur.

Quintum remedium est, considerare pœnarum acerbitatem, & sitis æternæ ardorem, quam in inferno patientur ebriosi. Testis est dives epulo, [l] qui epulabatur quotidie splendidè, qui mortuus sepultus est in inferno, ubi aquæ guttam petiit, nec impetrabit in æternum. Potus verò ebriosorum in inferno erit sulphur, pix, & ignis, cibus vero bufones & serpentes, quod sequens docet historia.

Potator quidam Judicis officium agens, habebat uxorem valdè piam, quæ Deum quotidie precabatur, ut à potatione maritum avocaret, & ad cor reduceret. Eleemosynis hunc in finem datis pauperibus adhibebat etiam precatores. Accidit verò cum nocte quâdam temulentum redire, & per cœmiterium transire, ibi casu in lapidem impingens in maledicta contra Deum & Virginem erupit. Mox verò apparuit ei imago cujusdam mortui terribili specie. Ille nihil pavidus interrogat quis esset? Respondetur ei: quod ego, tu eris. *At ipse vino animatus subjungit:* Quisquis es veni mecum, te ad cænam invito. *Responsum iterum est:* Vade,

(l) *Luc.* 16.

mox

mox sequar. *Cùm domum appulisset, rem secum plenius conferens timore quodam percellitur, aperitq́ uxori, quod gestum fuerat, se quendam invitâsse non admittendum, ideoq́ ostia & fenestras omnes claudi jubet. Paulò post cùm mensæ assideret cogitabundus, venit invitatus pulsans fores, cùmque non intromitteretur, iterum & tanto fragore pulsat, ut tota domus contremisceret, & ostia omnia spontaneè sese reserarent, ait ergo intrans:* En adsum quem invitâsti, tecum mihi comedendum est. *Fugiunt omnes, deseritur ipse trepidus. Iterum verò invitatus ad illum:* Tu invitâsti me, nec fercula apponis? ego te ad cænam meam reinvito, fercula mea videbis, tertiâ die venies & comitaberis: *sic disparuit. Sequenti die totus tremulus omnium peccatorum confessione conscientiam expurgat, expectatque diem & horam condictam. Illo die raptus est in locum, ubi vidit omnia genera potatorum, & mensam serpentibus sub hanc pice & igne refertam, dixitq́ ei invitans:* In cænâ meâ comede nunc & bibe, potum sume cibumque appositum. *Cumq́ ipse hæreret, & horreret quasi emortuus præ timore, reductus est in locum suum, totus canus & decrepitus factus. Ex hâc visione ad mentem rediit, ut postea gravissimam cum lachrymis pœnitentiam egerit.* Godscalcus Holen. Ord. S. Aug. Concionator serm. 101. p. æst.

LECTIO CVIII.

De Ira.

Quid est ira?

℞. EST commotio animi, cupiens se ulcisci in alio, sive verbo, sive facto.

Pro responsione sciendum est, iram esse triplicem: nam 1. est ira bona & tolerabilis, quam nobis commendat Psalmista: (a) *Irascimini, & nolite peccare,* quam tunc quis habet contra proximum, quando irascitur non quidem contra personam ejus, sed magis ex amore & zelo ob ejus peccata, ut corrigatur. Sic meritoriè parentes filiis, Domini servis & ancillis, Præceptores discipulis, Superiores subditis irascuntur ad eorum correctionem. Ideò ait Ecclesiasticus: (b) *Melior est ira risu, quia per tristitiam corrigitur animus delinquentis.* Et vitiosum esse potest, quandoque non irasci. Sic Heli graviter arguitur, & celeri morte punitur, eò quòd non irasceretur filiis suis discolis (c) vitiisq; eorum publicis & privatis.

2. Est ira venialis, dum quis leviter proximo irascitur, subitaneè ita corripitur, & inconsideratè, & dum cessat ira, nemini nec verbis, nec operibus nocere cupit, nec odium in corde gerit.

3. Est & ira mala, vituperabilis, & maledicta, dum quis ex irâ cupit se vindicare graviter contra proximum, adeoq; contra eum odium fovet, nolens ei condonare injuriam, sed malum pro malo reddere desiderans. Hæc ira peccatum est mortale, & à Christo prohibita in Evangelio: (d) *Matth. 5. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Verba sunt veritatis.

Cur ira fugienda?

Resp. Primò quidem, quia ira omne sacrifici-

(a) *Psalm. 4.* (b) *Eccl. 7.* (c) *1. Reg. 3.* (d) *Matth. 5.*

um, jejunia, eleemosynas, orationes, aliaq; bona opera irrita reddit, & nulla, quod Christus (e) clarè testatur: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, &c. vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Ratio est, quia talis non est in charitate, & sine charitate nihil Deo potest esse acceptum, teste Apostolo Paulo: (f) *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ideò nec sacrificium Cain (g) Deo placuit, quia iram fovebat in corde.

2. Quia diabolus in corde irâ succenso libenter habitat. Hinc S. Paulus (h) nos sedulò hortatur, ut fugiamus iram, ne locum demus diabolo, nec Deus apud eum manere potest, quem inhabitat ira.

3. Quia hominem ratione privat, adeòque excæcat, ut nec videre bonum possit, nec operari. Patet, quia videmus iracundum sæpè in amicissimos quosq; desævire, ac Deum ipsum blasphemiis lacessere.

4. Ira summoperè fugienda, quia in gravissima mala hominem impellit, ideoq; & vitium appellatur capitale: Unde enim tot odia, discordiæ, crudelitates, minæ, contumeliæ, maledictiones, voces blasphemæ, homicidia, &c. nisi ex irâ originem trahunt? quod sequentibus patet exemplis.

Vir quidam agricola in agro occupatus, alligandis

mani-

(e) *Matth.* 5. (f) 1. *Cor.* 13. (g) *Gen.* 4. (h) *ad Ephes.* 4.

manipulis filium miserat, qui nescio quid domo afferret: moratus est diutius aliquanto patris expectatione filius, quare cùm rediisset, ita in eum irâ accensus est pater, ut primò obviam glebam arripiens in puerum conjecerit, & occiderit. Hic primùm versâ in dolorem irâ, deinde dolori desperatione succedente, miserabilis pater tecto manipulis filii cadavere domum abiit, ingressusq; horreum, collo laqueum induit: quod cùm uxori, quæ à recenti partu balneabat, hærente ad ubera infantulo indicaretur, & illa horrore subitò correpta è balneo exiliens ad horreum festinaret, proles in tantâ perturbatione neglecta, balnei aquis suffocata est. Igitur cùm à mariti suspendio mulier tristis rediret, & hîc infantem quoq; extinctum inveniret, desperabunda ad horreum revertitur, clausisq; ostiis se ex eâdem infelici trabe, quâ etiamnum conjux pendebat, suspendit. Pædag. Christ. p. 1. c. 7. §. 7. Ecce quot ex unius impotentis viri irâ mala nata sunt?

Hoc vitium adeò pernitiosum est, ut quandoque morte proximi non satietur, sed eò usq; progreditur, ut ei salutem quoque ademptam velit. Horrendum est quod sequitur.

Quidam irâ quasi furiâ agitatus cùm in hostem incidisset, pedibus tenebat diu prostratum, quasi deliberando, quânam viâ furori & odio concepto satisfacere posset. Tandem verò urget, ut Deum abneget, alioquin mucrone jam jugulo incumbente, se confessurum eum asserit, spem autem evadendi ei dabat, si modò abnegaret: Hærebat ille sub mucrone trepidus, & mortem horrebat imminentem, quam sperans evadere, & peccatum postmodum pœnitentiâ diluere, in Dei abnegationem ore

sacrilego prorupit. Verùm id malo suo irrevocabili. Mox enim eum alter perfodit, ubi abnegationem extorsit, hancque adjecit consolationem sathanicam: Jam tandem satiabor, jam in eo me solabor, quòd tibi non solùm corporis, sed & animæ æternam peremerim salutem. *O infernalis ira!* Jacob. Marchant. qui id ævo suo contigisse affirmat.

5. Denique ira fugienda est, quia iracundus propriæ nocet sanitati, quod in propatulo est, testatur Ecclesiast. (i) *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.*

Wenceslaus VI. Imperator, dum ob leve verbum pugionem evaginat, & stringit in Pincernam suum, eum confossurus, incidit in paralysin, & terræ alliditur, indeq; brevi extinguitur. Auctor. Fabri Dom. 21. post Pent. c. 1.

Quæ sunt filiæ iræ?

℟. Filiæ iræ partim sunt in corde, ut indignatio, & tumor mentis; partim in ore, ut clamor, blasphemia, contumelia, maledictio; partim in opere, ut rixæ, pugnæ, seditiones, vulnera, &c.

Indignatio, quæ est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet se indignè à tali tractari, communiter est venialis, possit tamen esse mortalis, si ad deliberatum odium & contemptum personæ excrescat. *Tumor mentis*, quo quis diversas vias vindictæ morosè excogitat, quale peccatum sit, judicandum est ex qualitate vindictæ, quæ excogitatur. *Clamor*, cùm iratus extollit vocem, multa inordinatè & confusè effundens, est venialis

(i) *Eccl.* 30.

alis communiter. *Blasphemia* est mortalis, de quâ suprà. *Contumelia*, quâ quis proximo malum aliquod objicit: cum intentione illum inhonorandi, est ex genere suo mortalis. *Maledictio*, quâ quis optat & imprecatur alteri malum, sub ratione mali, est ex genere suo mortale peccatum. *Rixæ*, si modum non excedant, uti & leviculæ pugnæ, veniales sunt, secus si sint graves, & ad cædes & vulnera progrediantur.

Quæ sunt remedia contra iram?

℟. Inter cætera est consideratio efficax malorum ex irâ provenientium, ut ex præcedentibus patet. Item, meditatio remunerationis, Christianæ patientiæ, quàm verè mitis & patiens Salvator mitibus repromisit, asseverans beatos: (k) *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: & Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

(k) *Matth. 5.*

LECTIO CIX.

De Acedia.

Quid est acedia?

Resp. ACedia est remissi animi languor ad benè operandum, præsertim verò tristitia de re spirituali.

Quando acedia est peccatum mortale?

Resp. Quando ea motus quis omittit necessaria ad salutem animæ aut corporis, aut deducitur in aliquod mortale, ut desperationem; vel deliberatè appetit mortem ex tali tristitiâ, vel optat esse bestia.

Cur acedia vocatur peccatum capitale?

℟. Quia gravia peccata solet generare, ut dilationem pœnitentiæ, odium Dei, desperationem, omnium rerum spiritualium aversionem.

Quæ sunt filiæ acediæ?

Resp. Inter complures sunt hæ præcipuæ: Tepiditas, Pusillanimitas, Somnolentia, Otiositas, Indevotio, Incuria, Ignavia, Tædium vitæ, Diffidentia.

Cur hoc vitium summè fugiendum?

Resp. 1. Quia gratiam Dei incidit, tantamq; affert nostri apud Deum nauseam, ut nobis verè dicere possit, quod olim Episcopo Laodiceæ: (a) *Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neq; calidus: utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiã te evomere ex ore meo.*

2. Hominem maledictionibus replet: (b) *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.*

3. Affert mentis corporisq; egestatem, juxta illud Sapientis: (c) *Qui sectatur otium, replebitur egestate.*

4. Animum in omne vitium pronum facit: (d) *Multam malitiam docuit otiositas.* Et quæ major malitia quàm Sodomitarum; hanc autem eorum acediæ adscribit Propheta: (e) *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ejus, & filiarum ejus.*

Sanctus Antoninus die quâdam in urbe Florentinâ viâ Ambrosianâ incedens, vidit domus cujusdam tecto Ange-

(a) *Apoc.* 3. (b) *Jer.* 48. (c) *Prov.* 28. (d) *Eccl.* 33. (e) *Ezech.* 16.

Angelos insidentes: miratus quid in domo illâ ageretur accessit, ingressusque, viduam, ac tres ejus filias invenit nudis pedibus, lacero vestitu colum trahentes. Antistes tantam inopiam miseratus, miseras largâ stipe donavit. Qui post aliquot tempus eâdem transiens, cùm pro Angelis dæmones videret, ingressusq; percunctaretur, quid rerum gereretur? intellexit, aliud mali nihil ab illis esse actum, quàm quòd depositâ colu tempus otio fallerent, seq; impensiùs comendo hominum favorem amoremq; aucuparentur. Vinc. Main in vitâ S. Antonini apud Surium 2. Maji.

Virgo quædam à S. Brigidâ invitata, cùm mensæ assideret, S. Brigida dæmonem illi propè assidentem vidit. Ait autem virgo: Vellem & ego, modò posset fieri, videre illum. Non est istud, *ait Brigida,* impossibile, sed priùs oculos consigna tuos, ut ejus aspectum ferre queas. *Illa signo Crucis munit oculos, vidit Sathanam teterrimâ specie immani, & vasto capite, & per foramina & rimas omnes capitis flammas fumosq; erumpentes. Tum Brigida:* Loquere nobis dæmon. *At ille:* Non possum, *inquit,* tibi loqui sancta Virgo, nec tamen tua jussa contemnere, quandoquidem tu præcepta Dei non contemnis, & pauperibus & infimis quibusque affabilem te præbes. Cur verò, *ait S. Brigida,* huc accessisti? Apud virginem hanc, *inquit,* demorandi mihi, & spatium & opportunitatem præstat ejus desidia & torpor: *atq; illâ die liberata est virgo ab illo nequam spiritu.* In vitâ S. Birg. apud Sur. Tom. 1. c. 6. 1. Febr.

Qua

Quæ sunt remedia contra acediam?

℟. 1. Remedium considerandum hoc tempus esse nobis concessum, ut operemur bonum, & ita reddendam esse ratione͂ de tempore, sicut de verbo otioso. *Hinc de quodam devoto legitur, qui quoties audiebat horologium sonare, secum dicebat:* O Domine Deus, jam iterum unam horam temporis vitæ meæ consumpsi, de quâ tibi sum redditurus rationem, quomodo expenderim. Nullum enim à te est mihi impensum tempus, cujus mihi non sit reddenda ratio. Petrus Binsfeldius de pecc. capital. c. 12.

2. Remedium contra acediam est considerare maledictiones, quas Deus intentat acediosis. (f) *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter,* sanè maledictus acediosus, qui nec in vitâ nec in morte vitâ æternâ dignum quicquam egerit, qui ideò tanquam arida & infructuosa arbor in æternas inferorum flammas sit projiciendus. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* (g)

(f) *Jer.* 48. (g) *Matth.* 7.

LECTIO CX.

De peccatis alienis.

Suntne præter hæc alia peccata?

℟. SUnt utique, eaq; in triplici differentiâ, alia enim sunt peccata aliena, alia in Spiritum Sanctum, alia in cœlũ clamantia.

Quæ peccata sunt aliena?

℟. Ea, quæ ab aliis quidem committuntur, nobis

nobis autem diversis modis imputantur, nostrasque conscientias damnant coram Deo. Quamobrem de his accipi potest, quod Scriptura imperat: (a) *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et quod orat Propheta Regius: (b) *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.*

Quot sunt peccata aliena?

℟. Novem, sicut novem ferè modis committuntur, utpote Consilio, Jussione, Consensu, Irritatione, Laudatione seu Adulatione, Reticentia culpæ alienæ, Conniventia vel Indulgentia, rei alienæ Participatione, & prava facti alieni Defensione.

Quando peccatum alienum consilio perpetratur?

Resp. Dum quis malum dat consilium ad committendum peccatum, quod alii seqvuntur, vel sequi possunt. Exemplo sit Caiphas, qui consilio suo (c) Senatum Judaicum in mortem Christi concitavit.

Quando jussione?

Resp. Cùm ex decreto, mandato, imperiove nostro redit ad proximum injuria, vel malum quodcunq; perpetratur. Sic David Rex (d) innocentem occidit Uriam, non suis quidem manibus, sed per literas hoc agens, & mandans, ut in prælio occideretur.

Quando consensus est peccatum alienum?

Resp. Cùm quod ab illis fit nequiter, à nobis quasi suffragium accipit, & tacitè saltem approbatur.

(a) 1. *Tim.* 5. (b) *Ps.* 18. (c) *Joann.* 11. (d) 2. *Reg.* 12.

batur. Sic peccavit Saulus [e] in Stephani protomartyris necem consentiens.

Quando irritatione peccatum alienum nobis imputatur?

R. Cùm scientes provocamus alium ad iram vindictam, blasphemiam, crudelitatem, aut consimilia vitia, sive dictis id fiat, sive factis. Non procul ab hoc vitio fuit uxor Job, [f] quæ patientissimo viro petulanter insultans, suasit etiam, ut Deum blasphemaret.

Quando per laudationem vel adulationem nostram alieno peccato fœdamur?

Resp. Qvum aliquem in malefactis, vel de improbitate commendamus, vel tanquam de re benegestâ calcar addimus malè currenti, ut ille in pravo instituto pergat.

Quando reticentiâ nostrâ peccatum alienum in nos redundat?

R. Cùm nostrum silentium sive subdito, sive cuivis alteri adfert detrimentum: (g) ut si docendi, monendi, corripiendiq; fratris aut populi nobis munus incumbit, & in eo interim dum prodesse possumus, non sine culpâ cessamus. Unde per Isaiam [h] Dominus mandat omni Evangelizanti: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.*

Quando nostra conniventia alienis criminibus implicamur?

R. Quoties id, quod facultate vel authoritate no-

(e) *Act.* 7. (f) Job. (g) *Chrysost. Orat.* 2. *contra Judæos.* (h) *Isa.* 58.

te nostrâ emendari vindicariq; potest, & debet, nos tamen impunitum & in pejus ire sinimus. Ita peccavit Heli, (i) cujus paternæ indulgentiæ culpâ depravatos legimus filios. Ita omnes parentes, heri & Domini peccant, dum proles, famulos & subditos peccantes non corrigunt.

Quid est participatione alienum peccatum contrahere?

Resp. Id maximè fit, cùm in parte lucri cum furibus sive raptoribus venimus: aut cùm bona injustè parta, vel quovis modo aliena scienter retinemus, cùm insuper spoliis alienis ditescamus. Sic peccant, qui latronibus, furibus, ac notæ turpitudinis hominibus præbent hospitium, ut eorum malè partis gaudeant.

Quomodo alienum peccatum defensione contrahimus?

℟. Cùm malis patrocinamur, eosq; cùm malefecerint, defendimus, aut dum perversam aliorum doctrinâ tuemur. Contra hoc divinum intonat oraculum: (k) *Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.*

Hæc de peccatis alienis, quæ nunc profectò longè lateque patent, & summa quotidie licentia perpetrantur. Adeoq; vulgò ea non caventur, ut pleriq; peccata non esse putent, ac flocci pendant, licet suas conscientias his criminum sordibus conspurcent, animasque condemnent. Jure igitur meritissimo quivis cum Regio Pro-
phetâ

(i) 1. Reg. 3. (k) *Isa.* 10.

phetâ Deum obsecrat: (l) *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.*
(l) *Psalm.* 18.

LECTIO CXI.
De peccatis in Spiritum S.

Quid est peccatum in Spiritum Sanctum?

℟. PEccatum in Spiritum S. est oblatam Dei gratiam, quæ Spiritui Sancto, ceu fonti bonorum omnium, tribui solet, peculiariter ex malitiâ contemptim abjicere.

Quam habent proprietatem peccata in Spiritum Sanctum?

Resp. Hanc, quod neq; in hoc seculo, neque in futuro, nisi ægrè admodum remittantur. [a] Quia insolitum quid & difficile est, eos, qui in hæc peccata incidunt, ad veram contritionem & pœnitentiam induci.

Quot sunt peccata in Spiritum Sanctum?

℟. Sex, nempe: 1. Præsumptio de misericordiâ Dei, vel impunitate peccati. 2. Desperatio. 3. Agnitæ veritatis impugnatio. 4. Fraternæ charitatis invidentia. 5. Obstinatio. 6. Impœnitentia.

Quænam præsumptio facit peccatum in Spiritum Sanctum?

℟. Ea quæ hominem solâ Dei misericordia confidentem, & ad peccandum audacem facit, seposita videlicet, & abjecta omni justitiæ timorisq; divini ratione. [b] Et sic peccant hodie com-

[a] *Matth.* 12. [b] *August. de fid. & oper.*

complures, qui solâ fide in Christum sibi blandientes, vel in mediis peccatorum sordibus, ut jumenta computrescunt, nec sibi solùm, sed aliis itidem polliceri audent securitatẽ, modò fidant meritis Christi, & Dei gratiæ per fidem apprehensæ, quantumvis iterum pœnitentiæ fructus non adhibentur. Plura de præsumptione vide suprà c. 2. Lect. 22.

Quomodo peccatur in Spiritum S. desperatione?

℟. Cùm præsumptioni, de quâ dictum est, contrarium prorsus vitium accesserit, ut omnem spem abjiciat homo, vel impetrandæ apud Deum veniæ, vel salutis consequendæ. Hoc modo peccavit desperando Cain, ut suâ ipse voce testatur: [c] *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Peccavit & Judas Christi proditor, [d] cùm vitam laqueo sibi infelix abrupit. Sed nulla nimis est sera homini pœnitentia, ut latro testatur, qui in cruce pœnitens Christi ingentem gratiam & cœlestem gloriam est consecutus. Plura de desperatione vide suprà c. 2. Lect. 21.

Quando veritatem impugnans peccat in Spiritum Sanctum?

℟. Cùm de fidei & Religionis negotio agitur, & pro falsitate veritas, non ex ignorantiâ, sed malitiâ studiosè oppugnatur, ut hinc veritatis Catholicæ lædatur sinceritas. Hinc peccato obnoxii erant Pharisæi, qui audientes dixerunt: [e] *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum.* Veritatem impugnant Hæreticorum mini-

[c] *Gen.* 4. [d] *Matth.* 22. [e] *Matth.* 12.

ministri, qui docent mendacia contra verba sacrarum Scripturarum: easdem contra expressas SS. Patrum interpretationes exponentes: mendaciter etiam suam falsam doctrinam ex eorundem SS. Patrum dictis & sententiis probare nituntur, quas mutilant, & medias recitant, relicta alia parte earundem sententiarum.

Quomodo invidentia fraternæ charitatis peccatum est in Spiritum Sanctum?

R. Quando dolemus ac tristamur graviter de splendore augmentove virtutum donorumque Dei, quibus frater est conspicuus. Quod crimen non tam hominis videtur esse proprium quàm Satanæ, qui Dei gratiam in homine tum augeri, tum conservari fert impatientissimè. Sathanæ filii [f] ex Judæis fuêre, qui nascentem Evangelii gratiam omninò gentibus invidebant.

Quæ obstinatio est peccatum in Spir. Sanctum?

Resp. Ea, quæ obfirmatum planè animum adfert adversus benè monentem, ut nullis rationibus ab instituto damnabili se deflecti quis sinat. Talis fuit Rex Pharao, [g] qui toties monitus à Moyse, & afflictus subinde flagellis Dei sævissimis, tamen in proposito tyrannico perstitit, & periit obstinatus.

Quando peccatum impœnitentiæ committitur?

Resp. Cùm homo peccatorum suorum, quæ salutari pœnitentiâ expianda forent, finem modumq; nullum facit ac proponit insuper nunquã pœnitere.

[f] *Act.* 11. [g] *Exod.* 7.

LECTIO

LECTIO CXII.

De peccatis in cœlum clamantibus.

Quæ dicuntur peccata in cœlum clamantia?

Resp. EA, quæ præ cæteris insignem & manifestam improbitatem habere noscuntur, divinamq; iram & ultionem insigniter accersunt iis, à quibus committuntur.

Quare in cœlum clamare dicuntur?

Resp. Quia horum peccatorum injustitia adeò manifesta est, ut nullo modo regi vel occultari possit.

Quot sunt peccata in cœlum clamantia?

R/. Quatuor, scilicet homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, oppressio pauperũ, viduarum, & pupillorum, & merces operariorum defraudata. Hæc peccata gravissimè quandoque in hâc vitâ puniuntur. De homicidio vide Lect. 59. sub præcepto 5. Decalogi.

Ob peccatum Sodomiticum Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates igne cœlitùs misso consumptæ sunt. [a] S. Hieronymus asserit nocte Nativitatis Domini omnes Sodomitas igne aut fulmine fuisse percussos, ad designandũ ampliùs in humanâ naturâ non debere abominandum hoc vitium inveniri.

De viduarum & pupillorum, ac pauperum oppressione audi gravem S. Scripturæ censuram: [b] *Viduæ & pupillo non nocebitis: si læseritis, vociferabuntur*

[a] *Gen.* 18. [b] *Exodi.* 22.

buntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli. Certè qui pupillos aut viduas opprimunt, eorumque bona vel fraudulenter vel vi occupant, non sunt sine divinâ vindictâ. Hâc de re audi exemplum memoriâ dignum, quod habetur in vitâ S. Joannis Chrysostomi de Eudoxiâ Imperatrice, *quæ Callitropæ viduæ agrum ademit frustrà obsistente Chrysostomo, post cujus Imperatricis mortem triginta quinq; annis in sepulchro ejusdem horribiles tumultus audiebantur, qui totum templum concutiebant. Ii tamen, postquam Theodosius Imperator ejus filius sese in terram humiliter prosternens, pro parentum suorum animabus, & specialiter matris veniam rogâsset, planè cessaverunt.* In vitâ S. Joann. Chrysost.

Inter viduarum, pupillorum, ac pauperum oppressores haud dubiè numerantur judices illi, ad quos causæ viduarum non ingrediuntur, & licet quandoq; ingrediantur, nihilominus quantumvis justæ contemnuntur & negliguntur. Contra hoc non immeritò furor Patris orphanorum, & Judicis viduarum indignabitur tam in hoc, quàm in seculo futuro.

Quid Scriptura docet de mercede operariorum retentâ?

R. Apud Jacobum Apostolum legimus, quàm is graviter divitibus exprobret crudelem tenacitatem, & solitam erga operarios iniquitatem: [c] *Ecce merces*, inquit, *operariorum, qui messuerunt regiones*

[c] *Jacob.* 5.

giones vestras, quæ fraudata est à nobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.

Hoc benè considerent nobiles & divites, qui multos conducunt operarios pro operibus sibi proficuis, & dum merces eis reddenda, ex industria se absentant, aut solutionem de die in diem protrahunt; imò quidam dum famulis & ancillis anno evoluto pro opera elocata ad solutionem urgentur, variam ab eis admissam comminiscuntur infidelitatem, ut vel sic mercedem eis solvere prætermittant, non sine gemitu & angustia egenorum.

Hi audeant verba Scripturæ (d) *Non negabis mercedem indigentis fratris tui, sed eadem die reddes ei pretium laboris ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Tobias docuit filium suum dicens (e) *Si quis tibi aliquid operatus fuerit statim reddes ei mercedem, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.*

(d) *Deut.* 24. (e) *Tob.* 4.

LECTIO CXIII.

De Gratia.

SAtis hactenus de peccatis, eorumque pernicie & fœditate execranda dictum est, quæ omnium in hac vita fugiendorum maxima quivis Christianus merito declinat: nunc igitur ad alterum hominis Christiani officium progrediendum, quod in exercitio bonorum operum consistit, quando quidem verò ut ea sint vitæ æ-

ternæ meritoria, requiritur ut ea fiant in gratia quædam de ejus pulchritudine, & inæstimabili virtute, & efficacia sunt præmittenda, ut quivis salutis suæ cupidus omnibus velis remisque eam quærere, conservare & augere contendat.

Quid est gratia?

℟. Est qualitas quædam supernaturalis animæ divinitùs infusa, quæ illam instanti temporis Deo gratam & amicam facit.

Aliter. Gratia est supernaturale & gratuitum Dei donum, animæ collatum per merita Christi ad vitam æternam consequendam.

Quid in animâ operatur gratia?

℟. Primò dat vitam animæ, quæ per peccatum erat mortua: (a) *Mortuus erat* filius prodigus per peccata, *& revixit* per gratiam.

2. Ab omni fœditate expurgatam nive candidiorem efficit animam: (b) *Lavabis me, & super nivem dealbabor.*

3. Miram animæ inducit pulchritudinem, qua inter cæteras res creatas major esse non potest. (c) *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Imò & speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior. *Electorum quippe animæ,* ut asserit S. Gregorius, (d) *omne humanum genus, quod in terrâ secundùm hominem conversatur, sua pulchritudinis decore transcendunt.* Hujus pulchritudinis mirum audi exemplum.

Ann

(a) *Luc.* 15. (b) *Psalm.* 50. (c) *Cant.* 4. *Cant.* 6. (d) *Greg. l.* 25. *moral. cap.* 23.

Anno 298. Rex Tartarorum Cassanus cum 20000 equitum Syriam cepit & finitimas regiones, omnibus itaq; formidandus petiit sibi uxorem filiam Regis Armeniæ, quòd audîsset esse pulcherrimam. Rex Christianus tanti Regis viribus territus dedit. Illa post aliquod tempus à viro suo Cassano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, ut Rex maritus nullo modo illum velùti suum voluerit agnoscere, quòd monstrum videretur. Vocat itaq; ad consilium primarios, de ipsorum consilio uxorem veluti adulteram, partumque veluti ex adulterio susceptum ultimo supplicio adjudicavit. Innocens mulier ignara consilii petiit, ut sibi liceret baptizare quem peperisset. Data est ei facultas, ita tamen, ut adessent baptismo aliqui fidei spectatæ viri unà cum Rege, ne qua fraus fieret. Mira res! ubi baptizatus est puer, adeò venustus ac formosus apparuit, ut Rex tantâ re permotus cum plurimis Christianus factus sit. Is erat effectus gratiæ sanctificantis, quæ quod operabatur in animâ, hoc demonstrabat in corpore. Ex Thom. Bozio tom. 1. de Sign. Eccl. l. 1. c. 16. Flores exempl. c. 5.

4. Momento temporis ex paupere & calamitoso Regibus omnibus efficit ditiorem, nam gratiæ divinæ gradus vel minimus, teste D. Thoma, (e) cùm divinitatis quædam sit participatio, *divinæ nos consortes naturæ*, sicut loquitur D. Petrus, (f) efficiens, universis mundi divitiis & thesauris longè præstat.

5. Ex filio & cohæredo Luciferi, inferni hærede, filium Dei, hæredem cœli, & cohæredem

(e) *S. Thom.* 8. *q.* 113. *a.* 9. *ad* 2. (f) 2. *Petr.* 1.

Christi instituit: (g) *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Si filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Quomodo amittitur gratia?

Resp. Solo peccato mortali, nec ullus Tyrannus eam adimere potest, nisi solum peccatum, dum sciens volens in illud quis consentit, aut perpetrat.

Quomodo amissa gratia recuperatur?

Resp. Per veram pœnitentiam, contritionem, & integram confessionem. (h)

Quomodo augetur gratia?

Resp. Exercitio bonorum operum, quantò enim ferventius illa fiunt, tantò magis crescit gratia. Nullus ergo meritò sit Christianus, qui non assiduo virtutum bonorumq; operum exercitio gratiam hanc augeat, ut in morte meritorũ bonorumq; cœlestium cumulum habeat.

Rogaverunt olim seniorem Monachum ejus discipuli, ut decrepitâ eâ ætate aliquid de vitæ austeritate remitteret, quibus senex respondit: Filii mei, si quis in Beatos cadere posset in cœlis dolor, hoc illis maximè doleret, quòd pro tantâ gloriâ, quâ potiuntur, non plus laboris in hâc vitâ subiissent, nec merita sua & præmia tam levibus rebus auxissent. In Apophth. SS.Patrum l. 7. n. 27.

Alius quidam Eremita diu ad fontem procul à tugurio suo aquas ad haustum iverat, cùm die quâdam in- di

(g) 1. *Joann.* 3. *Rom.* 8. (h) *Conc. Trid. Sess.* 7. *Can.* 6. *de sac. in gen.* it. *Trid. sess.* 6. *Can.* 24.

de rediens longæ nimis viæ pertæsus cogitare cœpit, de tuguriolo ad fontem propiùs admovendo. Talia cogitanti apparet eximiâ formâ juvenis, quem singulos ejus passus numerantem cùm audiret, interrogat quis esset, quidve faceret? Ego, *inquit*, Angelus à Deo missus sum, ut omnes passus tuos numerem, pro quibus in cœlo præmium mercedemq; recipias. *His dictis ille quidem evanuit: at Monachus tuguriolum suum non tantùm admovit, quin potiùs longiùs à fonte transtulit, ut aucto tantillo labore augeret meritum ac præmium. quod pro uno etiam passu à Deo tribui didicisset.* In Prat. Spirit. seu in Apophth. SS. PP. ubi sup. n. 29. t, 8. Bib. Patrum.

Unde possumus scire quempiam esse in gratiâ?

Resp. Hominum nullus in hâc vitâ id scire potest, nisi cui id specialiter à Deo fuerit revelatum, sunt nihilominus quædam conjecturæ & signa, ex quibus sperare possumus aliquem esse in gratia.

Quænam sunt illa signa?

℟. 1. Signum est amor Dei, & detestatio peccatorum: qui enim ex corde diligit Deum, & mavult omnia pati, quàm Deum offendere, sperare potest secum esse gratiam Spiritus Sancti.

2. Signum est dilectio inimicorum. Christus ait: (i) *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri.*

3. Signum est humilitas: (k) *Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam.*

4. Signum est frequens usus Sacramentorum

(i) *Matth. 5.* (k) *Jac. 4.*

Pœnitentiæ & Eucharistiæ: (l) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* (l) *Joann. 6.*

LECTIO CXIV.
De rectâ intentione.

Quid præter statum gratiæ requiritur, ut opera nostra sint meritoria?

℟. REquiritur præterea, ut fiant cum rectâ intentione, à quâ etiam operum nostrorum bonitas & meritum dependet, testatur id Salvator: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Oculus tuus intentio tua est, quæ si recta sit, toti actionum tuarum corpori rectitudinem affert.

Quid est recta intentio?

℟. Est voluntas placendi Deo: ut in omnibus quæ agimus, quæ molimur, quæ cogitamus, aliud nihil spectemus potiùs, quàm ut Deo grata sint omnia. Hic debet esse scopus nostrarum actionum, & summè erunt meritoriæ. Docet id Gentium Apostolus: (a) *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sine tali intentione omnes justitiæ nostræ (si tales dicendæ sint) mercede carent: (b) *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Hinc si stipem erogamus, si oramus, si Missæ sacrificio assistimus, &c. si, ut vanam hominum laudem aucupemur, ea facimus, sicut recta deest intentio, ita &

(a) 1. *Cor.* 10. (b) *Matth.* 6. meri-

merito carebimus; si verò ea fiant, ut Deo placeamus; mercedem haud modicam ex eis consequemur. Itaq; ex omni suâ actione, v. g. somno, lusu, negotiatione, labore, &c. mercedem consequi poterit Christianus, si ad initium rectam præfigat intentionem, dicendo: *Tibi ô Deus, tuæque gloriæ hoc opus aggrediar, in hoc uni tibi placere cupio.* O si id semper ageremus, quantos spiritualium bonorum thesauros in fine vitæ inveniremus?

Solebat senex quidam ex antiquis Anachoretis vir sanctus, quoties opus aliquod aggrediebatur, aliquantisper seipsum colligens subsistere; cujus rei causam cùm ex eo sciscitati essent nonnulli, respondit, actiones nostras ex se nullius esse valoris, nisi ad eas bona rectaq; intentio & finis accederet: quare quemadmodum qui jaculatur, tantisper hæret, dum in scopum arcum dirigit, quo certiùs collineet: ita, inquiebat, ego fixo mentis pede tam diu subsisto, donec opus, quod præ manibus est, ad Deum referam, unum verumq; operationum nostrarum finem & scopum. Roderig. de perfect. Christ. Tom. 1. Tract. 3. cap. 7.

Coquus quidam sanctus à B. Joanne Climaco interrogatus, quomodo in tantâ rei culinariæ occupatione, quæ ducentis triginta Religiosis præter externos & peregrinos alendis sufficeret, tam esset tamen æquo semper & collecto animo? Respondit, id ex eo fieri, quòd omnia tanquam Deo faceret. Clim.

LECTIO CXV.

De bonis Operibus.

Estne satis Christiano malum fugere, & à peccato declinare?

℟. NEquaquam, sed præterea bonum agere & virtutes exercere necesse est, alioqui scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. (a)

Quid boni faciendum est Christiano?

Resp. Christiani est sobriè, justè, & piè vivere coram Deo & hominibus.

Quomodo id facies?

Resp. Exercitio bonorum operum.

Quotuplicia sunt bonorum operum genera?

Resp. Præcipuè triplicia, utpote Jejunium, Oratio, & Eleemosyna seu Misericordia, de quibus ita legimus: (b) *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna.*

Quem fructum pariunt opera justitiæ Christianæ?

Resp. Pariunt sanè multiplicem, cùm in hâc tum in futurâ vitâ. Primùm quidem hæc opera ex verâ fide, seu per charitatem operante profecta, non modò signa sunt Christianæ vocationis, sed eandem nobis quoq; confirmant, & certos de illâ nos faciunt. Sicut Petrus Apostolus [qui ad bona opera sæpè nos cohortatur] hoc etiam adjecit: *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Secundò Deum placant, Tertiò gratiam conservant & augent. Quartò id demum efficiunt, ut laborantes in vineâ Christi denarium diurnum accipiamus, hoc est,

[a] *Luc. 4.* [b] *Tob. 12.*

eſt, ut promiſſam æternæ vitæ mercedem, juſtitiæque coronam, dum in Eccleſia Dei mandata ſervamus in Chriſto promereamur.

De Oratione dictum eſt ſuprà Lect. 24. cap. 2. De jejunio dictum eſt Lect. 75.

Quid eſt Eleemoſyna?

Reſp. Eſt opus, quo datur aliquid indigenti ex commiſeratione propter Deum.

Eſtne Eleemoſyna Deo grata?

R. Eſt ſanè gratiſſima, quod inde patet, quia multis præceptis, promiſſionibus, & exemplis in Evangelio nihil præcipitur frequentius, quàm in Eleemoſynis dandis inſiſtamus, ut Luc. 11. 12. & 16. item Matth. 10. *Quicunq; potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, &c. non perdet mercedem.* Et: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Audi quid Spiritus S. per Pſalmiſtam [c] de eâ pronuntiet: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus.* Eſt enim dies mala dies mortis, ut auctor eſt Hieronymus, qui ait: *Non memini me legiſſe malâ morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit, habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri.* Eſt & dies mala dies judicii extremi cunctis formidabilis, tunc liberabit eum Dominus Judex juſtiſſimus, ac miſericorditer verba ſuaviſſima inſtillabit: [d] *Veni benedicti Patris mei, poſſide paratum tibi regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſt, mihi manducare, &c.*

[c] *Pſalm.* 40. [d] *Matth.* 25.

Patet deinde quàm sit grata Deo Eleemosyna, quòd eam velut sibi datam acceptet Salvator dicens: [e] *Quod uni fecistis de his minimis fratribus meis, fecistis mihi.* Quod ipsum variis demonstratur exemplis.

S. Martinus adhuc Catechumenus ac militiæ deditus, cùm nihil haberet præter arma, & vestimentum, quo tegebatur, Ambiano pauperi ac nudo ab eo petenti, Christi nomine sibi eleemosynam tribueret, partem chlamydis dedit. Cui sequenti nocte Christus dimidiatâ illâ veste indutus, apparuit hanc mittens vocem: Martinus adhuc Catechumenus hâc me veste contexit. Breviar. Rom. in vitâ ejus.

S. Catharinæ Senensi in Ecclesiâ Prædicatorum oranti obtulit se Christus in formâ pauperis eleemosynam ab eâ petens, illa benignè respondens ait, ut brevi ad hospitium suum postquam rediisset veniat. Respondet pauper se expectare non posse, det jam si quid velit. Virgo dat ei crucem argenteam ex rosario. Ille statim ex templo abiit. Nocte insequente Christus ei oranti apparuit, crucem illam variis gemmis ornatam ostentans, promittensq; se in die judicii eandem ipsi coram omnibus Sanctis redditurum. Surius 29. Aprilis.

Quis fructus eleemosynæ?

Resp. *Eleemosyna* data egeno, *à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam,* testatur Angelus Raphaël. [f]

Legitur de quodam paupere operario, qui panem pro se & pueris suis lucrabatur manibus suis. Cùm ergo quâdam die ad locum, ubi conducebantur operarii, nimis *matu-*

[e] *Matth.* 25. [f] *Tob.* 12.

maturè accederet, cogitavit quòd iret ad Ecclesiam audire Missam, quam devotus audivit, rogans Deum, ut daret ei lucrari honestè labore ita, ut possit se, uxorem, & pueros nutrire in hâc vitâ sine peccato. Cùm autem absoluta Missa ad locum rediret, ubi conducebantur operarii, omnes jam conducti erant. Tunc fuit desolatus, in cujus domo fortè non erat panis, nec argentum. Et dum tristis de loco conductionis recederet, cogitans quid possit facere, obviavit cuidam diviti Burgensi, qui quæsivit ab eo, cur non esset conductus? Respondens autem operarius retulit, quomodo occasione auditæ Missæ hanc occasionem neglexisset. Tunc cogitavit ille dives, quòd orationes illius essent bonæ, & dicit ei: Redi ad Ecclesiam totâ die, & dabo tibi tantum, quantum dabo cæteris meis operariis, & ora bono corde pro me. Ille autem gaudens de hac spe lucri regressus ad Ecclesiam genibus flexis totâ die pro divite Deum rogavit, cui dives sicut & cæteris operariis cibum misit. Serò rediit, & habuit decem denarios, sicut & alii, & adhuc unum panem ultra. Et cùm rediret domum contendens, obviavit ei Christus in specie cujusdam senis honestè vestiti, qui dixit ei: Quantum dedit tibi dives ille pro servitio tuo illâ die? Respondit: decem denarios & unum panem. Tunc dixit ei: Redi ad eum, & dic ei, quòd malè solvit; & nisi meliùs solvat, & plus det tibi, malè ei cedet. Quod cùm operarius fecisset, plus à divite recepit, & recessit. Iterum obviavit seni, & dixit quòd adhuc non solvisset sufficienter, & quòd rediret, & diceret ei, quòd adhuc sibi plus daret: Tunc ille rediens à divite centum solidos cum veste recepit.

Eadem autem nocte apparuit ei Dominus in visione dicens ei, quia nisi pauper operarius rogasset pro eo, mortuus fuisset illa nocte, & damnatus. Tunc ille dives compunctus vitam emendavit, cœpitq; largas eleemosynas dare, Ecclesias frequentare, & bona opera facere, ita ut tandem in bono statu obierit. Spec. Exemplor. verb. *Eleemosyna,* Exemplo 21.

Zeno Imperator puellam honestam viduæ filiam ad libidinem exsatiandam surripuerat. Mater puellæ sæpiùs à B. Virgine vindictam tanti sceleris expetebat cum lachrymis. Cùm autem diebus multis hoc fecerat, apparuit ei per visum sancta Dei Genitrix dicens: Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpè facere volui, sed manus ejus prohibet me, *erat enim valdè misericors & eleemosynas faciens.* Flores Exempl. c. 17. tit. 2. de Eleemos.

Est præterea hic Eleemosynæ fructus, quod eleemosynam tribuenti in hâc vitâ nihil deperеat. Existimant avari totum id, quod pauperibus largiuntur, esse deperditum, proptereaq; tenacem à dandis eleemosynis retrahunt manum, ne ipsimet penuriam sustinere cogantur, non attendentes verba veritatis à Spiritu S. pronunciata: (g) *Qui dat pauperi, non indigebit:* E contrà verò: *Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Christus ipse ait: (h) *Date, & dabitur vobis.* Pluribus sanè hæc veritas comprobari posset exemplis, unum aut alterum referam, quibus probatur reddi cum fœnore etiam in hâc vitâ, quod datur pauperibus.

Illustre

(g) *Prov.* 28. (h) *Luc.* 6.

Illustre est, quod refertur de Tyberio Imperatore Christianissimo, qui regnavit Anno 580. *Is largissimè dedit eleemosynas, in tantum, ut etiam Imperatrix ipsum reprehenderit. Cui ipse dulciter respondit, quod non deberet turbari, quia Dominus abundanter esset provisurus, quod & factum est. Nam quâdam die ambulans in palatio suo, (cujus pavimentum fuit ex lapidibus artificialiter sculptis) vidit inter alios unum, cui signum crucis fuit insculptum, & stans dixit:* Ecce signum crucis, quod pingimus in frontibus nostris, positum, ut pedibus conculcetur. *Et præcepit statim illum lapidem erui; sub quo invenit alium lapidem, & sub illo tertium cum simili signo. Et cùm omnes tres lapides essent eruti, maximum thesaurum invenit. Sic autem centuplum recepit in hâc vitâ, æternam expectans futuro.* Paulus Diaconus lib. 8. hist. de Tyberio Constant.

In civitate Nisibe mulier Christiana & pia marito Ethnico suasit, ut 50. nummos aureos, quos ille fœnori dare cogitaret, per manus pauperum daret Deo Christianorum, certus & de accipiendo fœnore, & recuperanda in duplum summa capitali. Cùm igitur tempus percipiendæ ex pecunia usuræ elapsum esset, & res angusta domi foret, jussus est ab uxore homo ad templum redire, ubi pauperibus pecuniam erogarat; verùm illuc cùm venisset, pauperes quidem invenit, sed neminem ex illis, qui non ad accipiendum potiùs, quàm dandum manus tenderet. Quid ageret? jam domum tristis è templo redire parabat, quando non procul nummum aureum similem iis, quos pridem in pauperes diviserat, sed recens planè cusum humi jacentem videt, tollitque, & abit. Uxor

cùm à Deo modo invisibili missum docuisset, atque illi panis, vinum & piscis coemptus esset: in pisce, dum eviisceratur, inventus est miræ pulchritudinis lapillus, quem ad lapidarium deferendum marito dedit, si quam fortè etiam ex eo pecuniolam conficerent. Lapidarius obtulit primùm quinq; aureos, sed cùm bonus ille tacitus secum pretii non exspectati magnitudinem miratur, offert alter decem, tum viginti, ac quadraginta, magis magisq; interim viro miranti trecentos, donec veritus, ne sibi homini simplici iste imponeret, dixit, daret quanti ex æquo & bono sciret valere. Itaq; numerati aurei trecenti, quos ille dum lætus domum ad uxorem retulisset, & ex eo facto Dei providentiam uxore docente agnovisset, Christi fidem amplexus est. Sophron. Prat. Spirit. c. 185.

Malene sibi consulunt, qui pauperibus non compatiuntur?

℟. Pessimè sanè, imò severè puniuntur, qui pauperibus non subveniunt. Testis est Sapiens, qui ait: (i) *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Et Jacobus Apost. (k) *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Tales audient terribilem illam Judicis justè quærentis sententiam: (l) *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus? Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ad hanc rem confirmandam subjicio historiam sequentem.

Legimus quâdam in urbe hominem cæterà bonum, adeò tamen asperum, ut mendicantium clamores audire non

(i) *Prov.* 21. (k) *Jacob.* 2. (l) *Matth.* 25.

non posset, remotiùs ab ædium janua novum struxisse domicilium, unde nullos pauperum clamores perciperet. Verùm ubi extremum ille diem obiit, ac elato in templum funere Sacris Episcopus operari cœpit, ecce novum huic & admirabile quidpiam objicitur. Quoties enim ad populum hæc Episcopus verba protulit : Dominus vobiscum, *toties imago Christi Domini in crucem suffixa visa est illi manus clavis eximere, ac in aures conjicere, ne preces pro illo defuncto factas exciperet. Tali monstro attonitus Episcopus, peracto demum sacrificio, tantæ rei causam rimari statuit ; nihil tamen à demortui amicis aliud expromere potuit, quàm præclarum vitæ laudabilis testimonium. Et crevit non parùm inde admiratio, donec tandem certis auctoribus accepit, quàm asper ille & immitis in egenos extiterit, quos ne audire quidem, nedum adjuvare vellet. Tum enim ille certò animadvertit, qui pauperum clamoribus aures occluderet, quòd clamabit, & non exaudietur.* (m) Ex Spec. trist. Joan. Duegnii Hisp. c. 1. Flores Exempl. c. 7. tit. 4. Exempl. 9. [m] *Prov.* 21.

LECTIO CXVI.
De duplici Eleemosyna.

Quotuplex est Eleemosyna?

℞. DUplex, Corporalis scilicet, & Spiritualis. Corporalis est, quæ ad proximi corporalem miseriam sublevandam spectat. Spiritualis, quæ proximo in spiritualibus defectibus constituto spiritualibus actibus subvenit.

Quot

Quot sunt opera misericordiæ corporalia?

℟. Septem. 1. Esurientes pascere. 2. Potum dare sitientibus. 3. Operire nudos. 4. Captivos redimere. 5. Ægrotos invisere. 6. Hospitio peregrinos suscipere. 7. Mortuos sepelire. Hæc misericordiæ opera passim in Sacra Scriptura fidelibus à Deo commendantur; Hæc sunt verè justorum opera, quæ in extremo illo judicio Christus [a] adnoscet & approbabit, propter quæ regnum promissum decernet, justitiæq; coronam reddet misericordibus. De quibus complura vide exempla in Flor. Exempl. Dauroultii & alibi passim.

Quot sunt opera misericordiæ Spiritualia?

℟. Etiam septem. 1. Peccantes corrigere. 2. Ignorantes docere. 3. Dubitantibus rectè consulere. 4. Pro salute proximi Deum orare. 5. Consolari mœstos. 6. Ferre patienter injurias. 7. Offensam remittere. Hæc opera misericordiæ passim quoq; nobis commendant S. Litteræ, ut Rom. 16. Ephes. 4. & 6. Coloss. 3. 1. Thess. 5. 1. Cor. 9. Exempla vide in eodem Dauroultio.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

Danturne adhuc aliæ virtutes?

Resp. Dantur adhuc universæ, quæ dividuntur in virtutes Cardinales, in dona & fructus Spiritus S. in Beatitudines & Consilia Evangelica.

Cur quædam dicuntur virtutes Cardinales?

Resp. Idcirco quædam virtutes dicuntur Cardinales, quòd sint tanquam aliarum fontes & cardines: ut quemadmodum ostium in cardine, sic

[a] *Matth.* 26.

ſic omnis honeſtæ vitæ ratio in illis verſetur, ac boni operis ſtructura univerſa iiſdem inniti videatur. Auguſtinus de Spiritu & Anima. Et Ambroſius libr. 1. Officiorum.

Quæ ſunt virtutes Cardinales?

Reſp. Quatuor: Prudentia, Juſtitia, Temperantia, & Fortitudo.

Quid eſt Prudentia?

Reſp. Eſt virtus, quæ ſecundùm honeſti rationem, quid expetendum quidve fugiendum ſit, homini præſcribit. Hanc docet Chriſtus Luc. 11. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.*

Quid eſt Juſtitia?

Reſp. Juſtitia eſt virtus, quâ cuique ſua tribuuntur. De hâc Prov. 16.

Quid eſt Temperantia?

℟. Eſt virtus voluptatum carnis, quæ guſtu & tactu percipiuntur moderatrix. De hâc 2. Tim. 4.

Quid eſt Fortitudo?

Reſp. Fortitudo eſt, quâ labores mortiſque pericula conſtanter & ſuſcipiuntur & perferuntur. Ita definit eandem S. Auguſtinus libr. de libero arbitrio. Hæc eſt nobilis quadriga, quâ in cœlum vehimur.

LECTIO CXVII.

De donis & fructibus Spir. S.

Quæ dicuntur dona Spiritus Sancti?

Reſp. QUæ ſuper Chriſtum, Prophetâ teſte, [a] requieverunt, & ab ipſo in alios derivantur: Sunt autem ſeptem.

[a] *Iſa.* 1.

ptem, ſcilicet: donum Sapientiæ, Intellectus, Conſilii, Scientiæ, Fortitudinis, Pietatis. & donum Timoris Dei.

Qui dicuntur fructus Spiritus?

Reſp. Ei, quos pii ſecundùm Spiritum viventes operantur, [b] & quibus ſpirituales à carnalibus dignoſcuntur.

Quot ſunt fructus Spiritus Sancti?

Reſp. A Paulo Apoſt. duodecim numerantur,

1. *Charitas*, radix bonorum omnium, ſine quâ cætera bona prodeſſe non poſſunt, & quæ ipſa non poteſt haberi ſine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Auguſtin. in Joan. Tract. 87.

2. *Gaudium*, hoc præſtans, ut homo ſpiritualis alacriter lætéq; ſerviat Deo.

3. *Pax*, quæ eò ſpectat, ut in hujus mundi procellis animi ſervetur tranquillitas.

4. *Patientia*, quæ in duris ferendis eſt ſita.

5. *Longanimitas*, quæ magnitudinem animi declarat in futuris bonis expectandis.

6. *Bonitas*, quæ nulli nocet, ſed benè vult omnibus.

7. *Benignitas*, invitans ad familiaritatem, dulcis alloquio, moribus temperata.

8. *Manſuetudo*, quæ omnes iræ motus ſedat & mitigat.

9. *Fides*, in proximum ut fideles ac promiſſorum obſervatores ſimus.

10. *Modeſtia*, quæ omnem faſtus & arrogantiæ ſuſpicionem excludit.

11. *Con-*

[b] *Rom.* 8.

11. *Continentia*, quâ non solùm ab escis, sed etiam ab omni nequitiâ abstinemus.

12. *Castitas*, quæ mentem castam in corpore casto conservat.

Quæ dicuntur Evangelicæ beatitudines?

℟. Quæ mundo miseros & infelices visos, verè beatos & felices in Evangelio pronunciant.

Quot sunt Evangelicæ beatitudines?

Resp. Octo recensentur, quas ita in monte Christus tradidit *Matth.* 5.

Prima. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Quinam sunt pauperes spiritu?

Resp. Pauperes hoc loco censendi sunt ii, qui Spiritus Sancti impulsu, actu & re ipsa paupertatem amplectuntur, sive cum voto, sive sine illo, sive actu mendicent, sive non. Deinde qui promptiores sunt omnia relinquere, quàm Deum ob bona temporalia offendere. Quâ ratione pauperes spiritu debent esse Christiani omnes, inter quos plurimi sunt, qui licet divitiis abundent, non tamen sperant in pecunia & thesauris. Talis pauper spiritu fuit S. Gregorius, de quo sequens refertur historia.

Eremitarum quidam vir magnæ virtutis, qui nihil in mundo possidebat præter unam Cattam, quam blandiens crebrò quasi cohabitatricem in suis gremiis fovebat, orâsse fertur ad Deum, ut sibi ostendere dignaretur, quam futuræ remunerationis mansionem sperare deberet, qui pro illius amore seculum deserens vel ex ejus divitiis possideret, cùmque nocte quâdam dormiret, revela-

velatum ei, quòd cum Gregorio Romano Pontifice mansionem sibi præparandam speraret. At ille fortiter ingemiscens, parum sibi profuisse voluntariam paupertatem, quòd cum eo mansionem esset recepturus, qui tantis mundalibus divitiis abundaret. Cùm verò Gregorianas divitias suæ paupertati diu noctuq; conferret, alia nocte quiescens, audivit sibi Dominum in somnis dicentem : Quando divitem non possessio facit divitiarum, sed cupido, cur audes paupertatem tuam Gregorii divitiis comparare, qui magis illam cattam, quam habes quotidie palpando, nullique conferendo, diligere comprobaris, quàm ille, qui tantas divitias non amando, sed largiendo dispergit. *Ita Solitarius Deo gratias egit.* Joann. Diac. lib. 10. Greg. Papæ c. 40.

Secunda. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Qui dicuntur mites?*

℟. 1. Qui iras animiq; perturbationes cohibentes erga omnes exhibent humanitatem, nullo verbo injurioso aut ingrato prolato. 2. Qui non modò non ulciscuntur injurias, aut malum pro malo non reddunt, sed nec violentiâ injuriosâ injurianti resistunt, sed eum potiùs excusant, & Deum pro eo rogant. Tales possidebunt terram, sed qualem? juxta Glossam possidebunt terram, quam gerimus, quam terimus, quam quærimus. Possidebunt terram quam gerimus, quia dominantur animi sui passionibus. Possidebunt terram quam terimus, quia omnium hominum voluntates ad se trahunt mites, adeoq; humanorum cordium terram possident. Possidebunt terram

ram quam quærimus, scilicet terrarum viventium, quia dignum est, ut mitibus, qui se omnibus calcandos præbuerunt, detur etiam calcandum cœlum.

B. Martinus Episcopus Turonensis miræ fuit mansuetudinis & benevolentiæ erga subjectos, non solùm circa bonos & benè agentes; sed etiam circa delinquentes, quia omnes volentes pœnitere & cavere à delictis compassionis & misericordiæ sinu recipiebat. Et cùm diabolus eum aliquando reprehenderet, quòd ita lapsos ad pœnitentiam reciperet, respondit : Si tu ipse, ô miserabilis, ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorum pœniteret, ego tibi in Domino confisus polliceor misericordiam. Flores Exempl. cap. 7. tit. 2.

Tertia. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

De quibus lugentibus hoc intelligitur?

℟. De iis, qui non invigilant deliciis & voluptatibus mundi, sed verè pœnitendo cum Davide, Magdalenâ, Petro, & aliis peccata deflent. Item de iis, qui non solùm propria, sed etiam aliena peccata deflent, tum ob Dei injuriam, tum ob imminentem eis damnationem. Deniq; qui deflent hujus mundi miserias & prolongationem, ac patriæ cœlestis absentiam, ii consolabuntur, quia in cœlis *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum,* &c. Apoc. 22. v. 21.

S. Franciscus, Ord. nostri Seraphici Antesignanus, licet jam esset adeptus mirabilem cordis & corporis puritatem, non cessabat tamen lachrymis jugiter oculos expiare mentales, hominumque deflere peccata,

corporeorum luminum non ponderando jacturam. Cùm enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente Medico, quòd abstineret à lachrymis, si corporei visûs cæcitatem vellet effugere. Vir sanctus respondit: Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda, vel modicum, quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Bonav. in vitâ ejus cap. 3.

Quarta. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Quid est esurire & sitire justitiam?

Resp. Est desiderare illam justitiam, quæ imperfectâ mandatorum Dei observatione consistit, ut cuiq; quod suum est, detur; Deo, quod est Dei; proximo, quod est proximi.

S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, quicquid sanctum, quicquid justum esset, & fecit, & docuit; iis contraria prorsus rejecit. Ab ipsa mox ordinatione sua tantus in eo extitit amor & devotio erga Deum, tantus justitiæ zelus, ut nulla, quantacunq; is dignitate esset, parceret, si quid contra justitiam attentasset. Sed neque Regi ipsi contra summi Regis voluntatem ulla in re obsequi voluit, neque ut id vellet, ullis vel minis vel blanditiis adduci potuit. In vitâ ejus apud Sur. c. 29.

LECTIO CXVIII.

Quinta Beatitudo: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Sunt autem misericordes, qui compassionis visceribus pro viribus alienis miseriis subveniunt. Quàm

Quàm grata sit Deo misericordia proximo exhibita, vide suprà Lect. 107.

Quale autem præmium habebunt? *quoniam misericordiam consequentur*: quale hoc sit præmium, mens humana capere non sufficit, scilicet coram tot millibus in extremo judicii die coram severissimo Judicis severissimi tribunali audire vocem consolatione plenissimam: [a] *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, &c. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Vide suprà eâdem Lectione 107.

Sexta Beatitudo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Qui sunt mundo corde?

Resp. Ii, qui omne peccatum lethale perhorrescunt, & parati sunt omnia agere, aut pati quàm vel unicum peccatum mortale committere, qui etiam cavent venialia, & siquidem commissa sint, instar mundæ columbæ per crebram confessionem repurgant. Hæc cordis munditia non solùm in Religioso, verùm etiam in statu conjugali conservari potest.

In vitis Patrum legimus, S. Macarium unum ex celeberrimis Patribus & Monachis illius temporis, audivisse aliquando vocem dicentem sibi: Nondum, ô Macari, duarum fœminarum, quæ in quâdam urbe habitant, perfectionem attigisti. *Quo audito sanctus vir, ut eas inquireret, perrexit. Et factum est, ut divino Spiritu ductus domum, in quâ illæ habitabant, offenderit, & ingressus domum invenit duas mulieres, quæ duobus fratribus matrimonio copulatæ erant.*

[a] *Matth. 25.*

rant. A quibus cùm sciscitaretur ille, & importunis precibus efflagitaret, ut vitæ suæ decursum sibi vellent enarrare. Tandem precibus ejus obtemperantes, ei dixerunt: Undecim annis in eâdem domo cohabitâsse in summâ pace & concordiâ inter se & viros suos, à quibus sæpè enixè postulaverant, ut vitam cælibem agere vellent, quòd cùm impetrare non possent, cordis puritatem Deo obtulerunt, & super quod summo studio invigilabant, ne verbo aut opere Deum offenderent. Quod cùm sanctus vir audiret, exclamare cœpit dicens: In quocunq; statu cordis puritas Deo placet, ita ut quandoque puritas Conjugatorum, Virginum & Monachorum puritatem excellat. Flores Exemp. ex Vitis PP.

Septima. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

De quibus hoc intelligitur?

Resp. De iis imprimis, qui student pacem & concordiam cum proximo conservare, nemini dantes offensionem. Deinde, qui alios pacificare, & dissidentes componere curant. Denique, qui conantur animas cum Deo pacificare, propriam imprimis, deinde etiam aliorum, juvando eas, & reducendo ad obsequium Creatoris sui. Ii sunt verè filii Dei, filii Regis pacifici, & Principis pacis, qui pacem è cœlo attulit nobis, sicut è contrario filii sunt diaboli, qui pacem turbant, ut sequenti patet exemplo.

In cujusdam Ecclesiæ dedicatione concionem fecerat S. Wolstanus Episcopus Wigerniensis ad populum, in quâ multa de cæteris plura de pace dixerat, quâ commoti

moti nonnulli, qui gravi dissidebant odio, offensas utrimq; donavere. Unus erat, qui nullis commonitionibus adduci potuit, ut fratris necem indulgeret inimico: Huic adducto in medium, & post multum sermonem pertinacissimè recusanti, ait Episcopus: Dominus dixit in Evangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Constat ergo, quòd si pacifici sunt beati, & filii Dei, discordantes sunt miseri, & filii Diaboli. Illi igitur, cujus filius es, te commendo, & trado te Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. *Vix sanctus sermonem compleverat, cùm miser ille mancipium hostile factus, coram omni plebe dentibus stridere, spumas jacere, crinem rotare incipit. Postremò in terram elisus volutabatur furens. Exoratus Wolstanus, ut misereretur, distulit, sed pressus tandem & lachrymis victus jubet inimico, ut abeat. Ille discedit eâdem facilitate quâ venerat. Reductus ad mentem homo, conventusque, ut delicti gratiam cederet, sed pacem mirâ negavit impudentiâ. Iterum ergo vexari, iterumq; sanari jussus, inficiari perstitit. Tertiò cùm jam totis membris labefactatus ex concussione dæmonis penè singultiret animam, pacem iniit, post hoc perpetuò usque ad mortem integer & incolumis.* Ex Wilh. Malbesb. de gestis Pont. Flores Exempl. ib. tit. 56.

Octava Beatitudo. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Quinam persecutionem patiuntur propter justitiam?

℟. Ii scilicet, qui pro quocunq; virtutis actu,

sive sit secundùm legem divinam & mortalem, vel canonicam illatas patienter tolerant injurias, & sustinent persecutiones. Tales fuêre Machabæi, [b] qui mortem sustinuerunt, ne carnes porcinas contra legem ederent. Talis Susanna, [c] quæ pro castitate servanda mori potiùs elegit. Tales fuerunt omnes S. Martyres, qui propter Deum & justitiam gravissimas persecutiones, bonorum jacturas, atrocissima tormenta, mortemq; ipsam hilari animo sunt perpessi.

Suntne omnes beati, qui patiuntur persecutiones?

Resp. Nequaquam, sed ii solùm, qui propter justitiam & cum patientiâ eas sustinent. Hinc Hæretici aliiq; peccatores mercede carent promissâ, quia non ob justitiam, sed ob perfidiam persecutiones pati coguntur.

(b) 2. *Machab.* 7. (c) *Dan.* 13.

LECTIO CXIX.
De Consiliis Evangelicis.

Quæ dicuntur Evangelica Consilia?

℟. EA, quæ cùm ad salutem consequendam simpliciter necessaria non sint, tamen ut parandæ salutis ratio expeditior habeatur, ac facilior, à Christo consuluntur. [a] Unde discrimen, quod Scriptura inter præcepta & consilia constituit, est sedulò retinendum, ut illa quidem tanquam observatu necessaria præscribi, hæc verò perfectam præceptorum observationem promoventia suaderi, ac spontè suscipi intel-

(a) *S. Aug. serm.* 61. *de Temp.*

intelligamus. Hinc Apostolus, cùm de observando cœlibatu docere vellet, ita ait: [b] *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, &c.* Quò spectat, quod Augustinus perspicuè dicit: [c] Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, &c. Præceptum verò datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat à malo, & faciat bonum.

Quot sunt Evangelica consilia?

℟. Omnia enumerata jam non attinet: Principalia verò tria sunt. 1. Paupertas voluntaria. 2. Castitas perpetua. 3. Obedientia integra. [d]

In quo consistit consilium voluntariæ paupertatis?

Resp. In eo, quòd homo nihil proprii possideat, sed totum relinquat, ut Christum exemplo Petri aliorumq; Apostolorum perfectè sequatur.

Ubi consilium Evangelicæ paupertatis à Christo docetur?

Resp. Apud Matth. c. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: veni sequere me.*

In quo consistit castitas perpetua?

Resp. In eo, ut non solùm à peccato carnis, verùm etiam à matrimonio abstineatur.

Ubi castitatis consilium commendatur?

Resp. Hoc tum in Evangelicis, tum in Apostolicis litteris commendatur. Laudat ibi illud genus Eunuchorum, qui propter regnum cœlorum

(b) 1. *Cor.* 7. (c) *S. Aug. serm.* 61. *de Temp.*
(d) *Matth.* 19. *Act.* 4.

rum seipsos castraverunt. Apostolus verò planissimè dixit: [e] *Bonum est homini mulieri non tangere.* Et rursum: [f] *De virginibus præceptum non habeo: Consilium autem do, &c.*

In quo consistit obedientia integra?

Resp. In abrenunciatione propriæ voluntatis, & subjectione voluntati Superioris in omnibus, quæ Deo non contrariantur.

Quis docuit hoc consilium?

Resp. Christus Dominus, [g] non solùm verbo, sed etiam exemplo. Nam Patri suo cœlesti in omnibus fuit obediens, seq; Matri & S. Josepho subjecit.

Quænam tenentur hæc consilia Evangelica observare?

Resp. Ii duntaxat, qui ad ea observanda voto se obligârunt, quales sunt Religiosi omnes in Religione approbatâ professi, qui supra vulgi morem, abdicatis semel bonis omnibus & relictis carnis illecebris, ex professo student sanctæ obedientiæ; eò videlicet spectantes, ut ad Christi obedientis exemplar S. Evangelicæ normæ perfectionem sese totos componant.

(e) *Ibid.* (f) 1. *Cor.* 7. (g) *Joan.* 6. *Luc.* 3. *Matth.* 2.

LECTIO CXX.

De quatuor Novissimis.

Quæ dicuntur quatuor hominis novissima?

℟. HÆc videlicet: Mors, judicium, infernus & cœlestis gloria.

Cur hæc dicuntur novissima?

Resp. Dicuntur novissima, quòd cætera omnia, quæ homini accidere possunt, extremum planè locum sibi vendicent. Mors enim, ut dici solet, est ultima linea rerum, quæ in hoc mundo sensibus percipiuntur. Mortem sequitur horrendum illud judicium Dei, sicut Paulus his verbis ostendit: (a) *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hæc autem & judicium.* In quo judicio perficietur, quod Evangelica veritas asserit: (b) *Procedent qui bona egerunt in vitam æternam, qui verò mala, in supplicium æternum.*

Quis est usus & fructus doctrinæ de quatuor novissimis?

Resp Confert hæc doctrina, ut perpetuò memores novissimorum à peccando cohibeamur, & adversus omnes vitiorum pestes muniti in bono contineamur. Scriptum est enim: [c] *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Nam ejusmodi memoria, quæ sanctissimis etiam viris solet esse familiaris, à vanis cogitationibus terrenisq; curis hominem revocat, eum ad sui cognitionem adducit, atq; ad salutarem Dei timorem impellit, & in eo conservat. Oblivio verò novissimorem DEI timorem proscribit, ad quævis nefanda & infanda committenda mortales audaces facit, qui hâc voce Propheticâ corripiuntur: [d] *Gens absque consilio est, & sine prudentiâ: utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!*

(a) *Hebr.* 9. (b) *Joann.* 3. (c) *Eccl.*7. (d) *Deut.*32.

Quid igitur de morte salubre est cogitandum?

Resp. Cogitandum frequenter, mortem adeò esse certam, ut mortalium nullus, quicunq; ille sit, eam effugere possit; horam verò mortis esse incertissimam, adeoq; juxta monitum Salvatoris continuò est vigilandum, ne mors nos obruat imparatos: ideò non sine causâ de salute nostra sollicitus tam paternè, tam seriò, ac sæpè nos admonet: [e] *Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus domus veniat: serò, an mediâ nocte? an galli cantu, an mane? Ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Et alibi: [f] *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Et iterum: [g] *Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te. Sicut fur in nocte, ita veniet,* inquit Apostolus. [h] Ideoque nos Christus vult Patremfamilias imitari, qui si sciat certò venturum furem, *vigilat utique, & non sinit perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* [i] Simus igitur parati, sit semper benè constituta res conscientiæ nostræ, quo enim minimè verebimur tempore, inevitabile mortis periculum sentiemus. Væ igitur, & millies væ illi, quem mors obruit imparatum. Quid non desiderabis te fecisse adventante mortis puncto, in quo pendet æternitas? quantum tunc optabis te res tuas benè disposuisse? Ergo dum sanus es, incerti-

(e) *Marci* 13. 35. & *seq.* (f) *Matth.* 25. (g) *Apoc.* 3. (h) 1. *Tim.* 5. (i) *Luc.* 12.

certitudinem horæ mortis frequenter conside-ra, & *fac ea, quæ moriens facta fuisse voles.*

Quid cogitandum de judicio?

℟, Illud imprimis cogitandum, quod meritò timorem cuivis incutere debet, hoc judicium esse servandum à supremo illo Judice, qui omnia scit, cui nullus resistere potest. Deinde illud servandum esse in præsentiâ omnium hominum, de peccatis omnibus etiam minutissimis. Tertiò perpendendum, non esse spem ullam, judicium hoc aut executionem divinæ justitiæ vitandi. Plura de memoriâ judicii vide suprà Lect. 15.

Quid meditandum de inferno?

Resp. De inferno Orthodoxâ fide certissimo, id est, loco iis hominibus à Deo destinato, qui lethali peccato obnoxii impœnitentes vitâ decedunt, eum continere omnes pœnas & tormenta, quæcunq; homo sibi imaginari potest, eaque summè dolorosa, sine ullâ solatii permixtione. Et quod summè formidandum est, ea esse æterna, quæ quamdiu Deus erit Deus, id est *æternum*, sine fine, sine requie, sine ullâ intermissione damnatos cruciabunt. Sed quid sibi vult *æternum?* Cogita mille annos, cogita mille myriades annorum, cogita tot annorum millia, quot sunt momenta in toto tempore à condito mundo usque ad ejus consummationem, & nihil habebis, quod ad æternitatem vel minimùm accedat. Finge etiam arenòsum montem ab orientali plagâ ad occidentalem protensum, & inde à terrâ ad Em-

pyreum cœlum cacumine assurgentem: divinâ autem voluntate aviculam unam singulis annorum centenis millibus granulum unum rostro exportare, donec sola ad ultimam arenam montem aliò asportarit. Quæso te, quando tandem id futurum esset? Certè esset tamen aliquando, nihil enim in tanto cumulo infinitum est. Adeoque si vel post longissima illa tempora damnatis inferno spes esset supplicia evadendi, quanta illis consolatio, quantum gaudium foret? Verùm post totam illam tanti temporis longinquitatem nihil est quod sperent miseri, nihil illis de suppliciis imminutum. Totum superest quod primo momento, quo ad inferos detrusi sunt. O horrendam æternitatem! Nunquid igitur extrema dementia est, pro momentanea voluptate in hanc se conjicere æternitatem? Hanc frequenter considera, & in æternum non peccabis.

Quid tandem de cœlesti gloriâ utiliter considerandum?

Resp. Cogitandum est, fide certum post hanc vitam à Deo justis paratam esse cœlestem gloriam, quæ omnia bona & gaudia in se continet, quæ quis sibi imaginari potest, imò plura, quàm excogitari & desiderari possint. Hæc porrò bona esse summa & excellentissima, sine intermixtione ullius mali æternùm duratura. Quæ bona cùm delibasset nonnihil raptus in tertium cœlum Paulus Apostolus, hisce exclamat verbis: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascen-*

ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum. 1. Cor. 2. 7. 9.

Considerandum denique, quantâ furant insaniâ, qui æternas hasce cœli delicias unius turpis voluptatis vanitate, aut alterius peccati mortalis perpetratione commutare non verentur. Ergo *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Fusius hâc de re vide in remediis contra peccata sup. Lect. 99.

Hâc consideratione omnes justi Sanctique Martyres omnes Diaboli, carnis, & mundi tentationes vicerunt, mortemque ipsam contempserunt, ne æternarum deliciarum facerent jacturam. E millibus exemplo nobis sit fortissimus ille Athleta Angliæ Cancellarius Thomas Morus, qui consideratione cœlestis gloriæ omnes seculi voluptates & honores ex alto despexit.

Sanderus libro de schismate Anglicano memoriæ prodidit, hunc virum egregium, cùm à Rege vinculis detineretur, multis ab Aloysia uxore sollicitatum fuisse, ut sui & suorum misertus tempori serviret, & aliquid Regiæ voluntati tribueret, nec oblatos honores opesque propositi sui nimis tenax repudiaret, ita verò Morum respondisse: Dic amabo te mea Aloysia, bonis istis quæ commemoras, quàm diu fruemur? *Cùm illa viginti annos dixisset, siquidem Deo ita videretur:* Abi, *inquit*, Ecclesiasticæ libertatis fortissimus assertor, abi stulta mercatrix, tunc me caducis viginti annorum bonis æterna commutare suadebis? nam si annorum viginti millia diceres, aliquid diceres; sed tamen ad æternitatem quid

essent? Absit ergo, ut tale quid unquam eveniat. Quin me carcer iste tota vita & bona fiscus habeat; adde quascunq; calumnias, & mortem ipsam potiùs, quàm æternam felicitatem tanto periculo exponam aliquando. *Dixit, perstitit, caputq; pro Ecclesiæ sanctæ defensione generosus ac gloriosus Martyr dedit.* Sand. lib. 1. de schism. Angl.

Utinam fortissimum hunc Athletam Christiani omnes imitaremur, & quoties vel caro nostra fœminæ instar, vel aliud quidvis ad peccatum nos trahit, quin & omni horâ ac momento in ore, in corde versaremus brevem istam, sed efficacem sententiam:

O beata Æternitas! quid est te possidere? quid est te amittere?

F I N I S.



TRACTATUS
DE CÆREMONIIS ECCLESIÆ.

QUia nihil communius est inter Hæreticos, quàm S. Dei Apostolicam, Romano-Catholicam Ecclesiam, à quâ per apostasiam recesserunt, calumniari, ejusq; cæremonias ac pios ritus subsannare, operæ pretium judicavi, partim ad eorum ora obduranda, partim ad instruendam rudiorem plebem solemniores cæremonias in Ecclesiâ Dei consuetas

Tra-

Tractatu particulari exponere, ut fideles easdem sanctas, utiles, ac planè religiosas venerentur.

Suntne superstitiosæ & vanæ cæremoniæ, quibus utitur Ecclesia Catholica, ut volunt Hæretici?

Resp. Si tales non fuerunt cæremoniæ Legis veteris, ac Dei mandato præscriptæ, cur vanæ & superstitiosæ erunt cæremoniæ, quibus utitur S. Mater Ecclesia à Spiritu S. edocta?

Cur Ecclesia utitur variis cæremoniis?

Resp. 1. Quia cùm debeamus Deo authori animarum nostrarum omnem cultum, submissionem, & reverentiam internam, sic cultum eidem exteriorem per cæremonias externas pendere debemus, mediante corporis nostri religioso habitu tanquam utriusque substantiæ Creatori & Institutori.

2. Quia cæremoniæ Ecclesiæ magnam habent vim excitandi populum ad devotionem, quis enim non excitetur ad devotionem, quando festis solemnioribus audit sonorum pulsum campanarum, cantumq; suavem Ecclesiæ, videt templum illustratum luminibus, vestitum tapetibus, ornatum picturis, aliaq; pretiosa suppellectili, aspicit deniq; cæremonias Missæ, devotionem celebrantium, gravitatem & habitum Ministrorum?

His prænotatis descendo ad cæremonias particulares, inter quas principem locum obtinent benedictiones.

Rectene Ecclesia certas quasdam res benedicit?

Resp. Rectissimè, cur enim Ecclesia certis

quibusdam rebus non benedicat, cùm Christu ejus rei Lucæ 9. cap. luculentum dederit exemplum, quando piscibus & panibus in deserto benedixit, ac turbæ distribuit.

Nunquid ergo res istæ per benedictionem fiunt meliores?

Resp. Omninò, id apertis verbis docet Gentium Doctor 1. ad Tim. 4. *Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem.*

Sed ea, quæ fecerat Deus, erant valdè bona, quomodo ergo per benedictionem fiunt meliora?

Resp. Fatemur libentissimè ea fuisse valdè bona: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Gen. 2. Sed nonne legisti, quòd per transgressionem primorum parentum Deus terræ maledixit? cùm ait: *Maledicta terra in opere tuo.* Gen. 4. Hinc est, quòd Diabolus unà cum asseclis suis tantam in res creatas exerceat potestatem in perniciem nostram. Cur ergo creaturæ benedictionis non erunt capaces? cùm ergo omnis creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem, rectè & sanctè Ecclesia certas res benedicit.

Estne antiquus iste mos benedicendi res creatas?

Resp. Est sanè antiquissimus, ab Apostolorum temporibus in Ecclesiam introductus, & huc usque piè observatus, quod unanimi consensu testantur SS. Patres, S. Clemens, S. Dionysius, Alexander, Cyrillus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, & alii. Deniq; Chrysostomus & Theophylactus in locum Pauli 1. ad Tim. 4. Omnis

creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem, testantur antiquissimum esse morem benedicendi res creatas. S. Basilius Magnus l. 55. c. 27. Epist. 1. apertè dicit consecrationem aquæ esse Apostolicam traditionem, velut etiam antiquissimus Martyr Alexander Primus hujus nominis post Petrum Pontifex pulcherrimum de eâ ordinem fecit. Vide Hubertum Lommessem in Festo Assumpt. B. V. M. Conc. 1. Stultè ergo ac impiè Adversarii nostri tales benedictiones rejiciunt & adversantur.

De Vino benedicto.

Cur solemni ritu vinum benedicitur, & bibitur in Festo S. Joannis Evangelistæ?

℞. 1. BIbitur hoc vinum benedictum in signum fraternæ dilectionis, siquidem ob eandem causam S. Joannes bibit poculum vini venenati, ut scilicet Pontificem Idolorum Aristodemum, & cum eo ingentem populum infidelium ab idololatria converteret ad fidem. Nam, ut scribit S. Isidorus de Patribus Novi Testamenti cap. 74. & Petrus de Natalibus Episcopus in Catal. SS. c. 7. *cùm Aristodemus ei diceret, se tum demum fidem amplexurum, si Joannes ebibisset poculum vini venenati sine læsione: conditionem alacri animo suscepit Joannes; verùm ut constaret veneni vehementia, Aristodemus petiit priùs à Proconsule duos capitis reos, quibus Joanni venenum prælibandum dedit, qui paulò post inde extincti sunt. Tunc itaq; venenum bibit S. Joannes, & quidem sine*

læsione: nec hoc tantùm, sed eodem etiam poculo duos illos extinctos reos resuscitavit.

℟. 2. Benedicitur hoc vinum in Ecclesiâ Catholicâ ex antiquâ consuetudine contra venenatum & alium quemcunq; potum noxium, imò ad alias etiam corporis & animæ insidias depellendas, velut ipsâ in benedictione hujus vini precatur: *Ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis.* Cùm enim S. Joannes vinum sine læsione biberit, non temerè crediderunt veterus, potum sibi non fore noxium, quem in honore & cum benedictione S. Joannis sumerent. Nec vanam esse hanc benedictionem demonstravit Deus multis eventibus, naturæ vim superantibus.

S. Malachias Episcopus Hiberniæ poculo benedicto mulierem à morte liberavit, vitâ etiam fœtui conservatâ, ut salvus & incolumis in lucem ederetur, teste S. Bernardo in ejus vitâ.

Walbertus Comes, cùm ex equo lapsus in petrosam humum membris conquassatis, & fœmore contrito præsentem mortem expectaret, & è vino sacrato, quod ei B. Bertinus Abbas miserat, bibisset, eâdem horâ convaluit, ut est in vitâ S. Bertini apud Sur. tom. 5.

S. Vincentius Ordinis S. Dominici parum acescentis vini in optimum & planè generosum adhibitâ benedictione convertit, unde aliquot millia sitim levarunt. Pauxillo etiam vini cui benedixerat, sex millibus hominum uberem largumq; potum præbuit. Fr. Ferrar. in Catal. SS. Italiæ.

Quandoq; sagarum confessionibus innotuit illis ad vasa vinaria, quibus aliquid de benedictione S. Joannis

nis infusum erat, non patuisse aditum, neque inde pro symposiis suis merum promere potuisse. Unde non malè agunt, qui vinum benedictum doliis suis imponunt. Vide Fab. Conc. 5. in Festo S. Joannis Evangel.

S. Willebrodus haustu benedicto insanabilem ac rabidam cujusdam sitim extinxit, ac profligavit. Alcuinus in ejus vitâ.

De benedictione Cereorum.

Quid sibi vult solemnis benedictio Cereorum in Festo Purificationis?

℟. 1. CErei benedicti repræsentant Christum in templo præsentatum, quem Simeon in ulnis portavit, & lumen ad revelationem gentium pronunciavit.

Sciendum est, hoc festumPurificationis in vicem ludorum cerealium gentilibus Romanis usitatorum institutum esse, ut scribit Guilhelm. Durandus in Orat. l. 7. c. 6. Fingebant illi à Februo seu Orco, qui & Pluto inferorum Deus habitus, raptam aliquando Proserpinam Cereris filiam, Mater itaque, quò perditam recuperaret filiam, pluribus accensis facibus eam requirebat per montes & deserta. Ita Author Antiq. Rom. l. 2. c. 11.

Quid Proserpina ab Orco rapta, nisi natura humana à tartareo Plutone rapta perditaque? sed non deseruit filiam suam Ceres, id est, Providentia Divina, quin accensa per incarnationẽ lampade, Christo videlicet, eam undiq; per avia & de-

& devia requireret. Ad hunc repræsentandum, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum, piè & sanctè Mater Ecclesia in hoc Festo cereos benedicit, & in Processione circumfert.

Resp. 2. Cerei benedicti etiam repræsentant B. Virginem. Erat alia Gentilium Romanorum festivitas, mense Februario cum facibus accensis peragi solita, in memoriam Lupæ (quæ Romulũ Urbis conditorem lactaverat, & Faustuli pastoris uxor erat) grati animi ergo, ut habet Author Antiq. Rom. l. 4. c. 6.

Alii volunt idem Festum in honorem Junonis, quæ idcirco februata dicebatur, celebratum esse. Juno autem mater Martis erat, quem ex se solâ, solo contactu & olfactu florum concepisse fabulantur, ut refert idem Author l. 2 c. 10.

Rectè autem S. Mater Ecclesia hoc Festum à Lupâ, sive à Junone abstulit, velut iniquis possessoribus, & ad Mariam Virginem transtulit. Ipsa enim est, quæ Christum Ecclesiæ Conditorẽ lactavit ubere de cœlo pleno, quæq; eundem velut Martem nostrum inferni & orbis domitorem se sola Spiritus S. odore afflata genuit. Meritò ergo ad honorem ejus cereos ardentes hodie gestamus, & protestamur, eam purificatione legali minimè indiguisse: erat enim ipsa purissima mente & corpore, omniùmque virtutum radiis splendida, quod lumen in cerâ demonstrat.

Cur servatur Processio cum luminibus in hoc Festo?

Resp. In memoriam Processionis, quam hâc die

die unà cum puerulo Jesu servârunt in templo beatissima Virgo Maria, Josephus, Simeon, & Anna, *Luc.* 2.

Sed cur cerei accenduntur in Ecclesiis etiam clarâ luce?

Resp. Esto Hæretici hanc laudabilem consuetudinem more suo calumnientur, velut superstitiosam & vanam; sanctè tamen & piè id facit Ecclesia, ut testetur spiritualem lætitiam, quam in iis gerimus, & ut Deum & Sanctos honorem9. Si enim Deus *Exodi* 25. præcepit fieri candelabrũ aureum, & desuper poni lucernas septem, ut lucerent ex adverso arcæ. Item, si Salomon dicitur fecisse candelabra aurea, quinq; ad dexteram, & quinq; ad sinistram, contra Oraculum ex auro puro, & lucernas aureas desuper, 3. *Reg.* 7. Cur vanum & superstitiosum erit, Deum, venerabile Sacramentum, ac Missæ sacrificium luminibus accensis honorare, qui mos est antiquissimus, ut testantur SS. Patres, S. Hieron. contra Vigilant. Aug. serm. 215. de Temp. &c.

Cur mortuis præbetur cereus benedictus?

℟. 1. Ut eo fine diabolus, qui est Princeps tenebrarum, depellatur. 2. Ut hâc cæremoniâ testemur moriturum in votis habere, ut in numero virginum sapientum, quæ cum lampadibus obviam Sponso procedunt, inveniatur.

Cur potissimùm cerei benedicuntur?

Responsio patet ex orationibus, quibus utitur Ecclesia in eorum benedictionibus. 1. Ut de locis, ubi accensi fuerint, dæmon, ejusq; infestationes

ones ac maleficia depellantur. 2. Ut corda nostra invisibili splendore Spiritus S. illustrentur, ignisq; charitatis in animis nostris accendatur.

De benedictione Cinerum.

Cur initio Quadragesimæ Ecclesia solemni ritu benedicit Cineres, iisq́; capita aspergit?

℟. 1. UT homo meminerit principii sui, quod fuit cinis; & finis itidem sui, qui erit cinis, sicq; ad humilitatem & omnem modestiam excitetur per verba Ecclesiæ: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* 2. Ut hâc cinerum aspersione Ecclesia hortetur populum ad pœnitentiam per cineres significatam, consideratione ejus, quòd peccatum in eam nos miseriam conjecit, ut in cineres redigamur.

Estne antiquus in hunc finem cinerum usus?

Resp. Est antiquissimus, jam enim olim Job *agebat pœnitentiam in favillâ & cinere.* Michæas Propheta, dum hortatur populum ad pœnitentiam, suadet, ut pulvere se conspergant, c. 1. Rex Ninivitarum ad prædicationem Jonæ Prophetæ surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, agens pœnitentiam cum multitudine, *Jon.* 3.

De Ramis Palmarum.

Cur Ecclesia Catholica Palmarum, aliarumq́; arborum ramos solemniter benedicit?

Resp.

℟. ID duplici ex causâ facit. 1. in memoriam insignis istius ingressus in civitatem Jerusalem, quando plurima turba straverunt vestimenta sua in viâ, alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in viâ, *Matth.* 21.

2. Ad designandum triumphum illum generosum, quem per Passionem & mortem suam devictis hostibus de Principe hujus mundi universoque inferno reportavit.

Cur fideles eosdem ramos in Processione gestant, & domum secum asportant?

Resp. 1. Ob causas jam dictas. 2. Ut sicut Christus de hoste per Passionem suam triumphavit, ita & nos hoc opus misericordiæ sæpè animo volventes amore Christi accendamur ad pugnam & victoriam de dæmone, mundo, & carne referendam. Ut in quemcunque locum hi rami importati fuerint, habitationes Dei benedictionem consequantur, & omni adversitate fugata, dexterâ Dei protegantur, quod Ecclesia in solemni eorum benedictione rogat.

Estne antiquus mos benedicendi ramos?

Resp. Est sanè antiquissimus, vel facto suo testatur Joannes Papa VIII. *qui Anno* 877. *misit ad Carolum II. Imperatorem Idibus Februarii Palmas viridos benedictas, cùm tamen Dominica Palmarum, quæ in Ecclesiâ ex antiquo instituto benedici consueverunt, non esset. Earum autem mittendarum ratio ista ab ipso ita describitur: Inter cætera, quæ verâ crescente Religione, ab olim Ecclesia facta, vestræ pietati duximus intimanda, virentium Palmarum ecce bravium mitti-*

mittimus, quod Apostolus non omnes qui currunt, sed unum propter unitatem legitimè certantium accipere protestatur. Et inferiùs: Hodieque manui vestræ speciali voto & prærogativa plenam benedictione Palmam, sicut cernitis, destinamus adversus visibiles hostes & invisibiles triumphum: optantes enim vos de cunctis adversariis triumphare, nihil aptiꝰ vobis quàm ramos Palmarum duximus offerendos. Joan. Pap. Epi. 32. apud Baron. tom. 10. Annal. ann. 877.

De Campanis earumque benedictione.

Estne antiquus Campanarum usus in Ecclesiâ?

R. EST antiquissimus, nam easdem ante mille annos putatur instituisse D. Paulinus Episcopus Nolanus, ut tubis veteris Testamenti argenteis & corneis succederét.

Cur vocantur Nolæ, seu Campanæ?

R. Vocantur Nolæ seu Campanæ, eo quòd Nolæ in Campania inventæ sunt, teste Strabo lib. de rebus Eccles. Inde Nolæ à Nola, à Campania Campanæ vocantur.

Cur pulsantur Campanæ ad Missas & Officia divina?

R. 1. Ad convocandum populum & Ecclesiæ Ministros, quorum opera sacra peraguntur.

Deinde, ut iis, qui interesse non possunt, sive domi sint, sive in agro, suggeratur pia aliqua & salutaris cogitatio de iis, quæ in templis fiunt, præsertim dum tintinnatur ad Elevationem, ut absen-

absentes pio cordis motu Christum in Eucharistia adorent. Hinc devoti, dum tintinnatur, tantisper ab operibus aut fabulis cessant, flectunt genua, & conversi ad Ecclesiam, ubi fit elevatio, Christum adorant.

Cur in funere mortuorum pulsantur Campanæ?

℟. 1. Ut audientes excitentur ad orandum pro animâ defuncti. 2. Ut quisque per Campanarum pulsationem admoneatur finis sui, quasi sibi dicatur: *Memento mortis, recordare finis tui, quia sicut illi hodie, ita cras tibi.*

Sed cur Campanæ baptizantur?

Resp. Campanæ nequaquam baptizantur, licet imperita multitudo hoc vocabulo abutatur; quis enim unquam audivit Episcopum proferentem formam baptismi: *Ego te baptizo, &c.* sed solùm benedicuntur.

Nunquid stultè nomina Sanctorum Campanis imponuntur?

Resp. Nequaquam, hoc enim ad pietatem conducit, si voce ac nomine alicujus Sancti dicatur populus ad Ecclesiam convocari.

Cur ergo Campanæ solemniter ab Episcopo benedicuntur?

℟. Ut per earum sonitum dæmonum molitiones aliaq; mala depellantur, quod Episcopus in earum benedictione solemnibus precibus precatur. Sic etiam tradit Concilium Colon, tit. de const. & consuetud. cap. 14. *ut timeant dæmones, eoque sonitu territi excedant, & ut repellantur procul hostiles exercitus, & ut fragor grandinum, procella turbinum,*

binum, impetus tempestatum, & fulgurum infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum & aëreæ tempestates prosternantur.

Hæc confirmantur exemplo, quod adducit Venerab. Petrus Abbas Cluniac. libr. 1. de mirac. cap. 13.

Cùm aliquando frater quidam, Joannes nomine, natione Italicus, regularis disciplinæ severitatem fastidiens, fugere de monasterio cogitaret, ipse ei diabolus Abbatis specie assumpta se obtulit. Nam duobus dæmonibus in specie Monachorum se comitantibus, fratri in quodam monasterii loco secreto sibi residenti, multaque secum volventi, opportunum fallendi tempus se invenisse credens apparuit, eique assidens dixit : Ego (frater) modò huc hospitandi causâ diverti, sed casu te conspiciens, agnovi multa te sollicitudine laborare, multosque in corde tuo cogitationum æstus versare. Quorum causa, licet quibusdam referentibus mihi ex parte nota sit, si tamen eam pleniùs indicaveris, potero forsitan utile tibi dare consilium. Unde quis sis, & quare mœstus sis, amico quærenti expone. *Cùmque frater ille ignoto ut putabat homini secreta cordis sui aperire formidaret, & se tantummodò natione Italicum esse respondisset, dæmon, qui Monachus videbatur, adjunxit :* Et ego ipsius regionis Abbas sum, & tibi benè in omnibus auxiliari possum. Novi enim, licet tu reticeas, quòd Abbas Monasterii hujus & cæteri malè te tractant, neque ut dignum esset, honorant, insuper multis sæpè injuriis vexant. Unde admoneo te, ut tibi consulas, & locum hunc

hunc omnimodis perniciosum derelinquens, mihi credas, paratus sum enim te ab his malis eripere, & in Abbatiam meam, quæ Cripta ferrata dicitur, perductum, omni te honore sublimare. *Ad hoc frater respondit:* Ego hinc exire nullo modo possum, quia & clausura monasterii prohibet, & fratrum me multitudo circumdat. *Tunc diabolus:* Nec ego, *inquit*, quamdiu hîc fueris, te in aliquo juvare potero. Sed fac quâlibet arte, ut septa Monasterii transgrediaris, quod postquam feceris, ego statim adero, teque ad locum meum, ut dixi, perducam. *Sed misericors Deus, qui non permittit nos tentari supra quàm ferre possumus, non ultra passus est hostem procedere. Quando namque hoc agebatur, Fratrum conventus in refectorio ex consuetudine hora cœnandi residebat: quâ expletâ à Priore secundùm morem uno ictu scilla percussa est, quo sono audito mox dæmon, qui Abbatem se fingebat, actus divinâ virtute à fratre, cui loquebatur, se abripuit, & præcipiti cursu ac maximo impetu ad latrinas, quæ proximæ erant, vidente fratre jam dicto, in earum se inferiora demersit.*

Idem quotidie fatentur maleficæ, (verba sunt Martini Delrio libr. 6. Disq. mag. cap. 2. sect. 2. qu. 3.) si, quando à dæmone ad conventus feruntur, vel inde domum referuntur, signum campanæ audiatur, confestim dæmones ipsarum bajulos spurcum onus in solum dejicere, & fugâ trepidos delabi.

De

De Processionibus & Supplicationibus.

Estne recens inventum servare Processiones?

R. NEquaquam, sed est res antiquissima, ac in Scripturis sacris fundata. Processionem enim instituit Josue, cùm urbem Jericho septies circumiens muros ejus subvertit, *Jos. 6.*

Processionem solemnem servavit David, cùm reduxit ad se arcam fœderis, 1. Paral. 13.

Item Supplicationem indixit Joel Propheta c. 2. his verbis: *Canite tubâ, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos.*

Processiones & Supplicationes servarunt antiqui Christiani. Id testatur Supplicatio & Litania S. Gregorii Magni, habita Romæ contra pestem anno 590. Supplicatio S. Procli Episcopi Constantinop. sub anno 36. imperii Theodosii, habita Constantinop. contra terræ motus. Item Supplicatio instituta â Mamerto Episcopo Viennensi in Gallia, circa annum Domini 470. aliæ complures, è quibus patet, quàm blasphemè Supplicationes Catholicorum ab hæreticis irrideantur.

Cur Processionibus præferuntur Crux & Vexilla?

R. 1. Quia sic monstramus orbi insignia nostra, & profitemur publicè, militare nos sub Cruce, nec de eâ erubescere, sed potiùs gloriari, sicut

monet Apostolus: *Exeamus extra castra, improperium ejus portantes,* ad Hebr. ultimo.

2. Repræsentamus orbi victoriam Christi, quam per Mortem, Resurrectionem, & Ascensionem suam retulit de diabolo, morte & peccato.

3. Insultamus aëris potestatibus, eorumque asseclis, tyrannis, hæreticis, & quibuscunque Crucis Christi inimicis.

Cur in Processionibus gestantur sacræ Reliquiæ & Imagines Sanctorum?

Resp. 1. Ut eorum quasi præsentium patrocinio fortiores fiant preces nostræ, & illorum saltem interventu audiantur, si ob merita nostra audiri non mereantur,

2. Ut illorum præsidio, dum sic eos honoramus & invocamus, muniamur contra hostes nostros.

Rhemenses assumptâ Pallâ S. Remigii, accensis super Cruces cereis, psallentes circuierunt urbem & vicos, & quocunque deflexerunt, ea loca immunia fuerunt à lue inguinaria, quæ per urbem sæviebat. Greg. Turonens. l. 4. hist. c. 5.

Idem imitati cives Cæsaraugustani obsessi à Childeberto & Lothario, urbem enim circuierunt cum Tunicâ S. Vincentii, effeceruntque, ut hostes mox obsidionem solverent. Idem Greg. libr. 3. cap. 29.


Edesseni obsessi à Cosroë Persarum Rege, extulerunt imaginem Christi, quæ missa fuit ad Abagarum Edessæ Regem, ad murum civitatis versus hostium aggeres è lignis confectos, factumque est, ut inde inflammati ag-

geres conflagrârint, hostemq; cum dedecore discedere co-egerint. Nicephorus libr. 2. hist. cap. 7.

Cùm sævissima pestis Romæ grassaretur, ac multæ simul aliæ calamitates accederent, religiosam in die Resurrectionis Supplicationem instituit D. Gregorius Papa, & Virginis Dei Genitricis imaginem, quæ asseritur à S. Lucâ depicta, solemni cum processione per urbem circumferri curavit, quam piam circumgestationem Deus præsenti miraculo comprobavit. Etenim quacunque ferretur imago, pestilentiæ gravitas depulsa, & salubritas optata in urbe consecuta est, imò Angeli auditi sunt è cœlo canere: Regina cœli lætare, Alleluja: Quia quem meruisti portare, Alleluja: Resurrexit sicut dixit, Alleluja. *Cui cum Clero adjunxit Gregorius:* Ora pro nobis Deum, Alleluja. *Eodem tempore visus est Angelus super Castrum (quod ex tunc vocatur Sancti Angeli) gladium evaginatum & cruentum recondere.* Sigon. libr. 1. de Regno Italiæ.

Plura vide in Floribus Exempl. Dauroul. c. 4. tit. 28.


FINIS.



ELEN-

ELENCHUS
Lectionum in hoc Opusculo contentarum.

TRACTATUS *de Cæremoniis Ecclesiæ.*



INDEX

Demonstrans quid quâvis Dominicâ & Festis per annum rudioribus ex hoc Opusculo prædicari possit.

Dominicâ I. Adventus.

Ex Evangelio Matth. 21. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Cùm in S. Communione (quam fideles in Festo Natalitio recipiunt) Christus mansuetus veniat, laborandum est, ut dignè in cordis habitaculum recipiatur, quod fiet per diligentem præparationem, contritionem. scilicet & confessionem æquarum conditionibus commodè & utiliter per has Dominicas Adventus rudiores institui possunt. Vide Lect. 82. & seqq.

Dom.

Dom. II. Adventus.

Ex Evang. Luc. 21. *Erunt signa, &c.* De terribilitate judicii, quod etiam sancti exhorruerũt, cujus continua memoria remedium est contra peccata, & excitat peccatores ad veram pœnitentiam, lect. 15.

Dom. III. Adventus.

Ex Evang. Matth. 11. *Muti loquuntur,* quàm mali muti sint, qui in confessione peccata celant, lect. 85.

Dom. IV. Adventus.

Ex Evang. Joan. 1. *Confessus est, & non negavit,* de mendacio præsertim pernicioso, lect. 74. It. quàm sincerè in confessione peccata deponenda, lect. 85. *Tu quis es?* de examine conscientiæ ante confessionem instituendo, lect. 84.

In festo Nativ. Domini.

Ex Evang. Luc. 2. *Natus est vobis hodie Salvator,* lect. 9. Item quomodo reponendus Salvator in præsepio cordis nostri per S. Communionem, & quænam obsequia illi impendenda, lect. 89. It. quid agendum post communionem, lect. 90.

In festo S. Stephani.

Ex Epist. Act. 7. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* De condonatione injuriarum, lect. 30.

In festo S. Joannis.

Ex Epist. Eccl. 15. *Qui timet Deum:* De timore Dei, remedio contra peccata, lect. 100. Qui etiam tenellis pueris inculcandis, exemplo Tobiæ, lect. 55. Item de vino benedicto, vide infra de Cæremoniis, fol. 527.

Dom. Passionis.

Ex Evang. Joan. 8. *Samaritanus es tu.* De contumeliis, lect. 73. Item de memoriâ Passionis, l. 11.

Dom. Palmarum.

Ex Evang. Matth. 21. *Ecce Rex tuus venit, &c.* ut in Dom. 1. Adventus, de præparatione ad S. Communionem. It. de ramis Palmarum, fol. 532.

Dom. Resurrectionis.

Ex Epist. 1. ad Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum,* de peccatis per pœnitentiam deponendis, lect. 81. & seq.

Ex Evang. Marc. 16. *Surrexit non est hic.* Post Communionem cavendum à recidiva, lect. 90. Item de carnis resurrectione, lect. 20.

Feria 2. Paschæ.

Ex Evang. Luc. 24. *Ipse Jesus appropinquans ibat cum illis,* quia de ipso colloquebantur, adversatur autem turpiloquium, lect. 63. Item de Peregrinationibus, quomodo instituendæ fol. 193.

Feria 3. Paschæ.

Ex Evang. Luc. 24. *Pax vobis.* Pax conscientiæ obtinetur per veram contritionem, & confessionem sinceram, lect. 82. & seq.

Dom. in Albis.

Ex Evang. Joan. 20. *Insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* De potestate quam dedit Christus Sacerdotibus, lect. 95. & quomodo honorandi, lect. 57.

Dom. 2. post Pascha.

Ex Evang. Joann. 10. *Cognosco oves meas.* Ovis Christi cognoscitur (1.) ex timore, sicut ovis sem-

per timet lupum, ſic ovis Chriſti ſemper timet peccatum, quod ſummè fugiendum eſt, lect. 99. (2.) Ex patientiâ, quia ligari & tonderi ſe patitur, nec repugnat ſicut canes, porci, &c. ubi de fugiendâ irâ & impatientiâ, lect. 108. (3.) Sicut ovis, ſi erravit à grege, balare non deſinit, donec eum aſſequatur; ſic ovis Chriſti, ſi per peccatum erravit, non ceſſet timore Dei judicium, & miſericordiam ejus implorare, ac per pœnitentiam eum quærere, ubi de pœnitentiâ, lect. 81. & ſeq. (4.) Ovis dignoſcitur ex humilitate, quia eſt animal humile, ſic ovis Chriſti ex humilitate cognoſcitur, lect. 10.

Dom. 3. poſt Paſcha.

Ex Evang. Joan, 16. *Modicum, &c.* quomodo modicum ſeu momentaneum ſit turpis voluptas, lect. 103. Æternum verò quod cruciat, lect. 103. De inferno. E contra verò, quòd tribulationes hujus mundi ſint modicum, reſpectu pœnarum alterius vitæ, adeoq; patienter ſuſtinendæ, lect. 19. vide etiam lect. 20.

Dom. 4. poſt Paſcha.

Ex Evang. Joann. 16. *Vado ad eum, &c.* De viâ mortis præmeditanda, lect. 120. & de judicio, ibid. & lect. 15.

Dom. 5. poſt Paſcha & feriis Rogationum.

Ex Ev. Joan. 16. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis &c.* Oratio, ſi debitis conditionibus adornata, quàm efficax ſit, lect. 25. & ſeq.

In die Aſcenſionis.

Ex Evang. Marc. 16. *Dominus Jeſus aſſumptus*

eſt,

Dom. 15. post Pent.

Ex Evang. Luc. 7. *Defunctus efferebatur.* Peccatum est mors animæ, & tollit ejus decorem, lect. 99. Item quàm meritorium sit pro defunctis orare, lect. 13.

Dom. 16. post Pent.

Ex Evang. Luc. 14. *Si licet Sabbato curare,* de observatione diei Dominicæ & festorum, l. 51.

Dom. 17. post Pent.

Ex Evang. Matth. 22, *Magister, quod est mandatum magnum?* de dilectione Dei & proximi, l. 38.

Dom. 18. post Pent.

Ex Evang. Matth. 9. *Hic blasphemat,* de temerario judicio, lect. 69. Item de blasphemiâ, l. 50. *Cùm vidisset Jesus cogitationes eorum,* de peccatis cogitationis, lect. 84. *Videntes turbæ timuerunt,* de timore Dei, lect. 55. & 100.

Dom. 19. post Pent.

Ex Evang. Matth. 22. *Quomodo huc intrâsti?* Vestis nuptialis est charitas seu gratia, lect. 113. Quæ per veram contritionem & confessionem acquiritur, lect. 28. & seq Sine quâ intrant locum nuptialem indignè communicantes, lect. 89.

Dom. 20. post Pent.

Ex Evang. Joann. 4. *Domine ascende priusquam moriatur,* de obligatione parentum ergà proles, lect. 55.

Dom. 21. post Pent.

Ex Evang. Matth. 18. *Omne debitum dimisi tibi,* de condonandis injuriis, l. 30. Nota *de cordibus vestris,* non sufficit verbis remittere, lect. eâdem.

Dom.

Dom. 22. post Pent.

Dom. 23. post Pent.

Dom. 24. post Pent.

PRO FESTIS.

In festo S. Andreæ.

In festo S. Thomæ Apost.

In festo S. Matthiæ.

IN-

INDEX
Rerum in hoc Opuſculo contentarum.

A.

Ava-

B.

C.

Cogi-

Con-

D.

E.

Excom-

F.

G.

H.

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T.

V.

Z.

Finis Indicis.



Ad implendum vacuas paginas, appositus est

CATALOGUS

quorundam Librorum diversarum facultatum, qui in Officinâ JOHANNIS CHRISTIANI LAURERI *venales habentur.*

Mansii Bibliotheca, fol. *Francofurti.*

Baronii Annales Ecclesiastici, fol. 12. Vol. *Colon.*

Aristotelis Opera omnia, fol. 4. Vol. Græc. Lat. *Parisiis.*

Flores in Ecclesiasticum, fol. *Antvverpiæ.*

Walenburg Controversiæ fidei, fol. 2. Vol. *Colon.*

Marchantii Tribunal Sacramentale, fol. 3. Vol. *ib.*

Marracci Polyanthea Mariana, fol. *ibidem.*

Rituale Sacramentorum, cum Libello Infirmorum, Benedictionum, & Exorcismorum, 8. *Thorunii*, 1691.

Arcana Politica, seu Breviarium Politicorum, cum artificio de Conciliatione animorum, 12. *Coloniæ*, 1692.

Zimmermanni Conciones super Celebriorum Sanctorum Festa, 4. *Pragæ*, 1691.

Kleklar Gloria Sanctorum seu Discursuum in Festa, 4. *ibid.* 1691.

Grieningeri Refugium Parochorum pro Dominicis & Festis Conciones, 4. *Augustæ Vindel.*

Keul Vox Clamantis in deserto, sive Conciones in Dominicas & Festa totius Anni, 4. 6. Vol. *Coloniæ.*

--- Echo Trinaria, sive Conciones morales in Dominicas & Festa, 4. *ibid.* 1691.

Rychal-

Rychalski Flosculi Theologici, Ordinandorum, Approbandorum, Parochorum, cum Appendice de formandis Concionibus, Exorcismis, & Benedictionibus, 12. *Thorunii.*

Bussieres Historia Francica à Monarchiâ conditâ usq; ad annum 1670. 4. 2. Vol. *Coloniæ.*

Lorini in Psalmos, fol. *Francofurti.*

Matthæi Tractatus brevis & curiosus, in quo de Angelis Sanctis hominum custodibus agitur, 4. *Monachii.*

Besslæi Nucleus aureus conceptuum prædicabilium, 4. *Coloniæ.*

Labbe Elogia sacra, Theologica, Philosophica, Historica, & Poëtica, &c. 8.

Neusseri Absolutissima Polyanthea Theologo-Morali-Canonica, fol. *Moguntiæ.*

Dierhaimeri Currus quadrijugus de gloriâ Sanctorum, fol. *Augustæ Vindelicor.*

Nieszporkowitz Officina Emblematum, fol. *Cracoviæ*, 1691.

Hermanni de Deo Uno & Trino ad mentem Dunsii seu Scoti, fol. *Coloniæ*, 1690.

--- de Sacramentis in genere & specie, fol. *ibid.*

Cardinalis de Lucâ Theatrum Veritatis & Justitiæ, fol. *Coloniæ.*

Gobat Theologia moralis, fol. *Monachii.*

Bosquieri Opera omnia, fol. 3. Vol. *Coloniæ.*

Ciampini vetera Monumenta, fol. *Romæ*, 1690.


Index Librorum prohibitorum & expurgandorum novissimus, fol. *Madriti.*


Cassiani centum historiarum Examen, seu Decisiones Theologico-Legales, fol. *Bononiæ.*
Speculum Carmelitanum, sive historia Eliani Ordinis, fol. *Antwerpiæ.*
Bowyn Theologia, & Philosophia Scoti, 12. *Parisiis.*
Schwertfer Consilia & Industriæ spirituales, fol. *Coloniæ.*
Sayro Clavis Regia Sacerdotum casuum conscientiæ, fol. *Antwerpiæ.*
Plinii Historia Naturalis, fol. *Basileæ.*
Bosco Theologia Spiritualis, fol. *Antwerpiæ.*
S. Chrysostomi Opera omnia, Lat. fol. *Lugduni.*
S. Origenis Opera omnia, fol. *Francofurti.*
S. Hieronymi Opera omnia, fol. *ibidem.*
S. Cypriani Opera omnia, fol. *Coloniæ.*
Kyselii Conciones in Dominicas & Festa, 4. II. Vol. *Bambergæ.*
De Naxera in Regum, fol. *Lugduni.*
Bonartii in Estherem Commentarius, fol. *Colon.*
Sannig universum Jus Canonicum, fol. *Pragæ.*
De Mendoca in IV. Libros Regum, fol. *Lugduni.*
Chauvini Lexicon Rationale, sive Thesaurus Philosophicus, fol. *Rotterodami, 1692.*
Venerabilis Bedæ Opera omnia, fol. *Coloniæ.*
Bonacina Opera, fol. *Lugduni.*
Berchorii Opera omnia, fol. *Coloniæ.*
Vazquez Opera omnia, fol. *Antwerpiæ.*
Gumperberg Atlas Marianus, fol. *Monachii.*
Gonet Theologia Thomistica, fol. *Lugduni.*
Castillo de Vestibus Aaronis, fol. *Antwerp.*

Con-

Contensonii Theologia Thomistica, fol. &
Coloniæ.
Calamati Conciones. 4. 5. Vol. *Moguntiæ.*
Corona Gratulatoria, fol. *Dilingiæ.*
Gregorii Nazianzeni Opera Gr. Lat. fol. *Colo*
Donati Praxis rerum Regularium, fol. 4. Vol.
Annales cum Menologio Benedictinum, fo
Monachii.
Revelationes S. Brigittæ, fol. *ibid.*
De Pennalosa Opus egregium de SS. Trinita
fol. *Viennæ.*
Pennafielanorum Opera, fol. *Lugduni.*
De la Nuza Opera, fol. *Coloniæ.*
Bibliotheca Juris Canonica Voëtii & Justell
fol. *Parisiis.*
Gonzalez Decretalia, fol. *Francofurti.*
Fullonius in Libros Machabæorum, fol. *Leodii*






Biblioteka Jagiellońska
stdr0005195

